Volumen EPISTOLARVM

Reverendi Patris

Dn. D. Martini Lutheri, conti-
nens eas quæ ab anno M. D. XX. uſque ad an-
num XXVIII. ſcriptæ ſunt.

15



98.

Venundantur Francofurti ad viadrum apud
Fridericum Hartmannum Typographum &
Bibliopolam.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO.

XVI.Qu.3631/2

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO VVILHELMO, PRINCIPI Iuliacenſi, Cleuenſi ac Pergenſi, Comiti in Marchia, Zudphon & Rauensburg, & Domino in Rauenſtein, ſuo Domino Clementiſsimo.

GRATIAM ET PACEM IN CHRISTO. *Illuſtriſsime Princeps, clementiſsime Domine. Cum ante nouem annos in Publicum ederem Primum Tomum Epiſtolarum Reuerendiſsimi Patris Domini Doctoris* Martini *Lutheri, huius poſtremæ ætatis Heliæ, ac in præfatione pauca quædam recenſerem de Miniſterij uerbi diuini conſeruatione, contra tot inſidias Sathanæ ac furorem Tyrannorum, Hæreticorum & falſorum fratrum, attexerem etiam ſeriem & catalogum Doctorum, qui Eccleſiam Dei ex Patribus, Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis, eorumq; diſcipulis, ante & poſt diluuium feliciter gubernarint: Feci mentionem Sancti Lutheri diuinitus hoc noſtro ſeculo excitati, ut fugatis & depulſis craſsiſsimis erroribus & denſiſſimis tenebris regni Antichriſti, reſtauraret lucem & ſplendorem Euangelij, ac turbatos fontes Iſrael iterum repurgaret. Dixi quoq; tum nonnihil de ipſius viri Dei vita, deq; eius doctrinæ occaſione, initijs, incrementis, curſu & progreſſu. In primis uerò breuem narrationem inſtitui earum rerum, quæ ab anno.* 17. *usq; in annum.* 22. *acciderunt.*

Nunc verò precibus multorum piorum admonitus & inſtigatus, ut inceptam editionem Epiſtolarum Lutheri abſoluerem, congeſſi & in ordinem redegi Farraginem eius generis ſcriptorum, ab anno Vigeſimo ſecundo uſq; in annum Vigeſimum Octauum, ex quibus candidus lector admirandum curſum & ſucceſſum doctrinæ Lutheri intelliget. Nam etſi inſtar agni in medio luporum, aut Danielis in medio leonum, aut Ezechielis inter ipſos Scorpiones degentis vndiq; ab Hæreticis ac

Tyrannis peteretur hoſtiliter, tamen doctrina ipſius mirabiliter per Dei gratiam conſeruata & propagata eſt.

Ingens odium magnaq; rabies & ſæuitia Diaboli aduerſus Christum & membra eius in Geneſi cap. 3. deſcribitur, ubi inquit Scriptura, Serpens mordebit calcaneum eius, ſcilicet ſeminis: Innuit enim Scriptura, Diabolum varijs artificijs & machinis conaturum deſtructionem regni Chriſti, & habiturum ſuos morſus & aculeos, quibus lædat, ſauciet & perdat Eccleſiam eiusq; membra, ideoq; ſparſurum errores, hæreſes ac corruptelas doctrinæ cœleſtis, quibus à veritate & luce Euangelij homines ad mendatia & caliginem & tenebras humanarum traditionum & opinionum abducat; incenſurumq; eſſe impios Gubernatores, ut Eccleſiam Chriſti lacerent horribilibus parricidijs. Hoc nimis verum eſſe, non ſolum Chriſtus ipſe, qui Ioan. 8. Sathanæ ea ipſa arma, de quibus dixi, mendatium ſcilicet & homicidium attribuit, ſed etiam quotidiana experientia nos edocet. Nam vt de cæteris Eccleſiæ membris iam taceam, omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ omnium ætatum teſtantur, quandocunq; Deus ex immenſa ſua miſericordia collapſam doctrinā reſtaurat, & ad eā rem præſtantes Doctores ac Lumina excitat, ut ſic ex humano genere Eccleſiam ſibi colligat, certè hi Doctores omnes dictam Diaboli ſæuitiam & crudelitatem experiuntur. Perpetua ipſis ſunt certamina, digladiationes & dimicationes cum Hæreticis & Phanaticis doctoribus, perpetuò ſunt expoſiti omnis generis calamitatibus, periculis, exilijs, imò etiam morti. Elias Thesbites geſſit acerrimum bellum cum Sacrificulis Baaliticis, ac tandem ab impio rege Achab ex ampliſſimo regno Iſrael pulſus, incidit in triſtes calamitates. Similem prorſus fortunam expertus eſt Lutherus noſter, nam cum Hæreticis & Perſecutoribus certamen ipſi fuit, & maximum & perpetuum, id quod vel eius Epiſtolæ in hunc Tomum congeſtæ ſatis teſtabuntur, vix vno Antagoniſta & Hæretico debellato, ſtatim ſucceſſit alius.

Anno 1522. cum in Pathmo eſſet Lutherus ac VVitenbergæ Monachi Auguſtinienſes abrogarent priuatas Miſſas, & vſum Cœnæ Dominicæ Laicis ſub vtraq; ſpecie concederent, & libertatem exeundi

ex Monaſterio cuilibet permitterent, nollentq́ conſcientias impijs illis Monachorum votis captiuas tenere, prodijt Caſpar Schatzgeyer, Monachus Vuirtzburgenſis, ſuſcipiens patrocinium Votorum Monaſticorum, quæ à Luthero edito in publicum libello, planè proſtrata erant.

Nec tantum Luthero dimicandum fuit cum apertis hoſtibus, Tetzelio, VVimpina, Silueſtro Prierate, D. Eccio, Emſero, Murnero, Ambroſio Catharino, Latomo, & plerisq́ alijs, qui euulgatis in eum inuectiuis, diſputationibus & ſcriptis, ipſius doctrinam funditus euertere conabantur: Verum etiam alios ipſi aduerſarios Sathan ſuſcitauit, videlicet Hypocritas & falſos fratres, qui ex intimo Sodalitio & collegio Lutheri erant, & Antichriſti regnum hactenus ſtrenuè depopulati fuerant. Nam D. Andreas Carolſtadius interim dum Lutherus abeſt in Pathmo, ὀικωνομαχίαν & alias immutationes intempeſtiuè & tumultuanter inſtituerat, vnde Schiſma & diſsidium atrox inter Theologos VVitenbergenſes exoriebatur.

Deinde anno 1524. idem Carolſtadius ſparſit ſemina, ſcintillas & flammas impiæ doctrinæ Berengarij, præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in cœna Dominica negans, vnde maximum incendium ſecutum eſt, quo ferè tota Germania, Gallia & reliqua Regna conflagrarunt. Tetrum illud ſcandalum fuit, & renaſcenti Eccleſiæ damna non contemnenda dedit, nam Thomas Munzerus, Nicolaus Storkius & alij, exemplum Carolſtadij imitantes in demoliendis imaginibus magnas turbas mouebant. Motis his inteſtinis bellis, ſpem firmiſsimam Sathan alebat. Lutheri doctrinam conquaſſatam & obrutam irj. Cum autem tumultus illi nonnihil ſedarentur, bellum indixit Luthero Eraſmus Roterodamus, vir huius ſeculi longè doctiſsimus, qui ex inſtinctu Regis Angliæ de libero arbitrio in Conuerſione hominis cum ipſo acerrimè dimicauit.

Anno 1525. exorta eſt ſeditio Ruſticorum, nouum Diaboli Stratagema, quo Euangelij doctrinam apud exteras Nationes infenſam reddere, eiq́ hanc maculam inurere volebat, quaſi eſſet tuba ſiue fax omnium diſsidiorum & motuum, & quod claſsicum canat ad euerten-

dæ Imperia diuinitus conſtituta. Ruſtici enim percepta aliqua ex parte Euangelij doctrina libertatem ſpiritus in carnalem quandam licentiam & petulantiam conuertentes, demoliebantur Monaſteria, Principum Comitum ac Nobilium arces depopulabantur ac euertebant; Minabantur etiam mortem ac necem omnibus Magiſtratibus, qui doctrinam Euangelij amplecti nollent, magnas igitur turbas in Alſatia, Franconia, Thuringia, ac in tota ſuperiori Germania ciebant, quorum furores Lutherus editis multis libellis acriter confutauit & repreſsit.

Secutum eſt & aliud malum, nam eodem anno Vlrichus Zuuinglius, Miniſter Eccleſiæ Turicenſis, ac Ioannes Oecolampadius Baſilienſis Eccleſiæ Concionator, ambo doctrinæ Lutheri Propagatores ſtrenui, dogma Carolſtadij de Cœna Domini amplexi ſunt, quod editis multis libris, Luthero fortiter reluctante, tutari conati ſunt.

Anno 1528. delyrium Anabaptiſtarum latiſsimè propagatum eſt, quod plurimas Eccleſias vaſtauit, eodem quoq; anno M. Ioannes Agricola ſparſit initia Antinomiæ.

Hæc mala, hiſce ſex annis, paſſus eſt Lutherus ab ijs, qui coniunctis viribus doctrinæ Euangelicæ propagationem adiuuare debuerant. Quid verò triſtius excogitari poteſt, quam ſpectatorem eſſe Ciuilis iſtius belli, vbi in ſua viſcera ruunt, & mutuis vulneribus & cædibus Ciues concidunt?

Secundo, doctrina Lutheri non caruit perſecutione hiſce ſex annis, quibus Epiſtolæ huius ſecundi Tomi ſcriptæ ſunt. Poſt Comitia enim VVormatiana, cum vir Dei à Cæſare Carolo excommunicatus, ac à Duce Saxoniæ Friderico Electore in arce VVartbburg captiuus detineretur, Anno 1522. multorum Principum mandata, ac dira tonitrua & fulmina contra ipſum audita ſunt, quæ eum ceu hæreticum proclamarunt, eiusq; doctrinam vt erroneam damnarunt. Eodemq; tempore Henricus Septimus Anglorum Rex graues inuectiuas contra ipſum ſcripſit.

Ac cum in Imperialibus Comitiis Anno 1523 Norimbergæ celebratis, Adriani Papæ Legati querelas atrociſsimas aduerſus ipſum inſtituiſſent, ac capitaliter eum accuſaſſent, cumq; mortuo Adriano Clemens Septimus in eius ſtationem ſuccederet, Campegius Cardina-

lis Norimbergam miſſus Lutherum eiusq́ doctrinam mirè flagellauit, verum vt Palma impoſito oneri non cadit, ita nec Diaboli vel Mundi furoribus Lutherus frangebatur.

Anno 1526. Spiræ in conuentu Imperiali, varia agitabantur conſilia, & miræ technæ fabricabantur, de opprimenda doctrina Lutheri, ita ut Status amplectentium Lutheri doctrinam cogitarent de fœderibus ineundis, ac de arcenda iniuſta ui. Nam quidam Principes & Epiſcopi bello & vi eius doctrinam delere conabantur, attamen illorum conatus Deus tunc etiam cohibuit.

Incidit etiam iiſdem temporibus Lutherus in maximum odium Georgij Ducis Saxoniæ; cuius autharitas in imperio Romano tum plurimum valebat, ac premebatur vir Dei non parum ipſius Principis inuidia ac maleuolentia paßim in aliorum Principum aulis, ubi de Lutheri παῤῥησίᾳ & vehementiori (ut putabatur) ſcriptione graues audiebantur querelæ. Sed nec iſtius potentißimi Principis ira doctrinæ Lutheri detrimentum aut incommodum aliquod attulit.

Cum igitur hactenus multorum doctißimorum virorum, quorum recenſere poſſem longum cathalogum, pugnas ſuſtinuerit, qui hoſtilibus armis eum ſunt aggreßi. Nec plurimarum Academiarum, vt Lipſenſis, Pariſienſis, Louanienſis & Ingolſtadienſis, & aliarum Velitationes. Scripta & ingentia volumina, eius doctrinæ nocere, nec Paparum bullæ, excommunicationes & fulmina, nec Cæſaris truculenta Edicta, nec Regum, multorumq́; Principum & tot Epiſcoporum inſidiæ, technæ furores & perſecutiones eum frangere, nec tot triſtißima ſcandala fatlorum fratrum, motis inteſtinis & domeſticis bellis ipſum opprimere potuerint: (taceo eius tentationes, ægritudines corporis, & alios labores, quos in concionando, diſputando, legendo, ſcribendo, ac in enarrandis libris Bibliacis, ſuſtinuit maximos) Certè agnoſcere debemus hunc virum diuinitus excitatum, eiuſq́; doctrinam contra Mundi & Diaboli inſultus conſeruatam eſſe. Grata igitur mente illud ſingulare & illuſtre beneficium Dei prædicemus, ac Lutheri doctrinam, contra quam inferorum portæ hactenus nihil præualuerunt, reuerenter colamus, Deoq́; gratias pro defenſione & conſeruatione iſtius doctrinæ agamus, nec eam amplecti, confiteri, docere & propagare deſinamus.

Dulcißimæ promißiones & conſolationes nobis paßim in Scriptura ſacra propoſitæ ſunt, quæ teſtantur Deum ſuſcepturum curam, mitigaturumq́; pericula & calamitates eorum, qui ſinceræ doctrinæ Euangelij addicti ſunt, eamq́; illuſtrare ad poſteritatem propagare & conſeruare ſtudent. Sic enim. 1. Samuelis 2

.dicitur.

dicitur. Glorificantes me glorificabo, ac contemnentes me erunt ignobiles. Et Pſalmo 91. Quoniam ſperauit in me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi Salutare meum. Eſaiæ. 51. dicit Deus, Poſui verba mea in ore tuo, & umbra dextræ meæ protegam te, ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Syon Populus meus es tu. Etſi igitur Sathan extremè odit ſinceræ doctrinæ propagationem, furenterq; ſe illi opponit, & ſic rigationem Eccleſiæ impedire conatur, tamen aliqui pij Doctores protegentur, ne in Mundo extinguatur lux Euangelij. Ideo enim filius Dei Dominus noſter Iheſus Chriſtus ſedet ad dextram æterni Patris, vt ſit gubernator & Rector ſuæ Eccleſiæ, ſuaq; præſentia nos adiuuet & conſoletur, ſicuti ipſe ait, VOBISCVM SVM, VSQVE AD CONSVMATIONEM SECVLI. Item, NON RELINQVAM VOS ORPHANOS. Hæc illuſtria teſtimonia & nos confirment, ne ſcandalo iſtius infiniti chaos graſſantium hoc noſtro ſeculo hæreſium, ac Tyrannide impiorum, vel etiam metu aliorum periculorum, à Confeßione piæ doctrinæ deterreamur, ſed omne noſtrum conſilium & ſtudium ad illuſtrandam & propagandam puram Euangelij doctrinam, per Lutherum Dei organon reſtauratam conferamus.

Veſtræ vero Celſitudini Illuſtrißime Princeps, hunc Secundum Tomum Epiſtolarum Lutheri dedicare volui, cum ſciam Doctrinæ Lutheri V. C. ex animo fauere, & in Ducatibus C. V. eam nunc propagari, ac C. V. de Reformatione ſuarum Eccleſiarum ſerio cogitare, ſummoq; odio deteſtari omnes Hæreſes & Corruptelas doctrinæ cœleſtis. Facit hac in re. C.V. officium Deo gratum ac Eccleſiæ ſalutare, nam omnibus Magiſtratibus grauißime à Deo præceptum eſt, vt ſint Cuſtodes doctrinæ, & Nutritij Eccleſiæ. Ac omnino confido ſub V. C. titulo & nomine clarißimo, hunc meum qualemcunq; laborem & collectionem Epiſtolarum Lutheri, pio lectori auguſtiorem ac commendatiorem futuram eſſe, humiliter orans, vt meam obſeruantiam & ſtudium. V. C, æqui boniq; conſulat, cui etiam meas preces, paratißimam voluntatem & omnia mea addictißima officia quàm humiliter defero. Datæ Eislebij die 25. Martij, quo ante annos 1565. Filius Dei, Dominus noſter Iheſus Chriſtus in vtero Virginis Mariæ, natæ è regia Stirpe Dauidis, humanam naturam aſſumpſit. Quo die etiam Adam ſcribitur creatus, ac eodem die Saluator noſter Chriſtus Ieſus poſtea cruci affixus, moritur, factus Victima pro peccatis totius Generis humani.

Ves: Celſ:

Deditißimus,

Iohannes Aurifaber.

Volumen
EPISTOLARVM
Reverendi Patris
D. MARTINI LVTHERI
ab Anno M. D. XX. vſq; ad Annum
XXVIII. ſcriptarum.

EPISTOLA PRIMA
ad Præpoſitum in monaſterio Leitzken.

Summa Epiſtolæ.

Inſtruit Præpoſitum, quid in caſu cujuſdam lapſi Fratris ei faciendum ſit.

SAlutem. Condoleo & ego R. P. miſero fratris tui, imò noſtri caſu, Sed ille heri, nos hodie, imo ille heri, nòs heri & hodie, & ſemper Adami filij ſumus, ideo Adæ opera facimus. Veruntamen non eſt deſperandum de potenti manu Dei. Proinde mihi difficile eſt iudicare & conſulere tibi, quid cum illo agas, præſertim cum ignorem vim ſtatutorum veſtrorum. Si talia ſint, vt non ad perpetuam captiuitatem, neq; ad præſens vitæ periculum, talem transgreſſionem puniant, omnino ei rigorem illorum imponendum mihi videtur. Non

Lapſus cuiuſdam Fratris.

enim

Magiſtratus miniſter eſt Iuſtitiæ & Legis.

enim tu, ſed iuſticia & lex, cuius tu non arbiter ſed miniſter es, ſic puniunt. Non ergo te moueat, quod vel æqualis vel maior ſis peccátor. Hoc DEO confeſſum ſatis eſt. Hic autem propter ædificationem oportet nos ferè ſemper meliores nobis corrigere, doctiores docere, dignioribus præeſſe, vt rata ſit ſententia Domini, quod principes gentium dominantur eorum, vt ſuorum inferiorũ. Principes autem fidelium ſeruiunt eis, vt maioribus ſuis. Qui maior eſt veſtrum, inquit, ſit miniſtrator veſter, &c. Igitur cord s ſerua in eũ humilitatẽ & mititatem, Sed manus & poteſtatis exhibe rigorem, quoniam poteſtas tua, non tua ſed Dei eſt, Humilitas autẽ non Dei, ſed tua eſſe debet. Quis ſcit ſi ideo permiſſus ſit ſui fœtorem peccati facere publicum, quia occultum ſanari non potuit, quod ſanari per publicũ pudorem optime poteſt. Mirabilis Deus in conſilijs ſuper filios hominum. Multos per peccata ſanat â peccatis, Sicut venenum veneno pellitur. Quare non terrearis. Dominus eſt qui operatur hæc omnia, quem lauda & ama, & pro illo paupere & pro me deuotius ora. Vale. Ex Vuitemberg, Datæ Dominica vocem iucunditatis, Anno M. D. XVII.

Quo animo Magiſtratus tranſgreſſores puniat.

Frater Martinus Lutherus
Auguſtinianus.

AD EVNDEM PRÆPOSITVM
alia Lutheri Epiſtola.

IESVS.

IESVS.

SAlutem. Quod ordo tuus deficit, credo quod omnes ordines deficiunt, & agunt ſegniter, vt qui poſiti ſunt cuſtodes, vigilanter agant. Si itaq; cum pace & bono nihil poteris promouere, non conſulo, vt cum viribus & pertinaciter, cum maiori parte tuorum contendas. Sed da locum iræ, & ſine zizaniam cum tritico creſcere, melius eſt modicos in pace ſaluare, quā vniverſos propter multos turbare. Et melius eſt multos propter paucos tolerare, quam paucos propter multos peſſundare, &c.

F. Martinus Lutherus.

FRAGMENTVM EX ALIA EPIſtola Lutheri, ad eundem præpoſitum.

FOrtis autem eſto in Chriſto, nec mouearis quòd moriuntur pecora & corpora, Hæc enim ſunt magis ſigna Gratiæ quam iræ. Tunc enim magis iraſcitur, quando non iraſcitur, vt per Ezechielem dicit. Non vltra iraſcar tibi. Et, zelus meus auferetur à te. Quod eſt horrendum nimis, nec niſi reprobis dictum. In fine epiſtolæ te quàm maximè rogo, vt pro me Dominum ores, confiteor enim tibi, quod vita mea in dies appropinquet inferno, quia quotidie peior fio & miſerior, Vale ex Vuitenberga.

Exul filius Adæ Martinus Lutherus Auguſtinianus.

ANNVS CHRISTI M. D. XIX.

GEORGIO SPALATINO.

Oſtendit quid ſentiat de inſtituendis cæremonijs, quæ ad medi-tationem paſsionis Dominicæ inuitent, & hortatur ad tractationem Sacrarum literarum, nam immo-dicis cæremonijs extingui ſpiritum.

IESVS.

SAlutem. Ad te perueniſſe ſpero, vel peruenturã ſta-tim, mi Spalatine, quæcunq; ſcripſi ad te, data enim ſunt Deductori. De inſtituenda paſsionis meditatione, nihil mihi adeò moleſtum eſt, quàm quod videam, cæremonias iſtas reddere ſolere mirè duros, aridos, difficiles & planè ineptos in omnem rem & affectus ſpiritualis vigorem. Freti enim quod multum verborum emurmurarint, & horas occuparint, eunt ſecuri, rarò compuncti, rarius feruidi, rariſsimè ſui cognoſcentes. Et vt tibi ex corde dicam: Inſtitutionis iſtius merces, & mercedis finis, magis mihi placet, quam ipſa inſtitutio, quod ſacris literis operam daturi, meritò à quouis iuuentur, cum ſit vna res, quæ Eccleſiam vel exaltet vel deprimat, ſacrarum literarum vel notitia vel imperitia. Proinde ſi placet (vt ſcribis) vt hebdo-madatim paucis diebus atq; his non totis, ſed aliquibus diurnis & nocturnis fiat, placet & mihi, modo quo po-

Effectus immodicarum ceremoniarum.

Tractatio ſacrarum literarum

teris

teris paucioribus & diebus & horis acceptis. Nihil enim æquê metuendum eſt in cæremonijs ſtatuendis, quam ne (vt Apoſtolus monet) ſpiritus extinguatur. Meliusq; erit vt interpolatis horis pauca ſingulis agant, quã ſi vno tenore omnia abſoluant, hic enim tædioſi, illic alacres erunt, quantum ſinit diabolus.

Sed pro Pſalmis quos apprehendent? illos fortê qui maximè dominicam perſonam in paſsione referũt, quos ſeligi oporteat, & in dies & horas diſtribui cum reſponſorijs, verſiculis & collectis, ſicut eſt moris. Et neſcio an non ſit pulcherrimum, quod cuiuslibet paſsionis hora addatur, cum expreſſo eiuſdem horæ genere paſsionis, ſicut habet Canticum illud. Patris ſapientia, veritas diuina, CHRISTVS homo, &c. quibus finis Pſalmorum compleretur. Cætera in literis alijs vidiſti vel videbis. Pſalmi ad Paſsionis meditationem neceſſarij

Auditum eſt mihi, Carlſtadium durius quippiam ad te ſcripſiſſe. Tu vide vt homini parcas. Tentatus eſt enim propter veſicam Eccianæ iactantiæ, & quorundam aliorum. Vale in Chriſto. Sabbatho poſt Aſſumptionis. M. D. XIX.

Frater Martinus Lutherus
Auguſtinianus.

GEORGIO SPALATINO.

Mittit Theſſaradecadem, & comentarium in Epiſtolam Pauli ad Galatas, ac interceſsionem apud Principem pro Piſtore quodam petit.

IESVS.

Theſſaradecas cõſolationum Lutheri.

SAlutem. Venit tandem ad te, mi Spalatine, Theſſaradecas mea, tardè quidem, ſed vix etiam ſic procellas occupationum mearum elapſa, quàm vt transferas libere, & illuſtriſsimo principi noſtro offeras, ſi ita videtur, Epiſtola præfationis adiecta, licet. Nam res mihi minutior videri ceperat, quàm vt ampulla epiſtolari tanto principi dicaretur, arbitrium tuum eſto.

Commẽtarius Lutheri in Epiſt: ad Galatas.

Mitto ſimul inſenſatos Galatas meos, multo ſale conditos, quos Lutherus Lipſianus, tibi miſit donandos, vt vides, Ægoceros Emſerianus nondum abſolutus eſt. Tibi & Scharto ſatis fiet, modo reſpirare liceat. Naſcitur & neſcio quid in laudem Rubei.

Petitio pro Piſtore quodã.

Petijt hic literarum Lator, vt pro ſe ad principem ſcriberem, quo impetraret, ſibi licere apud Vuitembergenſes Piſtoriam artem exercere. Nam hoc ei interdicunt (audio) Piſtores, quod filius ſit viri, qui Balneator olim fuerit, tam religioſa eſt nobilitas Opificum, verum ne eſſem moleſtus, tuo id ore fieri peto, meo (ſi voles) nomine.

Sed heus quod penè præterieram, exemplar Theſſaradecados poſtquam ſuam ſeruitutem ſeruiuit reuideam. Nam & ipſe his nugis me ſolari cogito, nec ſemper ſunt in promptu, quæ ibi congeſsi, etiam hac ratione

tione,quod meditatione ſui locupletiores euadent mihi. Vale & me Principi commenda. Vuitembergæ die S. Mauritij. M. D. XIX.

Frater Martinus Lutherus
Auguſtinianus.

Miſit ad me, Fratres ſeu Patres ſatis ſpectatos, prouincialis Minorum, intercepturus cauſam meam ad Iutterboccenſes, quos iam eunt punituri & à loco moturi. Ego dedi eis reſponſum,ſi Lotterum Lypſiæ queant exorare, aut indemnem eum ſeruare,Ego in gratiam eorum libello meo Spongiam mitterem. Atque id agitur,neſcio quid efficitur.

Cauſa Lutheri, cū Minoritis Iutterboccenſibus.

ANNVS CHRISTI M. D. XX.

GEORGIO SPALATINO.

Reſpondet ad quæſtionem de dicto Chriſti, Sine me nihil poteſtis facere.

SAlutem. Quæſtionem accepi, mi Spalatine, qua quæſiuiſti quid velit illud Chriſti, Iohannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Primum arbitror, tibi notas eſſe duas diſcerptiones (diſtinctiones volui dicere) Magiſtrorum noſtrorum hoc loco traditas, quarum prior eſt. Influentiam DEI eſſe aliam Generalem, aliam Specialem, quòd ſic intelligunt. Influentia Generali poſſumus ea, quæ naturæ ſunt citra gratiam, quæ illi putant eſſe nec merita, nec peccata,

Interpretatio Scholaſticorum.

1 Dei influentia, generalis.

cata, ſed neutralia quædam, aut moraliter bona opera, vt, ire, ſtare, laborare, orare, comedere, & quæ per homines externè fieri videmus, non manifeſtè mala: Influentia Speciali poſſumus ea, quæ gratiæ ſunt, & ſupra naturam, id eſt, ſolum meritoria facere, & peccata vitare, vt ſit influentia generalis, eſſe & operari naturæ: Specialis, eſſe & operari gratiæ. Tum ſequitur diſtinctio poſterior, Aliud eſſe Inchoatiuè, aliud Perfectiuè facere. Inchoatiuè ad influentiam Generalem pertinet, Perfectiuè ad ſpecialem. Tunc dicetur, Sine me nihil poteſtis facere, id eſt, Perfectiuè ſeu influentia Speciali, ſed bene Inchoatiuè, id eſt, influentia generali poſſumus aliquid facere, hoc eſt dicere, noſtris viribus poſſumus (ſtante influentia generali) nos parare ad gratiam recipiendam ſeu influentiam ſpecialem, vt meritorium faciamus, Sed non poſſumus eadem influentia ſtante & noſtris viribus meritorum facere. Sic eſt hucuſq; authoritas iſta expoſita & intellecta.

Dei influentia ſpecialis.

Interpretatio Lutheri.

Cæterum, Chriſtus qui influentiam iſtam Generalem ſeu eſſe naturæ in totum damnat, eò quòd natura non poſsit non quærere quæ ſua ſunt, abutiq; donis DEI, ſimpliciter & ſine diſtinctione loquitur. Quod extra ſpecialem (vt vocant) influentiam ſeu gratiam Dei, nihil poſsit fieri, quod coram DEO non ſit igne dignum, ſicut proſequitur, dicens, SI QVIS IN ME NON MANSERIT, MITTETVR

TETVR FORAS, SICVT PALMES ET ARESCET, ET COLLIGENT EVM, ET IN IGNEM MITTENT ET ARDEBIT. Ecce, Palmes extra Chriſtum non modo non viret, non fructificat, ſed etiam areſcit (id eſt. deficit & perit) nec ſolum deficit & areſcit, ſed etiam colligitur, & ſeparatur à vinea, & in ignem mittitur, &c. Sic, qui influentia Generali, & naturæ tantum fertur viribus, aſsiduè peior fit, & remotior à Chriſto, igniq́; paratur, quantumlibet appareat foris, moraliter & benefacere. Vt hinc intelligamus, ſine Chriſto, nec generali nec ſpeciali influentia, nos aliquid poſſe facere, & quicquid ſola influentia generali fit, quantumlibet magnum, magis eſſe contra Chriſtum, quàm pro Chriſto, quod ſatis in Hypocritis patet, qui magna & multa faciunt, ſed peſsima voluntate. Ideò Chriſtus tantò ſtudio monet, vt in ipſo, tanquam vite, maneant palmites, quod impoſsibile ſit eos non fieri peiores aſsiduè, ſi non manſerint in ipſo, ſicut qui non manent in via, impoſsibile eſt, vt non aſsiduè magis ac magis errent, niſi ad viam redeant. Vt prorſus nulla hic ſit diſtinctio neceſſaria, quaſi influentia Generalis non ſit erroris via, cum hæc ſit donum Dei gratuitum, indignis tributum & abutentibus ſemper, ſicut Vinum & Aurum impijs hominibus in quotidianum abuſum, vbi poſsis dicere, rem influxam à DEO eſſe bonam, ſed tamen vſum eius non poſſe eſſe bonum, niſi gratia ſanati fuerint vtentes. Ita influentia generali (id eſt, vocabulo periculoſo) quæ eſt, Eſſe, & operari naturę,

Sine Chriſto nihil poſſumus facere.

nemo non male vtitur & ad nihilum, niſi qui Palmes in Chriſto manſerit. Sicut enim omnia munda mundis, ita immundis eſt nihilum mundum. Tit.1. Et vt omnia coopera͂tur in bonum ſanctis: ita omnia in malum impijs. Quis enim poteſt negare, quin Fornicator, Adulter, Homicida, Blaſphemus, opus ſuum faciat influentia adiutus Generali? Quomodo enim hæc poſſet, niſi Eſſe & operari naturæ haberet? At quis audeat dicere, hæc eſſe bonum Inchoatiuè facere, & ad gratiam diſponere? Ita quantumlibet bonum appareat opus extra gratiam, quia in corde non eſt bona voluntas extra gratiam, non poteſt non niſi malum eſſe contra gratiam, & nequaquam inchoatiuè ad gratiam valere. Verum hæc omnia tangunt materiam iſtam gratiæ & liberi Arbitrij maximam & longiſsimam, imò breuiſsimam, ideò non licet omnia tam paucis abſoluere. Vale & Ora pro me. Hac hora qua abijſti. Feria Sexta in Paſchali Hebdomade. M.D.XX.

Martinns Luther
Auguſtinianus

IOANNI VOIGT, SACRAE THEOlogiæ Magiſtro, Auguſt: Eremitæ Magdeburg: Seniori ſuo.

Recenſet Lutherus ſuos aduerſarios & Antagoniſtas, & prædicat Nobilitatis Germanicæ erga ſe beneuolentiam, & promiſſam tutelam.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Ex quo nondum vos audio in Regiſtro mortuorum, credo vos adhuc viuere, & nondum ultimas ad me ſcripſiſſe literas. Sermonem de Miſſa per vos mitto Reuerendo Patri prouinciali,[a] & poſitiones Melanchthonis, mirabiles valde, ſed veraces. Scribit contra me Lipſenſis Aſinus multos libros, & quidam in Italia Cremonæ contra me ſcripſit indoctiſsimus, ſine nomine, credo ordinis prædicatorum eſſe. Eccius dicitur adhuc nihil expediuiſſe in Vrbe[b]. Franciſcus Sickingus per Huttenum promittit, tutelam mihi contra omnes hoſtes. Idem facit Silueſter de Schauuenberg, cum Nobilibus Francicis, cuius literas pulchras habeo ad me. Nihil timemus amplius, ſed iam ædo librum vulgarem contra Papam de ſtatu Eccleſiæ emendando. Hic Papam acerrime tracto, & quaſi Antichriſtum, orate Domnium pro me, vt proſit verbum meum Eccleſiæ ſuæ. Valete die S. Stephani Inuentionis. Anno M. D. XX.

Frater Martinus Lutherus

[a] Id eſt, D. Staupitio.

[b] Scilicet Roma. Hæ literæ in primo Tomo Germanico Islebenſi excuſæ ſunt. Folio 26. b

VVENCESLAO LINCO.

Excuſat ſuam mordacitatem, & ſtyli vehementiam.

IHESVS.

SAlutem. Non hoc à me agitur, mi Pater, vt meis ſcriptis & libellis quæram laudes & glorias. Omnes fermè in me

Mordacitas Lutheri.

damnant mordacitatem, ſed mihi idem ſenſus eſt qui tibi, ſcilicet DEVM fortè hoc modo reuelare hominum figmenta. Video enim ea, quæ noſtro ſæculo quiete tractantur, mox cadere in obliuionem, nemine ea curante. Sed & vterus Rebeccæ debet geſtare diſcordes, & ſeſe inuicem collidentes paruulos, Præſens malè iudicat ætas, iudicium melius poſteritatis erit. Paulus etiam ſuos aduerſarios, nunc canes, nunc conciſionem, nunc vaniloquos, pſeudooperarios, Sathanæ miniſtros, & id genus appellat, & in faciem parieti dealbato maledicit. Quis prophetas non videt inuehi acerbiſsimè? Sed hæc vſitata ſunt, ideò ceſſauerunt mouere. Reuerendus pater Vicarius heri ex Erffordia mihi ſcripſit, rogans, ne ederem libellum de ſtatu Chriſtianorum emendando, neſcio enim, quo nomine ei ſit accuſatus, ſed tardè venit, iam edito libello, tu fac, vt præſens eum mitiges. Quis ſcit, ſi ſpiritus me impetu ſuo moueat, cum certum ſit, neq; gloriæ, neq; pecuniæ ſtudio, ſed nec voluptatis, me ita ferri. De vindicta nihil dico, Dominus ignoſcat, Nec hoc à me agitur, vt ſeditionem moueam, ſed vt Concilio generali libertatem aſſeram. Vale in Domino, Dominica poſt Aſſumptionis diem. M. D. XX.

Quomodo Paulus appellet ſuos aduerſarios.

Staupitii timor.

Tuus Frater Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Narrat ſe Bullam Pontificiam quam acceperat, non timere, ac de dono D. Schmidbergii, eiusq; piiſsima morte gloriatur.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Bullam quam miſiſti accepi, mi Spalatine, expectamusq́; reditum veſtrum fœlicem quotidie, cum multis nouitatibus & vna vetuſtate, quæ eſt, Aulam Carolinam nullius ſpei eſſe. Gaudeo Huttenum prodijſſe atq; vtinam Marinum aut Aleandrum intercepiſſet.

Prophetia Lutheri de Aula Caroli V. Imperatoris.

Excommunicatio Bullatica nobis non timetur, quanquam Epiſcopos iſtos duos audiamus proceſſuros, quos rurſus & ego pulchrê excipiam & inſignibus ſuis ornabo. Dux Georgius furentiſsimus apud ſe paulum coërcitus eſſe dicitur externè. Philippus noſter Melanchthon reſpondet, ſub nomine Fauentini Dydimi, Thomæ Rhadino, id eſt, Emſero perſonato. Nuptiæ Philippi altera Catharinæ erunt, ita feſtinare cogit linguarum malarum periculum.

Nuptiæ Philippi Melan.

D. Heinricus Schmidberg defunctus, mihi legauit 100. Florenos, quod mihi nulla cauſa magis placet, quàm vt mortuus iuſtus damnet viuos impios, vt ſapiens ait, & habeant quod indignentur, qui Eccio ambitioſo Phialas, & aurum in verbi Dei contumeliam obtulerunt, neq; enim ego ambiui, hoc iam altero ſigno monet eos Chriſtus. Nam Eccij ignominiã Lipſiæ & Erffordię acceptam, quis non inter opera Dei mirabilia cenſeat? adhuc tamen perſeuerat induratus Pharao, vt multa ſigna fiant. Sed tu vide, vt ſpe bona fretus, omnia maledicorum contemnas. Chriſtus iſta cepit, ipſe perficiet etiam, me ſiuè extincto, ſiuè fugato. Ego nomine

Legatum D. Schmidbergii.

Doct. Schmidbergii obitus.

eiusdem D. Schmidberg vocatus in Eilenburg veni, & ille interim abijt ad ipſum Dominum. Dicitur conſtantiſsimus in fide Chriſti deceſsiſſe, atq; adeò (quod illos magna cruce afficiet) meam doctrinam & obſeruaſſe & publicè commendaſſe. Vide ergo Chriſti præſentiam. Vrget Antichriſtus Romanus, & Sathan per ipſum, ſed maiorem ſe oſtendit qui in nobis eſt, eo, qui in mundo eſt.

Epiſcopi Vratiſlauienſis obitus.

Eadem fide Epiſcopus Vratiſlauienſis obijt, omnium Epiſcoporum huius ſæculi optimus. Multum perdit opinionis Epiſcopus Mersburgenſis, & ſanctula ſanctitatula ſua non ſufficit pro operculo impietatis, qua Papæ plus ſtatuit obedire, quàm DEO ſuo, cætera ex alijs. Vale in Domino. Eilenbergæ, M. D. X X. Tertia Feria poſt Martini.

Martinus Luther.

ANNVS CHRISTI M.D.XXI.

VVENCESLAO LINCO.

Quærela de laboribus Prioris VVitembergenſis, ac de Papiſtarum odio & furore, aduerſus Lutherum. Recenſet autem Tragicum dictum Aleandri Pontificii Legati, ad Comitia Vuormatienſia.

IHESVS.

Salutem.

SAlutem. Conqueritur ſuper te, Prior noſter, Reuerende Pater, vno eodemq́; die Procurator noſter auffertur, & Supprior, vt ſolus ferat noſtrum onus, quod modo eſt maius quam antea, tamen in hac re vtriuſq; ſtudio cedo, Dominus dirigat nos omnes.

Præpoſitus Henningius obijt, Emſer in me furit Lipſiæ, alia non ſunt apud nos noua, Nam Hutteni opera in hanc rem ædita, credo apud vos eſſe. Expectamus autem quotidie noua ex Vuormatia, non optant Papenſes meum illuc aduentum, ſed ſimpliciter damnatum & perditum. Obitus Doct. Henningii Iuriſconſul.

Scribit Spalatinus, Aleandrum fuiſſe auſum dicere, Etiamſi vos Germani, qui minimum omnium dependitis æris Romano Pontifici, iugum ſeruitutis Romanæ excuſſeritis, tamen curabimus, vt mutuis cædibus abſumpti veſtro cruore pereatis. Hæc ille noua, Et hoc monſtrum ali in nos à Romanis ego ſemper dixi & ſcripſi, nunc vide, vt paſcat Oues CHRISTI, Papa. Vale Vitembergæ, Anno M.D.XXI. Dictum Aleandri.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

De Commento Lutheri, per quod vult publicari locum ſui Pathmi.

IHESVS.

Salutem.

SAlutem. Veniſſe ad te Literas meas credo, mi Spalatine, nunc alias & alia mitto. Audi etiam cōmentum meum. Quando iam rumor ita fortis ſit de loco meo, vt etſi non audeant aſſerere, non tamen poſsint diſſuaderi. Vellem hanc Epiſtolam incluſam ad te datam, tua vel tuorum ſtudioſa incuria, ſic amitti, vt in manus Aduerſariorum veniret, quaſi furtiuè & velut celando magno Sacramento. Atq; vtinam manus mea in manus Porci Dreſdenſis veniat, qui absq; dubio rem facile & libenter prodet. Tu vide quid conſultum videatur. Ego vt valeam cognoſces ex hoc Latore. Spero enim meliora. Vale in Domino. Ex Eremo. M. D. XXI.

Martinus Luther.

GEORGIO SPALATINO.

Aſſerit rumorem ſpargi de loco eius Pathmi, ac recenſet iram Ducis Georgii aduerſus ſe.

IHESVS.

SAlutem. Audio rumorem ſpargi, mi Spalatine, Lutherum agere in arce Vuartberg apud Iſenacum, atq; id homines ſuſpicari facit, quod illic in Sylua captus ſim, Sed dum illi ſic opinantur, ego interim hic tutus lateo, modo fratribus fides adſit qui circum me ſunt. Si me libri editi prodent, mutabo locum, mirum quod Boemiam nemo nunc cogitat.

Sanctus

Sanctus Georgius Dux Saxoniæ valde iraxit adhuc, vt audio, proficiat ſibi, atq; vtinam iraxere velit donec Papiſta eſt. Ego committo eum cum Landgrauia Haſsiæ, nunc Comitis Solmenſis vxore, ipſa nouit dignè tanto viro reſpondere, dum ſuis Legatis cõmiſit, vt Aui P. & matris F. P. recordaretur. Noſti ne quid illa Legatis eius reſponderit inter Comitia Vuormaciana, argutiſsima mulier? Erffordiæ Sathanas ſuis ſtudijs nobis inſidiatus eſt, vt noſtros mala fama inureret, ſed nihil perficiet, non ſunt noſtri qui hæc faciunt. Ita cum reſiſtere nequeat veritati, ſtulto ſtultorum in nos zelo cogitat infamare eam. Miror iſta ſuſtineri à Senatu eius oppidi. Ego iam bene habeo DEO gratia, & à Papiſtis ferior. Ora pro me ac vale. Placet illuſtriſsimo Principi noſtro nondum eſſe notum locum meum, nam hac ratione nihil ei ſcribo. Iterum vale ex loco meo. Anno M. D. XXI.

Ira Ducis Georgii aduerſus Lutherum.

Tuus Martinus Luther.

VVENCESLAO LINCO.

Reditus ſui verſus Vuitembergam, exponit cauſam fuiſſe tumultum Carolſtadii & Gabrielis, ac laudat Synodum Auguſtinenſium Eremitarum. Vaticinatur etiam de ſeditione in Germania futura, ac interſerit conſolationem illuſtrem, contra furores & minas Principum, ſe & ſuam cauſam ſeruatam iri.

IHESVS.

D Salutem,

Occaſio reditus Lutheri ex Pathmo Vuit.

Authores turbæ Vuitembergenſis.

SAlutem. Vt certus fieres me Vuitembergæ eſſe, Reuerende mi Pater in CHRISTO, volui hac manu mea ad te ſcribere. Sathanas fecit irruptionem in hanc Caulam meam, & docuit libertatem ſpiritus transferri in occaſionem carnis, & omiſſa charitatis ſeruitute, ſchiſmatibus pertinaciſſimis omnia confundere. Carlſtadius & Gabriel horum authores fuerunt monſtrorum, Et Gabriel quidem ſeſe agnoſcit, & in alium virum mutatus eſt, Ille quid ſit futurus aut facturus neſcio. Certum eſt, ei interdicere ſuggeſtu, quod ipſe temeritate propria, nulla vocatione, inuitis DEO & hominibus conſcendit. Ideo ſicut ex DEO non venit, ita ex DEO non docuit, & fructus ipſe probat, cuius verbum locutus ſit, & cuius gloriam quæſiuit. Quem DEVS miſit, verba DEI loquitur; Et iterum, qui gloriam quærit eius qui miſit illum, verax eſt. Hæc cauſa coëgit me redire, vt ſi CHRISTVS velit, hanc Scænam Sathanæ deſtruam.

Synodus Auguſt. Eremitarum, celebrata Vuitt. anno 1521. Dum eſſet in Pathmo Luthe.

Mirè placuit ſententia veſtræ Synodi. Neq; enim Spiritus ſanctus vnquam in Synodis Monachorum videtur fuiſſe, præter iſtam, Spero, quod DOMINVS cæperit ridere & ſubſannare Sathanam & ſeruos eius. Certè Sathan ipſe victus eſt, Victus eſt Papa cum abominationibus ſuis, vincenda eſt, (video) & nouiſsima & minima eius virtus, ſcilicet ira iſta Bullarum, quæ apud vos magnificè turgent. Nos credimus, CHRISTVM filium DEI, eſſe DOMINVM vitæ & mortis, quis ergo eſt quem timeamus? Primitias victoriæ habemus,

mus, & de Tyrannide Papali triumphamus, quæ antea Reges & Principes preſsit, quantò magis ipſos Principes vincemus & contemnemus. Non mentitur ille qui dixit, OMNIA SVBIECISTI SVB PEDIBVS EIVS. In eo quòd dicit, omnia, nonnè & irã Bullæ iſtius Dreſdenſis & omnium, qui Nurmbergæ modo fuerint? Tentent ſanè & pergant CHRISTVM deijcere, nos interim ſecuri ſpectabimus, vt Pater filium in dextera ſua poſsit ſeruare, à facie & cauda iſtorum Titionum fumigantium.

cuius Decretum extat in 2 Latino Tomo Ihenenſi Folio 496. L. b

Vehementer autem metuo, ſi pergant Principes audire ſtolidum illud cerebrum Ducis Georgij, futurum eſſe tumultum, qui tota Germania Principes & Magiſtratus perdat, & ſimul Clerum vniuerſum inuoluat, ſic enim res iſta mihi apparet. Vulgus concitatum eſt vbiq;, & oculos habet, vi premi nec vult, nec poteſt, DOMINVS eſt qui facit hæc, & has minas, & intentata pericula, abſcondit ab oculis Principum, imò per cæcitatem & violentiam eorum talia conſummabit, vt videar mihi videre Germaniã in ſanguine natare. Quare te per viſcera Chriſti oro optime Vuenceslae, Ora cum tuis nobiſcum, & ponamus nos murum contra DEVM pro populo, in iſto die furoris ſui magni. Res ſeria eſt quæ inſtat, & ſtolidũ caput illud Dreſdenſe nihil curat populorũ cauſam, modo ſuas inſanias & inueterata odia impleat.

Vaticinium Lutheri de tumultu in Germania, qui Anno 1525. ſecutus eſt.

Deinde ſi quid potes, ſatage, vt per Senatores veſtros moueantur Principes, modeſtè & ſine vi ſtatuere & agere, cogitent populos non eſſe tales modo quales hactenus fuerunt,

runt, ſciant gladium domeſticum ſuis ceruicibus certiſsimè impendere. Ipſi agunt vt Lutherum perdant, ſed certè Lutherus agit vt ipſi ſeruentur, Non Luthero ſed ipſis inſtat perditio, quam moliuntur, tantum abeſt vt eos timeam. Hæc certè in ſpiritu loqui me arbitror. Quod ſi omnino definita eſt ira in cœlo, vt nec orationibus, nec conſilijs, impediri poſsit, impetrabimus vt Ioſias noſter in pace dormiat, & mundus ſibi relinquatur in ſuam Babylonem.

Prophetia de morte Ducis Friderici Electoris, qui initio ſeditionis Ruſticorum poſtea obiit

Quid Chriſtus cogitet, neſcio, hoc autem ſcio, me in hac cauſa non fuiſſe tam animoſo & ſuperbo ſpiritu, quàm ſum modo. Et quanquam ſim expoſitus omni hora periculo mortis in medio hoſtium, ſine omni præſidio humano, nihil tamen æquè in vita vnquam contempſi, atq; iſtas ſtolidas minas Ducis Georgij, & ſibi ſimilium. Et erit hic ſpiritus (ne dubites) Dominus Ducis Georgij, & omnium paris ſtultitiæ, ſobrius hæc ſcribo & manè, piæ plenitudine fiduciæ cordis. CHRISTVS meus viuit & regnat, & ego viuam & regnabo. Vale chariſsime Venceslae, Feria quarta poſt Reminiſcere. M. D. XXI.

Conſidentia Lutheri.

T. Martinus Lutherus.

PASSIO DOCTORIS MARTINI Lutheri ſecundum Marcellum.

Habet hic iocularis libellus, ſeriam & veram hiſtoriam, Comitiorum Vuormacienſium, quæ prima fuerunt Caroli V. Imp. Rom. ad quæ per Fæcialem accerſiuerat Lutherum, vt de eius libris, & doctrina fieret diiudicatio. Acta ſunt autem Anno Domini M. D. XXI.

EGRESSVS

EGreſſus eſt Lutherus, trans flumen Rhenum, cum Diſcipulis ſuis. Et intrauit Vuormatiam, vbi habebat Comitia Cæſar.

Profectio Lutheri verſus Vuormatiam.

Scientes autem aduenisse eum, Principes ſacerdotum & Phariſæi, congregati ſunt in atrium Præſulis Moguntinenſis, qui dicitur Cayphas. Et cōſilium inierunt cum Legisperitis, vt non ſeruaretur ei ſaluus cōductus, ſed eum dolo tenerent & comburerent. Dicebant enim, hæreticus eſt, non poteſt ei dari liber commeatus, ſed debet capi & occidi, non autem diebus Comitialibus, ne forte fieret tumultus in populo.

Deliberatio aduerſariorum Lutheri, apud Moguntinenſem Epiſ.

Cum autem eſſet Lutherus in domo Commendatarij ſancti Ioannis, miſerunt ad eum miniſtri Pontificis, Caractiolus pædico & Aleander Iudæus, qui ſub oſculo pacis volebant eum tradere. Lutherus autem ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſsit & dixit, quem quæritis? Reſponderunt ei, Doctorem Lutherum, dixit Lutherus, Ego ſum, vt autem dixit Lutherus, Ego ſum quæſiuerunt an velit ire ad Caractiolum & Aleandrum Iudæum, vel ipſi vltrò ad eum venirent. Quibus reſpondit Lutherus, cotidie fui docens in templis & non me quæſiuerunt. Nunc autem cum eis loqui nolo, quoniam per me excommunicati ſunt, niſi velint publica diſputatione mecum concertare. Hoc vt illi audierunt, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram.

Legati Pontificis.

Tunc abijt vnus de Aula Prætoris, qui dicebatur Capra, ad Principes Sacerdotum & Papiſtas, & ait illis. Quid vultis

Emſerus Lutheri proditor

tis mihi dare,& ego vobis eum tradam?Et illi conſtituerunt ei magnam Ducatorum ſummam, vna cum certis magnis præbendis,prælaturis & dignitatibus,pro ſuo nepote, qui & tradidit eum.

Circa autem tertiam horam acceſſerunt ad Lutherum. Cæna Lutheri. diſcipuli eius dicentes, qua hora vis paremus tibi Cœnam? ait Lutherus,dicens,quinta, & fecerunt Diſcipuli ſicut conſtituit illis Lutherus,& parauerunt Cœnam. Veſpere autem facto, diſcumbebat Lutherus cum Diſcipulis & amicis, & edentibus illis,dixit:Amen dico vobis, multi ſunt in hac Ciuitate qui pro pecunia me tradituri ſunt, & veſtrum multi ſcandalum in me paciemini.Scriptum eſt enim, percutiam Paſtorem & diſpergentur oues gregis. Reſpondens autem vnus,dixit, etſi omnes in te ſcandalizati fuerint, nunquam tamen ſcadalizabitur Saxus,ait illi Lutherus,Amen dico vobis,ante duos dies ter me negabit,at illi dixerunt,etiãſi oportuerit nos tecum mori, non te negabimus. Lutherus autem dixit,vos eritis mecum in tribulationibus,ſed vſq; ad aras.

Altera autem die circa horam quartam, eo cum Diſcipulis ſuis loquente, Ecce Dominus de Papenheym venit, Lutherus ductus ad Prætorium. cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſſus à Prætore & Principibus imperij,& duxerunt Lutherum ad Prætorium. Et ipſi Papiſtæ non introierunt Prætorium, vt Lutherus cauſam diſputandi cum ipſis non haberet, Sed vt abſq; iuſta cauſa condemnaretur. Erat etiam ibi Annas Gurcenſius Cardinalis, ſed & Moguntinenſis, Erat autem

Annas

Annas qui dederat conſilium, quia expedit vnum hominem mori pro papiſtis, ne nequitiæ eorum manifeſtarentur, Et ne Romana nequitia deficeret. Saxus verò ſequebatur tardè, & venit in prætorium. Et ingreſſus intra ſedebat cum reliquis vt videret finem. Elector Saxoniæ Fridericus.

Principes autem Sacerdotum & Papiſtæ, quærebant falſum teſtimonium contra Lutherum, vt eum condemnarent & igni traderent, & non inuenerunt. Cum autem multi teſtes falſi acceſiſſent, nouiſsime autem illi duo nugigeruli, Ioannes Rabula, & Ioannes ab Eck officialis Treuerenſis, & dixerunt. Hic dixit Conſilium Conſtantienſe erraſſe, & Papam Antichriſtum, qui tamen peccare non poteſt. Falſum Teſtimonium contra Lutherum.

Et ſurgens Cayphas Moguntinenſis Præſul, ait illi, Quid reſpondes ad ea quæ iſti aduerſus te teſtificantur? Adiuro te per DEVM viuum, Confitere vera eſſe. Lutherus autem inconſternate reſpondit: Tu dixiſti: veruntamen dico vobis, poſſum ſacri Euangelij teſtimonio probare, quidquid à me libris æditis ſcriptum eſt. Et niſi conuictus ſacris literis aut euidenti ratione fuero, non reuocabo. Si male locutus ſum: teſtimonium perhibeant de malo, doceant melius, paratus ſum enim ipſe libros meos igni tradere. Si autem bene, Cur me cædunt? Cur non audiunt? Cur non reſpondent? Moguntinenſis Epiſcopi interrogatio.

Tunc Moguntinenſis Cayphas excandeſcens dixit, blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur? At illi ſimul reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis: tunc expuerunt in terram & nolebant Epiſc. Moguntinenſis ira.

bant eum amplius audire, quia ei contradicere non poterant. Alij autem clamabant dæmonium habet.

Puſillanimitas Electoris Friderici.

Saxus autem ſedebat cum alijs: & acceſsit ad eum Præſul Leodienſis & dixit, Et tu Lutheranus es? At ille negauit coram omnibus, dicens, Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo Ianuam, vidit eum Cardinalis Sedonenſis & ait his qui erant ibi, Et hic Lutherum nutrit in patria ſua: At ille negauit coram omnibus, dicens, Neſcio hominem hunc. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant & dixerunt: Saxo, vere & tu Lutheranus es, Nam & verba tua ſæpe te manifeſtant. Tunc cepit aſſerere, alia ſemper habuiſſe negotia, quam vt hominem curaſſet. Et continuò factus eſt veſpere & mane dies ſecundus. Et recordatus eſt Saxus, verbi illius quod dixerat ante duos dies, ter me negabit. Et egreſſus foras dixit, quod contra omnem hominem velit eum defendere.

Actio Lutheri coram Epiſcop. Treuerenſi.

Mane autem facto, conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Papiſtæ, aduerſus Lutherum, vt eum igni traderent. Et adduxerunt eum & tradidernut Træuerenſi Præſuli. Lutherus autem ſtetit ante Pręſidem, & interrogauit eum Præſul, dicens. Tu es Euangelij Doctor & veritatis? Et dixit Lutherus, A temetipſo hæc dicis, an Romaniſtæ tibi dixerunt de me? dixit Præſul, Nunquid Romaniſta ego ſum? Ipſi qui non poſſunt pati veritatem Euangelicam, & dicta Pauli, te mihi tradiderunt. Quid feciſti? Lutherus ſanè Chriſtiane reſpondit, Scripta mea non ſunt de hoc mundo, ſed ex DEO. Si Papiſtæ conſiderarent Euangelicam veritatem & dicta

Confeſſio Lutheri coram Epi. Treuerenſi.

dicta Pauli, tibi per eos non fuiſſem traditus. Ait Treueren. Præſul, Ergo Doctor Euangelicæ veritatis, & ſancti Pauli es tu? Reſpondit Lutherus, Tu dicis, Ego enim ad hoc natus ſum, & in mundum veni, vt verba Euangelij & ſancti Pauli ad priſtinum & verum intellectum reſtaurare debeam. Cum per Papiſtas ſint in eorum fauorem & vtilitatem Romanæ curiæ huc vſq; detorta, in maximum præiuditium & incommodum Germanicæ nationis. Si enim Germanica natio verba mea audierit, & ſeruauerit, liberabitur è faucibus Romaniſtarum & Curtiſanorum.

Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum & Romaniſtarum, nihil niſi Chriſtianè reſpondebat. Tunc dixit ei Treuir. Non vis cōmittere ſcripta tua Iudicio Cæſaris & Procerum? Lutherus autem ita ad omnia reſpondebat, vt miraretur vehementer Præſul Treuerenſis: Et dixit ad Lutherum, Quid eſt nequitia Romaniſtarum & Papiſtarum? Et cum hoc dixiſſet, ex illa hora quærebat liberare eum. Sciebat enim quod per inuidiam tradiderunt eum Principes Sacerdotum & Papiſtæ. Et dixit Treuerenſis Epiſcop. Ego nullam inuenio in eo cauſam mortis, vultis dimittam eum. Et ipſi clamabant, non, Si dimittitur iſte, tota Romana curia vna cum Papiſtis & Curtiſanis depauperabitur. Non poteſt vlterius ſuſtineri Trias Romana.

Treuerenſis Epiſcop. pietas.

Sedente autem Prætore pro Tribunali, venit ad eum Vxor eius, hoc eſt, Germanica Natio, dicens, nihil tibi & Iuſto illi, quoniam hac nocte multa paſſa ſum, propter eum.

Et ſi combiuretur, tota Germanica libertas pateretur propter eum. Principes autem ſacerdotũ & Papiſtæ ſuadebant Prætori, vt Lutherum perderet, dixit Prętor, Quid faciam de homine verè Chriſtiano, docente veram doctrinã Euangelicam, volente liberare nationem Germanicam, à laqueis & retibus Romaniſtarum & Curtiſanorum? Dicunt omnes, comburatur. Ait Prætor, quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes, comburatur, comburatur. Attende tu. Si hunc dimittis non es amicus Romani Pontificis, ipſe tibi præſtabit auxiliũ contra Galliam. Præterea legem habemus & ſecundum legem debet mori, quia ſcripſit nequitias Romani Antichriſti & omnium Curtiſanorũ. Dixit illis Prætor, Accipite ergo eum vos, & ſecundũ legem veſtrã comburite. At illi reſponderunt, Nobis in imperio Germanico nõ licet interficere quenquam. Si eum haberemus Romæ, poſſemus eum facile intoxicare. Tunc videns Prætor, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret in populo, hoc eſt inter Romaniſtas, quia magnam expoſuerunt pecuniã, præpoſituras & alias dignitates. Accepta aqua lauit manus ſuas coram populo dicens: Innocens ſum ego, à ſanguine verè Chriſtiani huius, vos videbitis. Et reſpondit vniuerſus Clerus & Romaniſtæ dicentes. Sanguis eius ſuper nos & Curtiſanos noſtros.

Furor Papiſtarum contra Lutherum.

Tunc Prætor tradidit eis libros Lutheri vt comburerentur. Sacerdotes autẽ acceperunt eos. Et poſtquam abſceſsiſſent omnes Principes & vniuerſus populus à comitijs, conſtruxerunt ingentem piram ante atrium Pontificis, vbi combuſſerunt

Libri Lutheri comburuntur.

buſſerunt libros, & impoſuerunt ſuper caput Imaginis Lutheri cauſam ipſius ſcriptã. HIC EST MARTINVS LVTHERVS DOCTOR EVANGELII, & id fecit quidam de ordine prædicatorum, & ſecta Bernenſium & hæreticorum. Et combuſti ſunt cum eo duo alij Doctores, Hutenus & Carolſtadius: vnus à dextris & alius à ſiniſtris. Imago autem Lutheri nullo modo potuit comburi, donec milites plectentes eam, impoſuerunt illam in vaſe piceato, vbi igne conſumpta eſt, & in tenues euaſit fauillas.

Comes autem quidam viſis hijs quæ fiebant, miratus eſt valde, dicens: Vere Chriſtianus eſt iſte: & omnis turba quæ ſimul aderat, videntes ea quæ fiebant reuertebantur percutientes pectora ſua. Altera autem die conuenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi cum Romaniſtis ad Prætorium, dicentes, Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit, ſe poſtmodũ velle grandiora ſcribere, Iube ergo per totum imperiũ cuſtodiri, ne libri eius venales habeantur, ne forte nouiſsimus error, peior fiat priori. Ait illis Prætor, habeatis vos cuſtodiam: Ite prohibete Bullata, ſicut ſcitis per veſtram falſam excommunicationem. Ipſi autem abeuntes emiſerunt horribilia mandata ſub nomine Romani Pontificis, & Prætoris, quæ ipſimet ædiderunt ad libitum eorum. Quibus vſq; in hodiernum diem non obeditur. Videbunt inquem transfixerunt.

Edicta Prætoria contra Lutherum.

DIALOGVS

KARSTHANS ET KEGELHANS.

Kegel. VNde modo Karſthans: aut qua regione locorum
Hactenus ignaris latuiſti tectus amicis?
Non modicus certè timor omnes cæperat: aut te
Vi captum hoſtili, aut aliàs immania paſſum.

Karſt. Ni vigil inſidias cauiſſem: forte baratro
Carceris incluſus gemerem, vel mortuus eſſem:
Cauſa mihi in tantum nocuit ſuſcepta Lutheri.

Kegel. Quapropter Karſthans dic quæſo? nam libet iſtuc
Scitari de te: & quodcunq; eſt dicito: miror
Tam bona ſi potuit quicquam tibi cauſa nocere.

Karſt. Hoc ipſum inprimis vel nobis obſtitit: illa
Quod bona: nec facilis deuictu viſa Sophiſtis:
Qui vellent emptum precio quod nequior eſſet.

Kegel. Credo equidem: nam ſunt tales quicunq; Sophiſtæ
Quos noui: vt cauſam ventris plus dogmate legis
Defenſam cupiant: Pereat ſcriptura: quid ad nos
Dum ſolito (dicunt) moderemur fræna popelli:
Plebeioq; grauis ſit noſtra crumena labore?
Quid quod de vita clamant quæcunq; beata:
De morte æterna: de purgatorio: & ipſis
De vitijs quicquid ſeu de virtute: decemq;
Præceptis iactant: nihil eſſe hæc omnia dicunt:

Sed

Sed tacitè:vt nullus niſi conſcius audiat illa:
Quod facile hoc ſigno prudens deprenderis vno:
Cum fas eſſe negant veſci tibi lacte vel ouo:
Carnibus hic ipſi tunc commeſſantur opimis.
In venerem tragicè declamant:clunibus ipſi
Nec parcunt: fraudare vetant:fraudare laborant.
Vim prohibent alijs:nec tandem inferre ferentur
Infirmis: ipſi pacem perferre grauati:
Quid dubitas vltra?cum dictis ſancta reclament
Omnia doctrinæ nec conſona vita loquatur:
Ipſi aliud dicunt:aliud ſub pectore condunt.
Hem ſatis eſt Kegelhans:ne quis nos audiat illo Karſt.
De grege:qui ſcripta nobis à iudice dica
Illius obtorto trahat ad ſubſellia collo:
Dum licet ignoti tacitè redeamus ad agros.

EPISTOLA D. MARTINI LVTHERI, ad Eccleſiam Vuitembergenſem, Scripta ex Pathmo.

Lutherus ex vinculis & Pathmo,ſuã ſolicitudinem & curam pro Eccleſia Vuitembergenſi exponit,ac hortatur vt Vuitembergenſes odia,inuidentiam,ignominiam,contumelias & conuitia aduerſariorum vili pendant. Enumerat autem ſuam conſtantiam,quod in Comitiis Auguſtanis, anno M.D.XVIII.ac in Lipſica diſputatione anno M.D.XIX. & in Conuentu Imperiali anno M.D.XXI.Vuormatiæ celebrato,ſuæ doctrinæ rationem reddiderit. Et prædicat ſuam doctrinam diuinitus gubernatam &

conſeruatā eſſe. Conquerituró, de Aduerſariorū ſuorum inſidiis, & quod teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, ſuam doctrinā oppugnare vel confutare non potuerint. Deplorat igitur miſeræ Eccleſiæ ſortem, quod ab eiusmodi Thraſonibus & Calumniatoribus conquaſſetur: & inſtituit cōſolationem ex Pſalmo 36. quem eleganter interpretatur, vt calumnias & conuitia hoſtium ſuperet.

IHESVS.

Solicitudo Lutheri Pro Eccleſia Vuitembergenſi.

GRatiam & pacem à DEO patre & Domino IHESV CHRISTO. Sanctus Paulus Apoſtolus cum multis iam locis prædicaſſet CHRISTVM, & tandē Romæ cōiectus fuiſſet in carcerem, curam & ſolicitudinem pro Chriſtianis à ſe conuerſis ne vinctus quidē deponere potuit, dum eoſdem aſsiduis precibus DEO cōmendat, & conſolationibus è Scriptura petitis recreat atq; confirmat, cuius rei documento ſunt eius epiſtolæ. Quo exemplo inductus & ego (quandoquidē nullus nobis reſtat ſcrupulus, verum à nobis auditū & cognitum eſſe Euangeliū, quod per me miſerū vobis reuelari DEVS voluit) non poſſum non animo eſſe ſolicito pro vobis, ne nobis abſente, lupi irrumpentes ouile, impia doctrina prophanatū deuaſtent. Et quanquā gratia Dei pro me innumeri & boni & docti penes vos agant, vt ſuperuacanea hæc mea cura videri poſsit, fauoris tamen Euangelici eſſe opinor, etiā ſuperfluè & citra cauſam teneri ſolicitudine.

Odia & contumeliæ aduerſus Lutherum.

Nondum digni habemur, cumprimis vero ego, vt aliquid veritatis nomine pateremur præter odium & inuidentiam, ignominiam & contumelias à Papiſtis illatas. Tametſi (niſi

Deus

Deus illorũ obſtitiſſet hactenus conatui) quantum ad cruentos illos ſicarios & animicidas attinebat, iamdudũ ab ipſis, ſicut Dauid Pſalm 123. inquit, dentibus contriti fuiſſemus & comminuti. Quamobrem aliud grauius non tulimus, quàm quod Vuiclefiſtas, Hulſitas, & Hæreticos nos proclamarint, probris id genus ſexcentis nos proſcidentes. Et cum alia ratione nobis incõmodare nequeant, in hoc tamen animo ſuo morem gerere volunt interim, dum probroſis conuitijs famam & nomen noſtrum cõtumelioſè denigrant. Sed fruantur ſanè hac ſua peccandi licentia. Eſt ſupra nos qui hæc iudicaturus eſt Deus. In hoc gloriari poſſumus, cuius illos hactenus puduit & piguit, nimirum quod nos lucem nunquam ſubterfugerimus, quam ipſi in hunc vſq; diem nõ ſecus abominati ſunt, atq; Satanas iudicij ſupremi ſententiam.

Quod enim iam ter non coram amicis meis, ſed coram aduerſarijs mihi infenſiſsimis fidei noſtræ rationẽ redditurus apparuerim, non ſine magno animi ſui dolore fateri coguntur etiam inuiti. Primùm quidem Auguſtę Caietano me obtuli, inimicorum meorum peſsimo, qui nihil perinde fugitabat, atq; doctrinæ meæ rationem audire, maluiſſetq; me nunquam adueniſſe. Deinde quod multis compertum eſt Lipſiæ his me examinandũ & audiendum obieci, qui conſpectum noſtrum non bene ferre poterant, quibusq; pro fraude intentata nihil fœliciter ſuccedere voluit. Vltimo tandem Vuormatiæ, vbi tantum me ſubmiſeram, vt etiam fidem publicã mihi datam, ſaluti meæ poſtponere paratus fueram. *Constantia Lutheri, in confeſsione ſuæ doctrinæ.*

Quo

Papiſtarum dedecus & confuſio.

Quo verò ibi non ſunt affecti dedecore? Sperabam profecto, vt Epiſcopi & Doctores acuratiori habita indagine, ſingula diligentius ex me perquirerent, nihil non penſiculantes & perſcrutantes rimatius, quorum tamen alia non audiebatur vox & poſtulatio, quàm quod prædicatæ à me doctrinæ palinodiã canerem. Quorum veſano cõſilio, ſi omnes Germaniæ Principes & ordinũ proceres adiectis conſenſiſſent calculis (erant enim qui ſuffragium non addebant) extremè me puduiſſet Nominis germanici, quod ſe Papiſticis Tyrannis ita vltrò deridendum & dementandum deuouiſſet. Omnis enim rerum cardo vertebatur ab Aduerſarijs, id quod obſcurum erat nemini.

Miracula Dei in gubernatione doctrinæ Lutheri.

Nunc vero has tres ſubmiſsiones & apparitiones non vt à nobis factas iacto, ſed vt gratiam Dei cognoſcamus & laudibus extollamus, certa fidutia animo noſtro obfirmato, qui noſtros inimicos audacia diſpoliatos ita exanimauit metu, vt vnicum mendicum coram audire apertoq; Marte oppugnare nõ ſuſtinuerint, ſed vitata luce veluti Veſpertiliones & Nycticoraces, in tenebris volitantes, turpiter vlulant, putantes hac ratione nos metu conſternatum iri.

Prouocatio Lutheri.

Quando verò illorum aliquis tanta animo ſumpta audacia, etiam ad nos Vuitembergam venire non dubitaret eiuſmodi oblatione propoſita. Quod admodum illos deceret, vt qui ſuam doctrinam longo interuallo noſtram præcellere iactant identidem, quo perſpicuum fieret omnibus, ſe non tantum ventoſa lingua multam venditare eruditionem

more Thraſonico,ſed reuera doctos eſſe,& ingenio exculto præditos eſſe.Et cum pro iudicibus & paſtoribus vulgo probari volunt, & nos tanto ſupercilio condemnant, æquum eſſe videtur pro paſtorali officio,vt nos oppugnarent, & fidem ſuam gnauiter propugnarent.

Quid vero faciunt? Maior quidem pars penes illos eſt, apud nos minor. Potentiores ſunt, nos ſubiecti. Ipſi eruditi, nos indocti.Ipſi Chriſtiani & Catholici,nos Hæretici.Ad hæc ſi quem animo timorem conceperunt, publicæ fidei miſſo diplomate,hoſpitio & impenſisnoſtris excipientur tutiſsime, tantum, vt meliorem & ſaniorem, ſi poterint, viam nobis commonſtrent,ſed hæc nequicquam omnia: Manent enim domi apud ſuos,ibi concludunt,iudicant, damnant pro animi libidine quicquid illis viſum fuerit, nondum audita parte diuerſa.Nihilominus poſt hac clamant & dictitant ſe probos eſſe & Chriſtianos homines, legitime rem agentes, adeo vt iſtic in vniuerſum omnes à perfrictis frontibus pudorem abſterſiſſe iurare ſanctiſsimè non dubites. Quam dedecoroſis conuitijs noſtras obuerberarent aures,ſi eius iactantiæ vel tantillum habere poſſent. Illis verò hoc ipſum dedecus non probro,ſed laudi tribuendum eſt.

O calamitoſam & deſertam Chriſtianorum fidem,quæ tam lucifugas blattas & perditos adeò propugnatores ſortita eſt,qui tantum clamore plus quam ſtentoreo & intenſo boatu in harena ſoli magnificè (vt Thraſonũ mos eſt ridiculus) ſemetipſos efferunt,vno vero aliquo obuiam ire parante, Sors miſeræ Eccleſiæ

in fugaces pedes coniecti, abiectis haſta & clypeo turpiter ſe proripiunt. Cumq; his omnibus parum proficiũt, nullius precij homuntiones, vitiligatores ſubornant, qui ſcriptis infamibus procaciter nos impetant, ſperantes futurum, vt hoc illorum dedecus, corã populo honeſtè hac calumniandi ratione tegatur. Quanquam non ignorent hos ipſos à ſe fruſto panis cõductos conuitiatores, ad hanc rem nihilo promptiores eſſe, quàm Aſinos ad Lyram, aut pulſandam Cytharam. Quum itaq; ipſi Scripturæ ariete impetiti, confiteantur ſe ſacris literis tueri non poſſe, opinor poſthac miſeris hominibus hanc rem vitio vertendam non eſſe, ſi ignominiam ſuam & dedecus, relicta ſcripturarum defenſione, maledicendi ſtudio & linguæ blaſphemæ virulentia, ſolentur. Quamobrem ego liberam illis maledicentiæ ingerendæ licentiã relinquam, donec defatigati ipſi vltrò male loqui deſinant. Satis ſuperq; eſt nos ſcriptura rem agere, illos non item, & nos in harena verſari publica, illos verò grunnire & gannire in angulis. Quam honoris prærogatiuam, quando ita volunt, ipſis libenter concedimus.

Papiſtarum conuitiatores.

Vt tandem verò ad id à quo digreſſus ſum regrediar, Quoniam vobis Vuitembergenſibus communis contumeliæ iniuria mecum ferenda eſt, & vos eadem animi magnitudine non eſtis præditi omnes, vt horum infirmitati conſulerem, conſolatorijs literis eoſdem erigere & refocillare ſtatui, ne nobis abſentibus, viris hiſce ceruinis aut leporinis auditis & conſpectis, abiecto animo trepidaretis.

Conſolatio Lutheri ad Eccleſiam Vuitembergenſem.

Quia

Quia verò is non ſum, qui, vt Paulus ex proprij ſpiritus diuitijs,aliquid tale queat expromere, ſcripturam in manus ſumpſi,quàm Paulus Rom.15.conſolationis affirmat eſſe pleniſsimam. Præ cæteris itaq; Pſalmum trigeſimum ſextum breuibus ſcholijs illuſtratum ad vos miſi, huic rei, niſi meus me plurimum fallat animus,maximè congruentem, quod magna ſuauitate feruentis iræ æſtum in aduerſarios & conuitiatores temerarios,conceptum, mitiget atq; componat. Quandoquidem hoc naturaliter dolorem nobis adfert non mediocrem,dum homines maligni nedum illotę linguæ conuitijs nos impetunt, morem animo ſuo gerentes, ſed & iuſti eſſe, & honorem ex hoc auferre contendunt. Ad hæc dum ad tempus malitia ſua ſuperiores ſunt, donec dies illorum exitio deſtinatus illuceſcat. Scholia Lutheri in 36. Pſalmum.

Nemo verò in dubiũ veniat,noſtros aduerſarios eos eſſe, qui hoc in Pſalmo notati perſtringuntur, & nos quoq; eos eſſe, quibus hinc petenda & accipienda eſt conſolatio. Nos enim ab Euangelio ſtamus, & ſcriptura,cuius intelligentiam habere firmiter credimus, quam ipſi omnibus modis timẽt, deuitant et fugiunt,pertinaciter veritatem calumniantes. Sed abeant in malum cruciatũ peſsimi, qui ſi veritate digni fuiſſent habiti,iampridem ex tot meis ſcriptis haud dubiè ad ſaniorem mentẽ fuiſſent conuerſi. Illos ego doceo & ingeſtis conuitijs τὰ δίδακτρα mihi perſoluunt. Rogantem me illos, ſubſannant. Obiurganti iraſcuntur. Orantem pro eis abijciunt. Veniam erratorum illis à me condonatam recuſant. Me pro Vſus huius 36. Pſalmi.

illis mori paratum execrationibus deuouent. Quid præterea mihi faciendū putatis, quàm quod Chriſtus dicit, Pſalm. 108. Et dilexit maledictionem, & venit illi: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et indutus eſt maledictionem, ſicut veſtimento ſuo, &c. Cuicunq; Cœlos aſcendere deſtinatum non eſt, hic nulla ratione ſurſum ſubtrahetur. Qui verò cœleſtis tabernaculi hæres electus eſt, hic non poteſt non aſcendere, vel reluctantibus omnibus inferorum portis. Paulus ſuadet hominem pertinaciter Hæreticum, poſt vnam aut alteram admonitionem deuitandum eſſe, vt inuerſum & iam iuditio obnoxium. Pro miſeris tamen & ſimplicibus qui per hos ſeducuntur, indeſinenter orandum eſt, donec eoſdem è faucibus animicidę Romanenſis & Apoſtolorum eius ereptos, in libertatem aſſeruerimus. Sequitur Pſalmus.

Pſalmus. XXXVI Dauidis. Pro ſedanda iracundia in aduerſitatibus ab impijs hominibus illatis.

NOLI CONTENDERE CVM MALIGNANTIBVS, NEQVE ZELAVERIS FACIENTES INIQVITATEM.

Iracundia Chriſtianorum refrenanda.

Quàm verè præcipuam in hac tentatione humani cordis curam, ſtatim ab initio attingit Propheta, dum omnem iraſcendi occaſionem ſubmouet, inquiens, Iracundia quidem ardes ô homo, & videris tibi iuſtam, ſtomacho indulgendi cauſam obiectam eſſe. Neq; negare poſſum malos eſſe

tuos

tuos aduerſarios, qui tibi multifariam inferunt iniurias, ita vt natura teſtetur non iniuſtam excandeſcentiæ anſam hic ſibi præbitam eſſe. At non ſic dilecte mi anime, ſed magis concede & operam da, vt ſubiugata & refrenata carnis natura hic regnet Gratia. Coercita animi commoti iracundia te compone placide. Sine, vt mali ſint, ſine, vt malum tibi dent, Tu vero me audi, & nullo adficiere incommodo. Ad hæc tum reſpondet homo. Quando vero afflictionum finem videbo? Quando redibit iterum tranquillitas? Quis læſa toties patientia tandem non frangatur animo? Reſpondet ille.

Obiectio de fine adflictionum:

QVONIAM TANQVAM FOENVM VELOCITER SVCCIDENTVR, ET SICVT HERBARVM GERMINA DECIDENT.

Elegans & apta rei huic comparatio, hypocritis terribilis, adflictis vero conſolatoria. Quàm commodè nos ab oculis noſtris ſublatos in conſpectu Dei collocat. Ante noſtros enim oculos hypocritarum turba floret, viget & magno incremento augetur indies, totam terram numeroſitate ſua contegens, ita, vt ipſi ſoli adeo ſuſpicienda authoritate fulgeant, perinde, vt viridantia gramina tellurem denſitate obductam diuerſi coloribus floſculis exornantia. Corā oculis Dei verò quid ſunt? Fœnum quod iamiam falce parata ſecandum eſt. Et quo altius gramen excreuerit, hoc propius certiuſq; falcem & raſtros habet. Ita quoq; quanto altius, latius & fortius omni rerum ſucceſſu augentur, & ſuperiori faſtigio ſunt

Imago Hypocritarum & impiorū

Impii fœno comparantur.

impij, tantò propinquius deſtinato obruentur exitio, Cur igitur iraſcaris, cum illorum veſanæ temeritati puſillum tempuſculum ſaltem conceſſum ſit? At inquis, quid interea temporis mihi faciendum eſt? cui innitar, donec hæc videro? Audi magnam promiſsionem.

3 ET SPERA IN DOMINO, ET FAC BONVM, INHABITA TERRAM ET PASCERIS IN DIVITIIS EIVS.

Hic omnem adimit ſolicitudinem, & cor in tranquillum collocat, ac ſi diceret: Dilecte fili, omni depoſita ſolicitudine, de referenda vltionis talione ne cogites, ne quod illos malè vrat comminiſceris. Quin has & eiuſmodi cogitationes è corde euelle radicitus, Sunt enim humani animi cogitationes non bonæ, ſed tua in Deum erecta fidutia, quid ille facturus ſit expecta. In itinere ſemel arrepto perge ſtrenuè, nec cuiuſquam malitia à benefaciendo te dimoueat. Sed quemadmodum cepiſti, benefacere ne ceſſes, & cuicunq; tua opus erit opera, ne deſis. Et ne quo modo malum pro malo reddas, etiam atq; etiam caue, ſed tua bonitate malum exupera. Quod ſi etiam apud animum tuum ſtatueris, relictis perſecutoribus mutatione ſoli aliô migrare velle, vt diuellerentur à te, ne hoc quidem faciendum ſuadeo. Sed manens in terra patria, viue, vt ſueuiſti. Propter illos mutato manſionis tuæ loco, incerta ſede ne vagator, ſed fide temetipſum confirma, negotij tui commertium exercendo & laborando vt prius.

In Patria manendum

Si tibi

Si tibi grauiter læſo fugiendi occaſionem dederint,nulla ador nata fuga,in fide perdura, certa ſpe animo concepta, Deum te non eſſe deſerturum. Quæ tuæ partis ſunt tantum facito, laboribus tibi tuiſq; victum parando, nihil addubitans, etiamſi in vno aut altero tibi obſtiterint, teq; ab officio retraxerint impedimento obiecto. Deus cui fidis alibi hoc diſpendij duplo reſartiet, quemadmodum Abrahamo, Iſaac & Iacob feciſſe legitur, quos eodem malo tentatos eſſe nouimus.

Opera vocationis facienda.

ET DELECTARE IN DOMINO, ET DABIT TIBI PETITIONES CORDIS TVI. 4

Hoc eſt,ne grauiter feras DEVM ita tecum agentem, nec tibi eius diſpliceat voluntas, ſed in ea oblectare, perinde, vt in optima ac diuina voluntate,ita fiet, vt hanc eius obtineas promiſsionem, Dabit tibi omnes cordis tui petitiones. His impetratis, non video quid præterea exigere aut poſtulare queas. Tantum vide,vt pro moleſtia aduerſariorum impro bitate obiecta,in voluntate Dei beneplacitum tuum quæſita voluptate exerceas. Hinc illi nedum tibi non nocebunt,ſed & cor tuum pacatum & tranquillum hanc Dei promiſsionem expectabit in lætitia.

In voluntate Dei acquieſcendum.

COMMENDA DOMINO VIAS TVAS, ET SPERA IN IPSO, ET IPSE FACIET. 5

Non

Non quod tibi otium ſit agendum, ſed viam tuam, opus tuum, verbum & negotium tuum Deo commenda. Ne teipſum vlciſcaris, Deo enim hæ partes relinquendæ & commendandæ ſunt. Quicquid verò nos fecerimus, tametſi hoc hypocritarum calumnijs exagitabitur, contemnetur, aut impeditum fuerit, animi magnitudo propterea amittenda non eſt, aut agendum remiſsius, ſed ſtrenuè pergendum, illis interim ſuæ temeritati relictis, Deoq́; noſtræ cauſæ commendato negotio, haud dubie quod bonum, quodq́; ê re noſtra erit facturo.

ET EDVCET QVASI LVMEN IVSTITIAM TVAM, ET IVDICIA TVA SICVT MERIDIEM.

Hæc vnica mollium & effœminatè trepidantium cura eſt erga temerarios, qua tenentur ſolliciti, ne illorum cauſa per vim oppreſſa vnquam in iudicium veniat, cum videant paruis diuerſæ aduerſarios pro animi ſui efferata libidine potenter furere, & in omnibus primas tenere. Quamobrem nos conſolatur, inquiens, Sine mi anime, vt te & cauſam tuam obnubilent, & imbribus multis obſcurent aduerſarij, & in conſpectu mundi prorſus in nihilum redactam, tenebriſq́; & ſilentio ſepultam aboleant, illorum altè ſublata, ita, vt ſoli regnent, ſoli iuſti videantur & recti. Tu verò, ſi tua cauſa DEO Patrono fideliſsimo cõmendata, ipſum expectaueris, certus eſto, iuſtitiam & iudicium tuum in obſcuro eſſe non poſſe. Manifeſtanda enim eſt omnibus tua innocentia & cognoſcenda,

Conſolatio contra ꝑpiorum ſolicitudinem.

gnoſcenda,veluti meridies celari non poteſt, vt omnes hi pudefiant à quibus oppreſſus & obnubilatus es. Sola expectationis patientia opus eſt, ne per tuam excandeſcentiam & animi dolorem DEO ſis obſtaculo. Proinde iterum monet,

EXPECTA DOMINVM ET EXPECTA IPSVM, NE 7.
CONTENDAS CVM PROSPERANTE IN
VIA SVA, CVM VIRO FACIENTE
SCELERA.

Proſperitas impiorum.

Q.d.Hoc tibi moleſtum eſt, quod æquitate cauſæ ſuperior, nihilo tamen minus fœlicitate & ſucceſſu inferior ſis,& vides Iniquis iuxta animi ſui ſententiam omnia proſperè ſuccedere, vt inde Germanis vulgo iactatum hoc fluxiſſe videtur prouerbium, Je gröſſer Schalck / je beſſer glück, hoc eſt: Quo deterior,hoc fœlicior. Atqui ſapiens eſto mi fili, deſyderium cordis tui quoq; veniet, & multo quidem fœnore, ne te impiorum fœlicitas commotum reddat, ſed ad Dominum ſtent oculi tui. Tempus proſperitatis tuæ quoq; accelerat, fortuna in melius commutata.Iniquorum proſperitas non poteſt non prior eſſe, donec completa fuerit. Interea ex ſolo DEO tibi pendendum eſſe intelligis, in eo oblectatio quærenda, & cor tuum voluptate recreandum, vt eius tibi voluntas arrideat,ne quo modo operi ſuo in te & aduerſario tuo impedimentum inijcias. Quemadmodum faciunt hi,qui non prius quieſcunt, donec cauſam ſuam,aut

vi defenderint, aut funditus amiſſo vnà cum re conſilio perierint. Hebraica veritas quiddam hic loquitur elegantius & vehementius, ſic enim habet לַיהוה וְהִתְחֹלֵל לוֹ דּוֹם ideſt, Sile Domino & formare ei. Quemadmodum ἔμβρυον aut fœtus in vtero materno conceptus, Deo ſe fingendum formandumq́; debent committere, ita tu quoq; hoc in caſu in DEO conceptus es, qui te ſilentem & permittentem ſe formari, recta forma induere, ſtatuit.

8. DESINE AB IRA, ET DERELINQVE FVROREM, NE CONTENDAS VT MALIGNERIS.

Admonitio contra vindictæ cupiditatem.

Vide verò, quanta diligentia nos monet, ne malum malo penſemus, quæ hominum natura eſt. Et quid adiumenti præſtat hæc ira? Cauſam tantum deteriorem facit & impeditiorem. Et quanquam fieri poſsit, vt tu ſuperior euaderes deuictis aduerſarijs, quid ex hoc tibi lucri accedere queat non video. Diuino operi moram inieciſti & obſtaculum, qua improbitate eius excidiſti gratia, malefactoribus tuis per omnia par redditus, cum quibus vnà quoq; tibi pereundum eſt, vt ſequitur.

9. QVONIAM MALIGNI EXTERMINABVNTVR, EXPECTANTES AVTEM DOMINVM, IPSI HÆREDITATE POSSIDEBVNT TERRAM.

Parum

Parum te excuſabit, quod diſsidij author non extiteris, aut quod laceſsitus reſtiteris. Eſt enim citra exceptionem communis pronunciata ſententia, eum eſſe exterminandum & eradicandum qui malefecerit, ſiue laceſsitus, ſiue animi malitia ad hoc inductus. Hoc ipſum quoq; per totum mundum coràm videmus perluſtratis Hiſtoriјs. Qui verò DEVM expectauerit, perdurabit atq; perſiſtet omnibus malefactoribus peſſumeuntibus. Tantum expectatione, vt dixi, opus eſt. Siquidem iniquorum vſque adeo matura eſt malitia, vt nemine eoſdem profligante & impugnante, tamē ſua ipſorum opera ſubito intereant. Et quæ illorum eſt inquieta improbitas, fieri non poteſt, quin tandem ſuam ipſorum pernitiem alicuius infortunij per temeritatem excitati, tumultum exſuscitent, quo omnibus videntibus vel cum puluiſculo, quod aiunt, deuorabuntur. Maturum enim gramen non poteſt non victum ariditate fœnum fieri, etſi in ſeipſo ſuper radicem ſibi eſſet araſcendum. Malus vero homo & peruerſus nemini perinde malus & damnoſus eſt, quam ſibijpſi. Hoc latrones, fures, ærarij publici compilatores, tyranni, & quiq; facinoroſi planum faciunt.

Maleſactores eradicandi.

ET ADHVC MODICVM ET NON ERIT IMPIVS, 10.
ET QVERES LOCVM EIVS, ET
NON INVENIES.

Superius dictorum explicationem hic ſubijcit: Quod ſint tanquàm gramen quod iamiam Fœniſecarum falcem ex-

Explicatio iſtius dicti, quod impii ſint tanquā gramen.

perturum eſt, vt noſtra ſedetur ſolicitudo, quæ timet, ne iuſto longius impiorum furor producatur. Sed dicis, Atqui iniuſtos plerunq; videmus longam ætatem in lauta parte exigere, eoſdemq; è vita ſublatos ſepeliri honorifice? Reſpondeo: Hoc inde fit, quod pars diuerſa ſecundum hunc Pſalmum non vixerit, ſed cauſam ſuam ira, furore, inuidentia, vindictę cupiditate, querimonijs, & comploratiombus impeditam & peiorem fecerit. Quamobrem, cum nemo adfuerit hîc, qui rem ſuam curæ diuinæ tuendam commendauerit, ſuo expectato opere, factum eſt, vt præcedentis verſiculi iudicio vtraq; pars damnata ſit, omnibus qui malignè fecerunt ad vnum exterminatis & abolitis. Vbi verò altera pars certa fiducia diuinæ promiſsioni adhæſiſſet, haud dubiè diuerſæ partis homines ſoli atq; adeo ſubito perijſſent, iuxta huius verſiculi ſententiam. Propterea huius Pſalmi exemplum, in mundo nullum videre licet, omnes enim DEO contempto, iure aut vi, ſeipſos tueri adproperant, inde fit, vt DEVS in ſuo opere impediatur, quo nomine hoc Pſalmo laudatur. Bene vero Solomon inquit Eccleſ.7. Iuſtus perit in iuſtitia ſua, & Impius multo viuit tempore in malitia ſua: Id quod dictum eſſe apparet de iuſto & iniuſto, mutuo odio non diſsidentibus, de quibus hic Pſalmus agit, ſed, vt etiam Sapien.4. ſcriptum eſt, Iuſtus ſæpenumero ſubito aufertur è medio praui ſæculi, ne ſeducatur, iniuſtis interim longo tempore in iniquitate ſua ſecurè viuentibus.

Iuſtorum infelicitas.

MANSVETI AVTEM HÆREDES FIENT TERRÆ, 11.
ET DELECTABVNTVR IN MVLTI-
TVDINE PACIS.

Hoc confirmant quoq; paulo dicta ſuperius, quemadmodum iuſti perditis impijs in terra maneant. Non quod perpetuo ſunt victuri, ſed quod res illorum optato fine & multo honore conſequuto, componenda ſit ſuper terram etiam, quam pacem animi manſuetudine & interna cordis pace adepti ſunt. Veluti CHRISTVS ipſe quoq; mites terram poſſeſſuros prædixit in Euangelio, atq; hoc nomine beatos.

FVRIT IMPIVS ADVERSVS IVSTVM, FRENDIT 12.
SVPER EVM DENTIBVS SVIS.

Hæc rurſum pro confirmandis infirmis & mollibus animo dicta ſunt, qui magna ſolicitudine conqueruntur, quàm intoleranda ſit Diuerſariorum rabies. Impium voco eum, qui in DEVM non ſperat, aut credit, qui ex ſeipſo & Liberi arbitrij mentitis viribus adhuc in natura ſua viuit, cuius generis potiſsimũ ſunt Phariſæi, iuſtitiarij, quales noſtro ſæculo ſunt Papa, Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Doctores, Magiſtri noſtri, & eiuſmodi. Quibus à natura ſua, quam è fermento ſuo imbiberunt, inſitum eſt, vt aduerſus Euangelium furiant, id quod ſtrenuè faciunt. Quantum vero emolumenti ex hoc furore auferunt? Audi quod ſequitur.

Impius quis:

13. DOMINVS VERO IRRIDEBIT EVM, QVONIAM PROSPEXIT QVOD VENIET DIES EIVS.

Conſolatio contra furorem aduerſariorū.

Vnde verò firmior & certior præſtari nobis queat conſolatio? quòd furentes Euangelij inimici omnes vires ſuas nequicquam experiuntur, omnibus malitiæ ſuæ venis extenſis, putantes adeò ſerio iuſtum (hoc eſt, in DEVM credentem) dentibus ſuis diſcerptum iri. Quorum rabiem vſq; adeo DEVS ducit pro nihilo, vt eoſdem quoq; rideat, propterea quod perſpiciat, quam breui adhuc tempore illorum furor ſit duraturus, quanq; in propinquo ſit dies illorum exitio deſtinatus.

Riſus Dei.

Non quod DEVS perinde rideret, vt homines, ſed quod videatur ridiculū, dum veſani homines immenſa peragenda animo concipiunt, quorum ne minimam quidem partem effectam reddere queunt. Quemadmodum nō minus res foret ridicula, ſi quis fatuus longa haſta & pugione inſtructus (cuiuſmodi militem vobis nuper exhibuerunt) ſolem de cœlo deturbare niteretur, iubilaretq́;, ac ſi rem probe confeciſſet.

14. GLADIVM EDVXERVNT IMPII, ET INTENDERVNT ARCVM SVVM, VT FACIANT CADERE PAVPEREM ET INOPEM, VT TRVCIDENT RECTOS VIA.

Gladius & arcus.

Gladium & arcum hic intellige linguas maledicas & virulentas, quibus maledicunt, calumniantur & inuertunt iuſtorum

rum cauſam impij, vt per hoc in odium & inſectationem incurrentes, perimantur & deleantur è terra. Ita quoq; alio Pſalmo hominum linguas ſpicula & gladium acutum eſſe perhibet, id quod hic Hebraica dictio indicat, habet enim illorum textus ſic חֶרֶב פָּתְחוּ רְשָׁעִים Gladium aperuerunt impij, quemadmodum ianuam aut os aperire ſolemus. Vt indicaret linguam illorum eſſe gladium in ore maledico & venenato deliteſcentem, quod ampliter diductis labijs aperiunt, vt maxima mendacia & conuitia euomant. Quibus petunt iuſti innocentiã, vt eundem nedum mendaciter accuſatum perdant, ſed vt in perditione quoq; ſua voluptatem capiant. Iuſtum quoq; inopem & pauperem vocat, Iuſtus quod à magnis illis & impiè inflatis heroibus ducatur pro Pauper. nihilo. Quid verò efficiunt? Audi.

GLADIVS EORVM INTRET IN COR EORVM, ET 15.
ARCVS EORVM CONFRINGETVR.

Hoc eſt, verborum ſuorum vomica illis iterum deuoranda eſt, qua præfocabuntur, ita vt illorum conſcientia tempore mortis hac infecta & perforata perpetuis cruciatibus ſit excarnificanda. Sed & arcus illorum confringetur, vt omnem eorum conatũ inanem videas, quantumcunq; inſaniuerint, Conatus impiorum nisi quod ſuper ſeipſos celerem adducẽt interitũ. Quamo- irritus. brem nemo propter illorum intoleranda conuitia animũ ad dolendum inducat. Oportet enim, vt ipſi in ſuum ipſorũ cruciatum inferos atq; ſuperos probè exaſperent. Quanquàm natura talia illorum conuitia audiat atq; ferat dolentiſsimè.

Spiritus

Spiritus vero hoc Pſalmo inſtitutus eadem vnà cum DEO ridet ſuauiter,directis ad finem illorum oculis.

16. MELIVS EST MODICVM IVSTO, SVPER COPIAM DIVITIARVM IMPIORVM MVLTORVM.

Multitudo Impiorum, paucitas Piorum.

Et hoc quoq; Naturæ accerbum eſt viſu,dum impios omni rerum copia affluentes conſpicit,ad hæc potentes & numeroſam illornm turbam. Contrà iuſtos paucos & tenui fortuna inſtructos. Propterea Spiritus ſanctus iuſtum conſolatione ſubleuat inquiens,Hoc te non crutiet anime mi, quod illorum multos,tuæ vero partis perpaucos eſſe videas: Sine illos hîc quoq; abundare diuitijs & ſaturos eſſe,melius tecum agitur , ſi modicum poſsideas benignitatis diuinæ munere, quam ſi diuitias cumulatiſsimè congeſtas non vnius ſed multorum atq; adeo omnium impiorum DEO infenſo atq; irato obtineres,quemadmodum illi. Sed & de tua inopia & illorum copia iamdudum pronunciatam audi ſententiam.

17. QVONIAM BRACHIA IMPIORVM CONTERENTVR, SVSTENTANS AVTEM IVSTOS DOMINVS.

Impiorum. Brachia

Brachia ſeu manus , auxiliares impiorum copias ſignificant, dum illorum multi inito fœdere coniurant, qua coniuratione potentes ſunt magni & robuſti. Veluti Pontificis Romani

brachia ſunt, Cæſar, Reges, Principes, Epiſcopi, Doctores Scholarum, Sacerdotes, Monachi, quorum præſidio & tutela fretus, Deo & vniuerſo mundo medios vngues oſtentat. Ita ſemper impij multitudinem & potentiores à ſe ſtantes in ſuam factionem pertrahunt. Siquidem diuitiæ & poteſtas nunquam aut leuiter à iuſtorum parte ſteterunt. Quid vero prodeſt? Confide tu ſaltem Domino, omnia enim hæc conterenda ſunt. Nihil eſt quod terrore aut tædio ſuccumbas, Deus enim te ſuſtentat, quo minus ſubmergare. Brachium & manus eius ſunt ſuper te, quibus te fortiter apprehenſum tenet, quo minus elabi poſsis.

COGNOSCIT DOMINVS DIES IMMACVLATORVM, 18.
ET HÆREDITAS EORVM IN ÆTERNVM ERIT.

Innocentes Hebraica lingua תְּמִימִים Themimim dictos, Immaculati
Paulus ſanos fide homines vocare ſolet, Hoc eſt, qui non in qui.
humanis operibus, legibus & conſtitutionibus ſalutis ſuæ proram & puppim conſtituunt, ſed rectæ fidei innituntur, de qua pleni, ſani, iuſtificati ſunt & ſaturi, cognoſcentes & iudicantes omnem omnium rerum defectum. Dominus verò cognoſcit eorum diem, tempus, momentum, commoditatis omnes articulos, hoc eſt, dum ex ſe adeo ſolo vera fide pendent, nec ſcire cupiunt, quando & qua ratione illis ſuccurrẽdum ſit, fit, vt Deus omnem illorũ curam & patrocinium Deus Auxi-
in ſe deriuet. Et quanquam videatur impijs, Iuſtorum nullum liator piorũ

habere reſpectum, tamen ita ſe res non habet. Deus enim veram opitulandi occaſionem præſciens non negliget. Quemadmodum & 9. Pſalmus Deum adiutorem in opportunitatibus pronuntiat. Et Pſalm. 30. In manibus tuis ſunt tempora mea. Ac ſi diceret, Inopes ſunt & pauci, aduerſariorum vero magna vis & copia, penes quos etiam diuitiæ & omnium rerum luxus eſt. Sed nec ſic quidem egebunt, Deus nouit quando illorum inopiæ commodè ſuccurrendum ſit, cui fidunt, nihil ſpei in domeſtico auxilio & conſilio ponentes. Adhæc Iuſtorum gloria perennis erit & immortalis, nedum in futuro, ſed in præſenti quoq; ſeculo. Semper enim abundabunt, quanquàm minimum habeant in parato, quemadmodum impij. Siquidem in Deo, quo vno contenti ſunt, omnia abundè poſſident, propterea ſequitur.

19. NON CONFVNDENTVR IN TEMPORE MALI, ET IN DIEBVS FAMIS SATVRABVNTVR.

Ingruente bello, aut rei frumentariæ caritate terram premente, omnes qui ſpem ſuam locarunt in rerum copiam domi reconditam, turpiter pudefient. Citò enim nimia effuſione & prodigalitate quæ in parato ſunt decoquuntur, quibus dilapidatis, omniq; ſpe amiſſa, corrugatam & triſtem induunt faciem, ſeueri & tetrici nunc, qui prius animoſi fuerant, iuſto ſuperbius ſublata mente ferocientes. Iuſti verò, quia Deus ſpes & fidutia illorum eſt, egeſtate & fame laborare non poſſunt. Aut citius omnibus angelis de cœlo deſcendendum

Abundantia Piorum.

dendum eſt,atq; horum miniſterio iuſti paſcendi.Neq; enim Deus,ex quo certa fidutia ſe illi curandos tradiderunt, eoſdem rerum neceſſariarum inopia premi ſinit. Quid verò cum impijs agteur?Audi.

QVONIAM IMPII PERIBVNT, ET INIMICI DO-
MINI, TAMETSI SINT VT CAMPVS PA- 20.
SCVVS, DEFICIENT, ET SICVT
FVMVS DEFICIENT.

כִּיקַר כָּרִים

Impiorum interitus.

Quàm verò contemptè hic iudicat magnos potentes & diuites. Tametſi inquit ſint vt campus paſcuus, vbi omnia magna vbertate proueniunt, quales ſunt quoq;, abundant enim opibus egregiè inſtructi, & ſunt aureus & campus paſcuus in hoc mundo,vel ſic tamen peribunt,imò deficient & Fumi inſtar euaneſcent.Vbi verò ſunt magni illi dites,fortunati,nobiles,& ampliter nummati? Exciderunt hominum memoria, iuſtorum momento etiamnum ſaluo, recenti & integro. Quamobrem anime mi,ſine, vt plurima poſsideant copioſæ pecuniæ Domini, Tu ſolum adeo finem vitę ſpecta, & comperies omnem illorum abundantiam & pompoſum luxum,non niſi fumũ fuiſſe, propterea quod Dei hoſtes ſunt & aduerſarij,nihil illi habentes fidei.Sed & ex hoc conſolatio non vulgaris tibi ſumenda eſt, quod eos inimicos Dei nominet, quos hactenus tuos inimicos vocare ſolitus eſt: Ne qua tibi veniat hæſitatio,num Deo curæ ſint res tuæ,& tuos aduerſarios,Dei quoq; eſſe aduerſarios.

21. MVTVATVR IMPIVS, ET NON SOLVET, IVSTVS AVTEM MISERETVR, ET DAT.

Bona Impii

Hæc altera eſt bonorum differentia , quod impiorum bona nedum temporanea ſunt , & finem certum habitatura , ſed & mala & damnoſa , propterea quod tantum ſubinde per phas atq; nephas cõgeſta,nunquam verò in vſum egentium diſtributa ſunt,quod aduerſus bonorum naturam eſt. Bona

Bona Iuſti.

verò Iuſti nedum fine non carent , eo quod ex Deo pendet, vnde omnia bona ſibi petenda & expectanda intelligit,ſed & iuſta bona ſunt & vtilia , quibus diſtributis egentium benignè ſubleuat inopiam,non tantum in cumulum congeſtis & coaceruatis .Ita plus ſatis habet, vtcunq; nihil in numerato paratum poſſideat. Et hæc bona verè bona dici poſſunt, quibus alijs quoq; proſumus.Quod verò dicit,impium mutuo ſumere,non ita accipiendum eſt , quod diuites aliorum bona mutuo vtenda acciperent. Sed per comparationem dictum eſt , & penè figura prouerbiali:Quemadmodum is qui plurima mutuatur ab alijs,& nihil ſoluit, ita cõditionem ſuam ſubinde aucto ære alieno inſtituens, vt qui diu in rebus ſuis perdurare non velit.Non ſecus quoq; agunt omnes im-

Mutuum Impii.

piè diuites , multa à Deo accipiunt , congerunt , conuehunt, mutuo ſumentes ab eo quicquid poſſunt emungere,nihil interim tamen ſoluunt,quod in egentes diſtribuerent. Quam ob cauſam adeo ſolum illis data ſunt bona,nimirum,vt alienæ conſulerent inopiæ.Quamobrem malum finem ſortientur

tur talia impiorum bona,ſicut fumus euaneſcenda. Vt verò hic ſenſus ſit,inde palam fit, quod iuſtum cum impio comparat, alter dat, alter nihil dat, & tamen vterq; ſua bona Dei gratuito largientis munificentia accipit. Quapropter impij bonorum acceptio mutationi comparata eſt, & non ſolutioni. Subſtantia verò iuſti,nec mutuo ſumpta eſt ab alijs,nec congeſta debito,ſed liberè à Deo accepta,qua cum ſibi tum proximo vtilis eſt.

QVONIAM BENEDICTI AB EO HAEREDITATEM ACCIPIENT TERRAE, ET MALEDICTI AB EO EXTERMINABVNTVR. 22.

Ecce diuites impios maledictos Dei, credentes verò eiuſdem benedictos nominat, ne quid te malè vrat, aut fidem tuam remorari queat rerum copia, quam ſibi parauerunt impij, & tua qua premeris inopia. Quid vero vltra exigis? Quanquam ita vt illi nō abundes, nihil tibi tamē de Chenice diurno decedet ſatis habituro,& terram in bona pace poſſeſſuro. Deus quippe propter fidem quam illi habes,& in temporaneis & in ſpiritualibus rebus benedicit tibi, tametſi ab impijs deuoueris execrationibus, & lædaris. E diuerſo diuites impij,quanquam ad tempus in omni luxu delitientur, peribunt tamen,nec rem nec patriam ſuam poſſeſſuri. Nec fieri poteſt,quin breui è ſubſtantijs ſuis deturbati atq; expulſi alijs earundem poſsidendarum locum ſunt conceſſuri,propterea

Benedicti terram poſſident.

quod Deus ipſos deuouit, & execratus eſt ſubducta ſua gratia, non enim credunt in eum, tametſi ab hominibus benedicantur. Proinde vbicunq; ſunt iuſti, ibi quę ad victum diurnum attinent, nunquam defuiſſe compertum eſt, manentq; in bonorum poſſeſsione. Contra impij exterminabuntur quantumcunq; bonorum poſſederint. Videmus hoc verum eſſe in magnis Ducatibus, Regnis & diuitijs conſertiſsimis, quæ hinc dilapſæ & dilapidatæ ſparſim ambulant, de progenie ad progeniem quaſi per manus traditæ. Ita ſuper rebus temporalibus habes iudicium. Et breuiter hæc diuini fati ſancita lex eſt, & Iuſtis nō ſit egendum, impijs verò pereundum, quod hi Deo diffidunt, & rebus partis malè vtuntur, illi vero fidunt & rectè vtuntur. Ita legimus Abrahamum & Lot diuites fuiſſe, & libenter hoſpitio ſuſcepiſſe peregrinos, quos humaniter tractatos benignè dimiſerunt. Et quanquam proprios agros, & multa in parato non poſsidebant, ſemper tamen in terra manentes nunquam egebant.

Impii exterminabuntur.

23. A DOMINO VESTIGIA VIRI DIRECTA SVNT, ET VIAM EIVS OPTABIT,

Ecce aliam conſolationem. Ne dum, inquit, rebus temporaneis affatim inſtructus eris, ſed quicquid egeris & faciendum inſtitueris, & totius vitæ tuæ conditio etiam, aduerſus impios fœlicem habebit ſucceſſum, propter fidem tuam, qua Deo vt veraciter promittenti honorem tribuens, teq;

Succeſſus piorum.

tuamq;

tuamq; rem illi curandam commendas. Atq; hac via facis, vt ipſe beneplacitum, voluptatem & quaſi deſyderium habeat, viam & conuerſationem tuam promouendi. Hebraica enim hic vocula יֶחְפָּץ non tantum ſignificat beneplacitum habere & proſpicere, ſed & ardens habere deſyderium rei perficiendæ. Quo planum fit, quàm magno Deus teneatur deſyderio, eiuſmodi viri viam & conuerſationem prouehendi, & cum tali commertium habendi, vt redderemur lubentes & faciles ad habendam Deo fidem, omnium rerum noſtrarum cura in illum coniecta. Aduerſus hoc verò pugnat, quod hæc iuſtorum via Deo accepta, ab impijs nedum non arripitur, ſed & impeditur ac reijcitur, id quod natura fert grauiter. Quapropter hac conſolatione erigendus & confirmandus eſt animus, quod Deo accepta ſit noſtra via, nullo habito reſpectu, quantumcunq; impiorum calumnijs obnoxia ſit.

QVVM CECIDERIT NON COLLIDETVR, QVONIAM DEVS SVSTENTAT EVM MANV SVA. 24.

Cadere hic intelligi poteſt, quod iuſtus nonnunquam peccet, & iterum ſurgat, veluti Solomon iuſtum ſepties in die cadere perhibet, & ſemper reſurgere. Verum de his iam non eſt diſputandi locus, ſed ſimpliciter intelligentes cadere hoc eſſe, quod tametſi nonnunquam fieri poſsit, vt iuſtus ſuccumbat

Cadere quid.

ſuccumbat victoribus impijs. Quemadmodum Dauid, vbi à Saule perſequutus, & Abſolone Filio ſemel regno expulſus fuerat. Et CHRISTVS inter crucifigendũ. Talis enim caſus diu non durat, propterea quod Deus lapſum & reiectum non negligit, ſed apprehenſa manu eius quantocyus lapſum erigit, vt perſiſtat & permaneat. Quibus verbis Spiritus ſanctus conſolatur, & tacitæ obiectioni humani cordis occurrit, dicentis, Atqui aliquoties iam vidi iuſtum prorſus ſuccumbere, ita vt de cauſa eius actum ſit planiſsimè. Verum inquit anime mi, & hæc miſſa facito: Eſto quod ceciderit, ita tamen non cecidit, vt reiectus & collapſus nunquam ſurgat. Non poteſt non ſurgere vel vniuerſo mundo ad vnum deſperante, Deus enim dextra apprehenſum eundem tenet & erigit.

Caſus piorum.

25. PVER FVI, ETIAM SENVI, ET NON VIDI IVSTVM DERELICTVM, NEC SEMEN EIVS QVAERENS PANEM.

Experientia Dauidis.

Pro maiori ſecuritate confirmanda ſuã ipſius experientiam adiungit, quæ etiam vera eſt. Quotidianis experimentis ſæpenumero obſeruatum eſt, quodq; nemo negare poteſt, hoc ita ſe habere. Siquis verò deſertus fuerit, ita, vt cogatur hoſtiatim panes quadriſectos colligere, huius haud dubiè incredulitas in cauſa fuit, propter quam & ipſe iniuſtus, nec iniuria derelictus eſt. Hic verò panem quærere, ita intelligendum eſt, quod fame non laboret, aut emoriatur, tametſi fortunæ

ſit, vt ita dicam, tenuioris, & nihil in recondito repoſitum poſsideat. Sed certò tamen alitur, quanquam in ſequentem diem nihil habeat reliqui, & hoc non dante, alius illi largitur. Non poteſt cotidiano carere victu, tametſi illi peccent grauiter, qui manum præ tenacitate in ſinum ingerentes, illius non ſubueniunt egeſtati. Lazarus enim ille egenus & ærumnoſus Luc. 16. quanquam à diuite Comeſſatore nihil acceperat ſubſidij, fame tamen non perijt, ſed alebatur, quamuis egrè & tenuiter. Deus à ſanctis ſuis egeſtatem non aufert, eoſdem tamen fame non ſinit contabeſcere. Lazarus.

TOTA DIE MISERETVR ET COMMODAT, ET SEMEN EIVS IN BENEDICTIONE. 26.

Hæc dicta ſunt de iuſto non orbo, qui tametſi quotidie plena manu, quod aiunt, alijs ſubueniendo effundat bona ſua, ipſe tamen & liberi ſui abundè ſatis habebunt per totam vitam, & in futuro ſeculo, nec quicquam deeſſe ſentiet, cum quod ad victum corporis, tum ad animæ ſalutem attinet, quamuis nonnunquam frugalem & parcam cænam ſit cænaturus. Ita videmus, vt Deus proſpexerit credentibus in rebus temporaneis, vt perſuaſum haberemus nos ab illo nequaquam deſertum iri. Et quoq; credentibus res eueniunt, vbi impiorum iniuria contempta, à fidei ſcopo dimoti non fuerimus. Quamobrem ſubiecit in hunc modum.

27. DECLINA A MALO ET FAC BONVM, ET HABITA IN ÆTERNVM.

Quaſi diceret, Sine Deum eſſe ſolicitum, Tu quod bonum eſt facito, ne quicquam ad maleſaciendum te impellat. Tantum in bonis perſeuera, de cæteris ſecurus eſto, iuxta Petri quoq; doctrinam, iubentis omnem curam in Deum abijciendam eſſe, quod noſtri curam habeat. Et Pſalm. 54. Iacta ſuper Dominum onus tuum, & ipſe ſuſtentabit te, non dabit in æternum lapſum iuſto.

28. QVONIAM DOMINVS DILIGIT IVDICIVM, ET NON DERELINQVET SANCTOS SVOS, IN AETERNVM CVSTODITI SVNT, ET SEMEN IMPIORVM EXTERMINATVM EST.

Non eſt quod ſolicitus ſis, ne tuum ius intercidat, neq; enim fieri poteſt. Dominus enim æquitatis & iudicij amator eſt, propterea iuſtum nō deſerit Dominus. Quod ſi Idolum eſſet Deus noſter, iniuſtitiā amans, aut iuſtorū hoſtis, quemadmodum homines impij arbitrātur, iam ſanè ſolicitudinis & timoris cauſam haberes. Nunc verò quid ſolicitus es aut times, dū Deus noſter iuſtitiæ & æqui ſit amantiſsimus? Quid diffidis? In æternum non tantum in hoc ſeculo cuſtoditi ſunt iuſti, impij verò vnà cum liberis & opibus ſuis funditus ſunt extirpandi. Sancti hîc, non ij qui cœlum incolunt ſancti vocantur, de quibus rariſsimè Scriptura loquitur, ſed communiter

qui

qui adhuc in viuis in terra verſantur, qui credunt in Deum, & per hanc fidem Dei gratiam & ſpiritum habent. A quo beati & ſancti nominantur, quales nos omnes ſumus verè credentes.

IVSTI HAEREDITATE ACCIPIENT TERRAM, ET HABITABVNT IN AETERNVM SVPER EAM. 29.

Hoc eſt, quemadmodum ſupra dictum eſt, ſatis habent ſuper terram, nullius rei inopia laborantes, nec ab vllo alio quàm à Deo ſua bona expectantes, vbicunq; tandem in terra habitauerint aut vixerint. Deus quippe ſuos non deſerit. Deſerti verò à Deo, haud dubiè ſunt iniuſti & impij, nec fidentes illi nec credentes in eum. Et hæc ratè iam decreta ſunt, vt nos tantum bonis intenti operibus in vera via ingrediamur manſuri in terra, & illi omnem noſtri curam committamus. Nunc quid illud ſit, quamobrem inter iuſtos & impios oriatur diſceptatio, ſequitur,

OS IVSTI MEDITABITVR IVSTITIAM, ET LINGVA EIVS LOQVETVR IVDICIVM. 30.

Hinc illæ lachrymæ, & hæc nimirum eſt controuerſia, Diuinam ſapientiam & iuſtitiam audire nolentes impij atroci inſectantur animo, & prauo iudicio, vt rem ſtultã & iniuſtam calumniantur. Quibus quidem Latronibus cum iuſti ſuam malitiã magno lucro eſſe viderint, eoſdemq; faciliter agere, naturali quodam animi motu concitantur, indignè ferentes ho-

Cauſa diſidii inter Iuſtos & Impios.

tes hominum impuriſsimorum contemptum & malignitatem, ac deinceps ad reddendum malum vindictæ talione commouentur. Quamobrem hic Pſalmus iubet nos otioſo eſſe animo, & pergendum, & nunquam non diſcendam aſſiduaq; agitatione meditandam hanc ſapientiam & iuſtitiam, Deo negotij noſtri cauſa cõmendata. Relicta interim aduerſarijs noſtris libertate mordendi, furendi, dentibus frendendi, calumniandi, gladios ſtringendi, arcus extendendi, & ſe collecto robore fortificandi, &c. vt dictum eſt. Deus enim expectantium ſe non obliuiſcetur, ſuos deſerturus, quos malorum improbitas é vera via in iniquitatis deuia deflectere non potuit. Huius enim verſiculi iudicium ratum manebit, & manifeſtabitur omnibus, Iuſtum ſcilicet rectè & ſapienter loquutum eſſe, impios verò ſtultos & iniuſtos fuiſſe.

31. LEX DEI IN CORDE IPSIVS, NON COMMOVEBVNTVR GRESSVS EIVS.

Propterea verò benè loquitur & meditatur iuſtus ſapientiam, quod legem Dei non in libro, non in auribus, non in lingua, ſed in corde ipſius ſcriptam circumferat: Legem diuinam nemo recte intelligere poteſt, niſi ſit in corde hominis, ita, vt eam diligat, & iuxta eius præſcriptum vita legitimè inſtituta ætatem exigat, quod fides in Deum adeò ſola facit. Quamobrem quanquam impij de Deo & lege eius crebro & verboſè loquantur, iactantes ſe Scripturæ peritos, nunquam tamen rectè & ſapienter loquuntur. Non enim

legem

legem in corde circumferunt,& hoc eſt quod eandem quoque non ſanè intelligunt. Sed falſa perſuaſione ſcientiæ decepti & acti in rabiem,iuſtos legis gratia inſectantur,vtcunque legis verba mordicus teneant.Præterea greſſus iuſti non commouebuntur,ſed firmiter incedit, propterea quod fide certus de cauſa ſua nihil addubitat, nec per humanas conſtitutiones ſeduci poteſt. Porro impij nunquàm non labuntur,titubante greſſu incedentes,quod legem Dei extra fidem recte intelligere nequeant,atq; ita hinc inde ſurſum ac deorſum feruntur,nuſquam firma conſiſtentes ſententia: Quocunq; ſua opinio eoſdem pertrahit, aut leges humanæ docent,iam hoc iam illud opus ſequentes, iam hoc mox aliud docentur,feruntur q; per præceps,quoNare ducuntur cæcus à cæco.Quamobrem ſicut legis rectê periti non ſunt,ita nec rectè & ſapienter vita inſtituta viuunt, ſed nec rectè docent & loquuntur.Pro conſtabilienda tamen ſuæ lubricitatis doctrina,immane quantum furiunt aduerſus certam & infallibilem iuſtorum doctrinam, nolentes vllius erroris incuſari.

Greſſus Piorum.

RESPICIT IMPIVS IVSTVM, ET QVAERIT OCCIDERE EVM. 32.

Male habet impium, ſi doctrina & vita ſua reprehenſa & damnata fuerit, vt ea quæ iniuſtè & inſipienter inſtituta ſit. Propterea nihil cogitat aliud,quam qua ratione ſuam cauſam queat commodè defendere,& iuſtum peſſundare.Hoc verò reſiſtente iuſto ægrè facit,dum ſuam iniuſtitiam palàm

reprehendit. Quamobrem ſua vita profligata & perdita eundem ad malas' artes & praua impellit conſilia, vt quoquo modo obarmatis manibus,ſublato iuſto, vitam ſuam à reprehenſione tutam conſeruet. Quemadmodum Papam, & ſuos omni feciſſe tempore nemini obſcurum eſſe opinor, qui,quod videmus, legem diuinam fermè in libris ſcriptam non habent amplius, tantum abeſt, vt eandem iugi meditatione repetitam in corde habeant. Nihilo ſecus tamẽ hi adeò ſoli eſſe contendunt,qui ſapientiam diu noctuq; & mediten-ter & doceant, rabidorum Canum exemplo furentes,ſiquis hoc factum aut verum negauerit.

Impii ſunt ſanguinolenti.

33. DOMINVS NON DERELINQVET EVM IN MANV EIVS, NEQVE CONDEMNABIT EVM DVM IVDICABITVR IPSE.

Quanquàm Deus iuſtum in cruentas manus impiorum ſinat incidere,non tamen in ijſdem deſerit eum, nec poſſunt eum vel occiſum opprimere. Sed nec iudicium illorum alicuius momenti eſt,tametſi iactent ſe hoc iuſſu aut loco Dei facere, quaſi huic ipſi magno zelo obſequium iuſtis occiſis exhibeant.Deus quippe diuerſum iudicat, illorum ſententiæ nequaquàm aſſentiens. Videmus huius rei perſpicuum teſtimonium etiam noſtro tempore exhibitum.Romanus Pontifex Ioannem Huſſum Hæreſeos(ſi Superis placet)condemnatum morte mulctauit, ſperans nomen eius extinctum iri planiſsimè. Verum nihil tanta veſania, vociferatione,damnatione,bullis,ſigillis, totq; calumnijs, blaſphemijs, deuotioni-

Liberatio piorum.

Ioannes Huſs.

bus

bus actum eſt. Ioannes enim Huſſus etiamnum in recenti hominum memoria viuit, cuius nomen nullius Epiſcopi dignitas, nullius Vniuerſitatis rabies, nullius Regis tremenda ſublimitas, nullius Principis ſæua tyrannis, nulla deniq; vis & poteſtas extinguere potuit, quod hactenus de nullo vnquam Hæretico auditum eſt. Vnicus ille mortuus Abel facit, vt viuus Cain Papa cum omnibus ſuis auxiliaribus copijs ſit Hæreticus, homicida cruentus, blaſphemus vel rumpentibus ilijs. Vtitur vero hîc pulchra vocula Propheta aptè huic rei conueniente. לֹא יַרְשִׁיעֶנּוּ non impiabit ſeu impium declarabit, hoc eſt, etiamſi iuſtum Hæreſeos, defectionis & ſeditionis autorem damnabunt, qui mos Romanæ curiæ & ſuarum ſectarum ſemper fuit peculiaris, Deus tamen hoc neglectò ſecundum iudicium Impiorum iuſtum non condemnabit. Quàm verò graphicè Propheta iudicij Papiſtici morem perditiſsimum hoc perſtrinxit verſiculo, tanquam de ipſis ſolis ex cōpoſito loquutus fuiſſet. Quippe nihil poſſunt aliud quàm illud intenſa vociferatione ſubinde ingeminare, Hæreticus, Hæreticus, Hæreticus. Vbi verò eius vociferationis coràm reddenda eſt ratio, hic protinus tanquàm lupo conſpecto muti, inq; pedes coniecti in angulum aufugiunt.

Iudicii Papiſtici mos.

EXPECTA DOMINVM ET CVSTODI VIAM EIVS, 34.
ET EXALTABIT TE VT HAEREDITATE
CAPIAS TERRAM, CVM EXTERMINABVNTVR IMPII VIDEBIS.

Rurſum

Rurſum monet in Deum fidendum, & bona citra intermiſſionem operanda eſſe, propterea quod infirma natura vix vnquam aut grauiter Deo ſe fouendam dedere ſolet, omni cura in eum coniecta, vt hoc certa fidutia expectet, quod nuſquam corâm videt aut ſentit, & hoc à ſe alienum eſſe permittat, quod ſenſu percipit. Quid ſit terram poſsidere, ſatis ſuperq; in ſuperioribus dictum eſt, nimirum quod iuſtus in terra maneat, rebus affatim quæ ſatis ſunt inſtructus. Adhæc tametſi rerum temporalium prematur inopia, harum tamen defectum rebus ſpiritualibus ſartum iri planè confidit: Sicut Chriſtus dicit eum accepturũ centuplum, & vitę æternæ hæreditatem conſequuturum, qui aliquid ſuo nomine reliquiſſet. Quanquam non admodum repugnare velim, ſiquis eam terræ poſſeſsionem contendat non de vnoquoq; priuatim intelligendam eſſe, ſed in vniuerſum de tota Communione, de qua tametſi nonnuli temporanea morte occidantur & aboleantur, manet tamen & relinquitur illorum Semen poſterum multis ſuperſtitibus liberis. Quemadmodum per vniuerſam terram remanebant non pauci paſsim Chriſtiani, pereuntibus Gentibus, etiamſi perquam multi à Gentibus occidebantur quotidie, ſicut Pſalm. 111. quoq; teſtatur, Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Potens in terra erit ſemen eius. Nihilominus tamen (vt dictum eſt) etiam quiſq; pro ſe abundabit, ſed & Deus quicquid petierit, dabit illi, & vbi dare recuſauerit, hoc animo iuſtus erit, vt præter voluntatem Dei largiri recuſantis, nihil

Poſſeſsio terræ.

nihil

nihil poſtulet. Quin etiam quo minus aliquid inuito det animo Deus, precibus illi daturo iuſtus erit obſtaculo, tantum ne det oraturus. Tanta viuit cum Deo vnitus concordia, vt habeat & non habeat, ſicut viſum fuerit coram Deo, ita, vt Pſalm. 144. teſtatum facit, Voluntatem timentium ſe faciet, & clamorem eorum exaudiet & ſaluabit illos.

Quod verò hic dicit, cum exterminabuntur impij videbis, de ſimplici viſu intelligendum non eſt, ſed iuxta Scripturæ vſum hic videre dicitur id quod diu concupiueramus. Quemadmodum vernacula lingua dicimus, **Das wolt ich gern ſehen.** Hoc verè videre vellem. In hunc modū dictum eſt quoq; illud Pſalmo quinquageſimo tertio, Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & inimicos meos vidit oculus meus: Hoc eſt, animi mei votum & voluntatem in inimicis meis completam vidi, vt & ego liberatus, & illi morte abſorpti & deleti ſint. Viſus iuxta Scripturam

Item Pſalm. 111. Iuſtus non commouebitur, donec viderit in omnes tribulantes eum. Item Pſalm. 90. Certè oculis tuis conſyderabis, & retributionem peccatorum videbis. Contra de inimicis dictum eſt Pſalm. 34. Et dilatauerunt ſuper me os ſuum & dixerunt, Euge, euge, vidit oculus noſter, hoc eſt, ſuccumbunt, & factum eſt, quod ardentibus votis diu expetiuimus. Ita quoq; Micheas: Aſpiciat in Zion oculus tuus, hoc eſt: O vtinam illud Zion eueniat, quod tantoperè concupiſcimus. Ita quoq; hic videbis in inimicis tuis quod libenter dudum vidiſſes, quando exterminabūtur & eradicabuntur

tur impij. Hæc loquendi figura Scripturæ admodum familiaris eſt.

35. VIDI IMPIVM ROBVSTVM ET INTEGRVM, SICVT LAVRVS VIRIDIS.

Hic iterum exempli inducendi gratia ponit experientiam, veluti paulò ſuperius de Iuſto, quod nullum vnquam viderit deſertum, aut ad ſtipem manum porrigentem. Hîc aliam de impijs iam oppreſsis, & in nihilum redactis ſubijcit, inquiens, Diues erat magnus, potens & robuſtus, ita vt omnes eius iam metuerent ſæuitiam, Quicquid dicebat, ſtatuebat, aut omittebat, hoc ratum eſſe voluit. Talem enim ſignificat hæc dictio עָרִיץ Aritz, quam ſæuum lingua vernacula interpretatus ſum, ſignificantem quoq; quod adiectum eſt, inflabat ſe, magnum quiddam ſpirans & præponens ſe alijs, vt qui ſingulare quiddam & præcipuum foret præ omnibus alijs. Dum ſe explicat in magnitudinē & altitudinem iactabundus ore Thraſonico. Sicut Laurus præ cæteris arboribus perpetua fronde luxuriat, ſingulari quadam pompa ſuperbiens, præter reliquarum arborum, præcipuè verò hortenſium naturā. Sed nec vilis rubus eſt, aut humilis arbuſcula Laurus, cuius magna in plantando habenda eſt ratio, quæ ſylueſtribus arbuſtis non impenditur. Ea quoq; ratione & ſtudio obſeruandus eſt impius ille עָרִיץ & ſubinde blanda & adulanti compellatione magnificorū titulorum demulcendus: Gnediger Herr/ Lieber Jungherr.

Impius vt Laurus viridis.

ET

ET TRANSIVI, ET ECCE NON ADEST, ET QVAESIVI ILLVM, ET NON EST INVENTVS. 36.

Eiuſmodi exempla clarè perſpexit Dauid in Saule, Achitophele, Abſolone filio, & alijs, qui magnũ in impietate ſua terrorem omnibus incuſſerant. Et dicto citius ita erant contriti & conſumpti, vt homines quærerent etiam quo abrepti ſunt? Quis verò negabit etiam noſtra tempeſtate talem fuiſſe Iulium Secundum cruentum illum Siccarium. Immane quantus hic Aritz fuerat, quàm verò crudelis, ſæuus & formidabilis tyrannus? Sed age, nonne præter omnium opinionem dicto citius euanuit? Vbi nunc eſt? Vbi eius eſt ferocia & illa effera vis animi? Ita nobis quieſcendum eſſe intelligimus. Omnes vt fumus euaneſcent de terra ex improuiſo ſublati, qui nunc furiunt, & diruptis petris cœlum perrumpere tentant. Sileamus verò parumper muſsitantes iniuriam, ſtatim circumſpicientibus nobis, nullus occurret oculis noſtris, ſi tamen DEO fiderimus.

Interitus Impiorum Exempla.

Iulius II.

OBSERVA INNOCENTIAM, ET RESPICE RECTVM, QVONIAM NOVISSIMVM VIRI ILLIVS PAX EST. 37.

Hanc Innocentiam, de qua etiam verſiculo decimo octauo diximus, ſanam fidem Paulus interpretatus eſt, quæ αὐταρκὴς eſt, nec eget veternoſæ iuſtitiæ præſidio, quæ humanis legibus aut operibus paratur, aut alijs hinc inde

Innocentia

 emendica-

emendicatis probari contendit. Quod latina lingua dicimus valere aut bene habere, hoc Hebræi dicunt pacem habere. Ita Geneſis. 37. dicit Iacob ad filium ſuum Ioſeph: Vade in Sychem ad fratres tuos paſcentes, & vide num illis & pecori pax ſit, & veniens renuncia mihi: Hoc eſt, num benè ſe habeant omnibus ſaluis & ſecundis. Inde deriuata eſt hæc in Euangelio Hebraica ſalutatio, Pax vobis. Ita vbi iam venerit vltima hora iuſti & credentis, dum benè habet placidiſsimæ tranquillitatis pacem ſentiens & experiens.

Pacem habere.

38. TRANSGRESSORES DESTRVENTVR SIMVL, NOVISSIMVM IMPIORVM PEREMPTVM EST.

Diuerſum eſt quod hîc dicit Iuſtorum & Impiorum, hi pereunt omnibus malis obiecti, illi manent placida pace quieſcentes. Tranſgreſſores hîc vocat fide non ſanos, quos Apoſtatas vocat Apoſtolus 2. Timoth. 4. qui à fide deficientes ad opera ſe conferunt, veluti nunc Papiſtæ faciunt. Quamobrem nouiſsima illorum perſiſtere nequeunt, ſed ſunt eradicanda, ſola enim ſana fides in omnibus periculis perdurat. Idem verſiculi non incommodè quoq; de liberis & ſubſtantijs ab vtraq; parte relictis poſſunt intelligi, vt hic ſenſus ſit: Iuſtus quicquid relinquit hæredibus ſuis proſperè agit. Id quod 26. verſiculo latius explicatum eſt, vt etiam Iuſtorum liberi parata rerum copia facilem vitam exigant. Quicquid verò relictum fuerit ab impijs, dilapidatur, iuxta 108. Pſalmi teſtimo-

Tranſgreſſores.

teſtimonium, ſed & hoc quotidianis experimentis clarè diſcimus.

SALVS AVTEM IVSTORVM A DOMINO, FORTITVDO EORVM IN TEMPORE TRIBVLATIONIS. 39.

Impij ſalutem à ſeipſis petunt, & fortitudo eorum eſt potentia eorum, ſunt enim magni, multi, diuites, potentes, & qui diuina fortitudine & ſalute opus non habent. Iuſti verò, quibus oculi eorum ab omnibus viſibilibus declinandi ſunt, ſoli Deo fidere debent, nullam habent aliundè aſcitam fortitudinem & ſalutem, quàm quæ cœlitus illis demittitur, qui ſuos ſpe fruſtrari non ſinit, veluti hic vltimus cõcludit verſiculus.

ET ADIVVABIT ILLOS DOMINVS, ET ERIPIET EOS AB IMPIIS, ET SALVABIT EOS, QVIA SPERAVERVNT IN EO. 40.

Ecce quàm diues eſt hæc promiſsio, quàm magna & efficax conſolatio, quàm amica deniq; admonitio, ſi tantummodo crediderimus. Primùm, Deus iuſtis in media tribulatione conſtitutis auxiliari manu fert ſuppetias, non permittit eos ſolos adfligi, ſed cum illis eſt, animi fortitudine confirmans eos. Præterea non ſolito tantum eos adiutat auxilio, ſed & ſeruat eos, vt ſuperatis fortiter periculis emergant fœlicius. Hebraica enim hoc loco dictio יְפַלְּטֵם propriè vitato diſcrimine euadere atq; ſaluari ſignificat. Et quod impijs non

Conſolatio Piorum.

 mediocrem

mediocrem adfert dolorem, nominatim eoſdem perſtringit, dum inquit יְפַלְּטֵם מֵרְשָׁעִים ſeruabit, aut eripiet eos ab impijs, hoc nomine maximê dolentibus, quod illorum furor illos ne tantillum quidem iuuare poſsit, tametſi putant Iuſtum non euaſurum, quo minus aboleatur & opprimatur. Deinde non tantum ſaluat eos, ſed & beatos facit, vt poſt hác nullum adflictionis periculum ſit metuendum, ſed liberè & ſuauiter in portu tranquillitatis otiandum. Et hæc omnia propterea quod certa ſpe ipſos norit ex ſe ſolo pendere. Atqui hoc idem Pſalmo. 90. promittit, Quoniã ſperauit in me liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Multitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutem meam.

Incredulitas noſtra.

O perditam diffidentiam & damnoſam incredulitatem noſtram, qua cunctamur tam conſolabilibus promiſsionibus DEI fidere, dum ita facilè trepidamus abiecto animo in rebus leuiculis, & parui momenti periculis, nimirum vbi inanibus tantum conuitijs per impiorum maledicentiam leuiter perſtringimur. Faxit Deus, qua eſt in nos miſericordia, vt tandem ſemel veram fidem adipiſcamur, quam tantopere in omni Scriptura requiri videmus.

Admonitio Lutheri.

Hunc Pſalmum, fratres in CHRISTO chariſsimi, pro animornm veſtrorum ſubleuatione, ad vos mittere volui, iuxta Pauli doctrinam ad Epheſ. 5. præcipientis, Impleamini ſpiritu, loquentes vobismetipſis per Pſalmos & hymnos, &

cantiones

cantiones ſpirituales, canentes ac pſallentes in corde veſtro Domino, gratias ſemper agentes de omnibus in nomine Domini noſtri IHESV CHRISTI, DEO & Patri. Hoc verò Infirmorum gratia adeò ſolum me feciſſe credite, fortes enim ſpiritu, qui inter vos ſunt, ipſe audire malim diſcendi ſtudio, quàm quod aliquid illis dignum me adferre poſſe confidam. Quamobrem conſolemini & robuſti eſtote, manentes in ea quam audiuiſtis doctrina. Impiorum furorem nihil moremini, quos in tantum profligauimus, vt etiam ſacra extremi auxilij ſoluta anchora, ad furendi, mentiendi & maledicendi rabiem certatim confugerint, quosq; ſacrarum literarum beſtijs nihilo peritiores deprehendimus. Et quo magis ſcripſerint & inſaniuerint, hoc certiores facti maius ſubinde ſtoliditatis ſuæ ſpecimen mortalibus exhibent. Probant hoc quotquot hactenus aduerſus me conflictati ſunt. Benè Valete Anno M.D.XXI. poſtridie Laurentij.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

SECVNDVS TOMVS EPISTOLARVM R. P. DOMINI DOCTORIS MARTINI LVTHERI.

ANNVS CHRISTI M. D. XXII.

Epiſtola D. M. Lutheri ad D. VVolfgangum Capitonem Fabricium, Conſiliarium Principis Alberti, Archiepiſcopi Moguntini Cardinalis.

Conquæritur Lutherus de Hypocriſi & ficta pietate Cardinalis Moguntini, ac hoc nomine grauiter cum Fabricio expoſtulat, affirmans Euangelium cum manſuetudine & adulatione doceri non poſſe. Excuſat etiam ſe, quod ſua mordacitate plurimi offendantur, & docet modum veræ correptionis, Increpat quoq; Fabricium propter incarceratum Sacerdotem Vxoratum, & ob Andream Caugiſdorffium ignominioſe a munere Eccleſiaſtico remotum. Deniq; Fabr. ac Cardinalem ad veram pietatem & ſtudium doctrinæ Euangelii hortatur, ac vt ceſſet ab iſta Tyrannide Cardinalis poſtulat, & ſic omnia ſubiectionis & charitatis officia viciſsim pollicetur: Sin minus id fecerit, Lutherani ſpiritus vehementiam ſummam ipſi cõminatur.

IHESVS.

SAlutem in CHRISTO. Quantum literæ Cardinalis tui animum meum erexerunt, tantum literæ tuæ deiecerũt

mi Fabrici

mi Fabrici, Deijcit forte & Vultum tuum exordium hoc triſte & ingratum. Sed tua culpa, qui & fidem & authoritatem literis Cardinalis tam intempeſtiua Rethorica ademeris. Inter multa enim, quæ me mouerunt, hoc erat vnum, quod ſcribis eum iuuandarum Euangelij partium diuerſam à nobis inijſſe ratione͂. Hoc enim quid aliud eſt, quam tuam aut noſtram rationem damnabilem eſſe, cum neceſſe ſit miniſterium Spiritus ſibi ipſi quam minime pugnare? Paulus enim ijſdem veſtigijs incedentem Timotheum Corinthijs co͂mendat. Atq; ego quidem pro meo in te candore verbum hoc diuerſitatis tuæ, aliqua ἐπιείκεια lenijſſem, niſi tu ipſe tuus interpres, ſic coëgiſſes intelligendum, Euangelium tunc promoueri, Si Principibus conniueatur, parcatur, eorum facta excuſentur, & vt tua verba ſonant, ne procaces ad pugnam prouocemus. Hæc tua ratio eſt, quæ iuxta noſtram rationem pulchra adulatio, & veritatis Chriſtianæ abnegatio eſt, & ipſiſsima προσωποληψία, quam Scripturæ ſic deteſtantur, vt nihil vehementius. Ego nec inimicis optarim hunc amicum probari, & tantum abeſt, vt optem hac tua ratione iuuari Euangeliu͂, vt nihil vehementius deprecer. Et faxit CHRISTVS, non vt nihil promoueas, ſed vt ſeruet te nobiſcum, ne noceas. Manſuetudinem & benignitatem Chriſtianam exigis, Sed quid Chriſtianis & adulatori? Res aperta eſt, & ſimpliciſsima, Chriſtianiſsimus, rem ſicut habet cognoſcit, ita fatetur. Malè valere volunt etiam Gentiles eos amicos, qui vitijs amicorum blandiuntur, & veritas Chriſti vitijs & impietati ſimul blandiri poterit?

Manſuetudo Chriſtianorum.

Nos autem noſtram quoq; rationem exponemus, & cum fiducia ſub iudicium tuum & totius orbis proponemus, nihil veriti, quod ſcribis offendi vulgi iudicium mordacitate. Quem autem non offendebat Chriſtus, aut quem non arguebat? Et ſi Spiritus veritatis arguit, non blanditur. Arguit vero non aliquot, ſed totum mundum. Igitur nos ſic ſapimus, omnia prorſus eſſe reprehendenda, arguenda, confundenda, nihil parcendum, nihil conniuendum, nihil excuſandum, vt medio ſtet campo, libera & aperta & pura veritas.

Mordacitas Lutheri.

Porrò aliud eſt eos, quos corripueris ſummæ manſuetudine ſuſcipere, tolerare, iuuare. Hoc iam ad charitatis & officij exemplum pertinet, non ad miniſterium verbi. Nam & CHRISTVS cum acerrime omnes argueret, tamen optat Gallina illis eſſe, & ſub alis illos colligere, charitas eſt, quæ omnia ſuſtinet, omnia ſuffert, omnia ſperat. Fides vero ſeu verbum prorſus nihil ſuſtinet, ſed arguit, deuorat, ſeu vt Ieremias dicit, euellit, deſtruit, & diſsipat, Et maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.

Correptio cum manſuetudine.

Aliud eſt, inquam, mi Fabrici, vicium laudare vel extenuare. Et aliud benigne & ſuauiter curare, Primùm enim dicendum eſt, quid rectum & non rectum erit, deinde, vbi id auditor ſuſceperit, tolerandus, & vt Paulus ait. Infirmus fide ſuſcipiendus.

Vitia non ſunt extenuenda.

Tua uero ratio id efficit, vt nunquam veritas cognoſcatur,

ſcatur,& tamen interim blanditia & ficta humanitate præſumatur vitium ſanari,ſic impletur illud Hieremiæ. Et ſanabant contritiones populi mei. Et iterum, Conſortauerunt manus malorum, vt non conuerterentur vnuſquiſq; à malitia ſua, Nec ſpero nos tales vnquam fuiſſe,à quibns charitas deſiderata, in ſuſcipiendis & tolerandis infirmis poſſet approbari, Neq; deeſt manſuetudo, benignitas,pax & gaudium. Si quis verbum noſtrum probarit, & ſtatim non queat perfectus eſſe. Contenti interim ſumus agnouiſſe illam veritatem,non reſtitiſſe, non damnaſſe, Quod deinceps agitur charitatis eſt, quæ exhortetur, vt & fatiat, quod cognorit, Nam ſi ex animo tuus Cardinalis has literas ſcripſiſſet, obſecro, quantò gaudio, quanta humilitate nos pedibus eius prouoluti, dignos non arbitraremur nos, qui puluerem pedum eius exoſcularemur. Nonne & nos fex ſumus & peccati ſentina? Agnoſcatur verbum modo, & ſeruos nos præſtabimus.

Porrò, ijs qui doctrinam iſtam & verbi miniſterium aut damnant, aut contemnunt, aut ſubdolè perſequuntur, nulla gratia,nulla charitas, nulla benignitas. Quanquam & hoc ſit ſummæ charitatis, errori & impietati eorum omnibus viribus & modis reſiſtere.

Si autem ex tua Formatura (quod ſuſpicor) Cardinalis tuus tam egregium Hypocritam præſtitit, vides tu ipſe quam nos nihil mouere debeat. Sed neq; fallere nos poteratis, Hypocriſis Cardinalis Mogun.

 quando

quando & Sathanæ cogitationes non ignoramus, & verbis ipſis tum iuſtificare, tum damnare quemlibet poſſumus. Scribit Cardinalis tuus ſeſe præſtiturum deinceps, Dei gratia, quod Eccleſiaſticum magiſtratum decet, ſit, hoc fide ἀνυποκρίτα, dicit, & tu ſincerè eum docuiſti, certè animus eius, eiusmodi eſt, qui Laruam Cardinalatus & pompam Epiſcopatuum ablegare, & verbi miniſterio ſe accingere præſtabit. At hæc qua ſuadela fore credemus? Impoſibile eſt, vt in via ſalutis ſit, donec fuerit Epiſcopus tot Eccleſiarum, cum vix paruulam Parochiam adminiſtrare potens ſit. At difficile eſt, vt reſignet, & Parochus fiat. Et quis, inquies, audebit hæc exigere? Reſpondeo, & quomodo tu ſecurus eris, niſi veritatem hanc ei cognitam feceris. Foue & conniue poſtea, ſed primum hæc ei nota facito, ſciat, quo peccari, quo non peccari poſſit. Deinde ne peccetur, cooperare, aut ſi peccarit, tolerato, non autem cõniueto & tolerato ante ſcientiam. Hoc enim facit crudelis adulatio, quæ fingit modeſtiam ſiue Chriſtianam ſiue humanam.

Expoſtulatio Lutheri cum Fab. de vxorato Sac. in carcerato.

Iam quomodo & hoc verum eſſe credam, quod & tu ſcribis, Sacerdotem vxorium liberatum, Et ille ſcribit, cauſas ſcribendi libelli mei iamdudum ſublatas è medio. Pulchra liberatio, quaſi non potior fuiſſet eius occiſio, abiurare coegiſtis Vxorculam contra conſcientiam, de quo nunc dolet. Obſecro an tentatis etiam Spiritum ſanctum? Nonnè perſeueratis in odio Sacerdotalis coniugij, donec non reuocatis, exactam abiurationem, & diuortij impleti violentiam? Scortum eſt,

tum eſt, inquis, Rethor optime. At hoc prius explorandum fuerat. Iam, vt maximè ſcortum fuerit, cur in hunc vnum inſaniuiſtis, & proſtibula veſtra Halberſtadiana, Moguntina & Magdeburgenſia, aliaq; innumera clauſis auribus perpetuò tranſitis?

Vides tuam Rethoricam hic nihil eſſe Fabrici, Certe, vbi confitebatur vxorem eſſe, vos quieſcere oportuerat, aut Paulum confutare, qui doctrinam Dæmoniorum vocans, clariſsimè damnat iſtum cœlibatum. Quod ſi mentiretur vxorem ſuam eſſe, periculum eius erat, Vos ſalui eratis. Iam quod periculum Diuortij cauſaris in iſto nouo coniugio, ſi pertæduerit vxoris immodeſtiæ, arbitror & ipſum non ex animo à te dici. Quid enim hoc ad doctrinæ puritatem, quod mali malè vtantur? Nos à vobis non exigimus, vt coniugia pręſtetis omnia moleſtijs libera, ſed tantum ne doctrinam & exempla eiuſdem damnetis. Expoſtula tu cum DEO, qui talia præcipit, quæ per hominum inconſtantiam malè ſeruantur. Nos nihil de Sacerdotum coniugijs promittimus, niſi quod authoritate Dei liceat, Sacerdotes eſſe coniuges. Iam Præpoſitus Kembergenſis vir eſt, nihil poſsis non laudare, tantum abeſt, vt leuitatis argui poſsit, niſi forte ideo leues erunt, quia tu metuis leues fore. At ad metum tuum, vel ſpem noſtram nihil ſequitur, vel non ſequitur, in factis hominum, nedum in verbis Dei. Alioqui nihil diuinorum præceptorum nos hic metus ſinet tentare.

Vides mi Fabrici, quantis Argumentis ego vexer, ne

credam Cardinalem tuum ex animo ſcribere. Taceo deniq; illud Tyrannidis eximiæ,qua Andream Caugiſtorfium Magdeburgenſem ſuggeſtu, cum tanta ignominia ſubmoueritis. Virum, cui vix ſimilem ſub ſua ditione tuus habet Cardinalis,nec nos adhuc iſtius pœnitet.

Concionator Andreas Caugiſtorfius ex Magdeburg pulſus

Obſecro te, mi Fabrici,cum exigis Lutherum, vt ad omnia veſtra conniueat, ſolus literis blandiuſculis palpatus, cum ſint tam infanda, quæ vos vultis, & non eſtis contenti, quod parati ſumus per charitatem ignoſcere & tolerare. Cum expoſtulatis, vt iuſtificemus quoq;, hoc eſt, & ipſam doctrinam abnegemus per impietatem. Satis,& plusquam ſatis tentatis me, optime Fabrici, & ego ſatis, plusquam ſatis benigniter reſpondeo vobis, vides enim quanto acerbiorem reſponſionem merueritis,qui non modo non facitis, quod poſtulabam, ſed, illuditis & irridetis fucis, ſicuti vobis videtur,egregijs, Sed ſicut ego video, ridiculis & ineptis, ſed tamen ne nihil impetrent, vim faciam mihi, vltra modum, & non exigam, vt publicè recantetis mihi malum veſtrum: Vos videritis,vt CHRISTO ſuper illo reſponderitis. Tacebo & contentus ero, ſi nihil deinceps ſimilis Tyrannidis tentaueritis,& doctrinam pietatis liberam eſſe permiſeritis. Si vos non vultis ſimplicem Chriſtum confiteri & ſequi,ſequimini veſtra, & vobis ſaltem faceſſite negotia. Alioqui miniſterij noſtri frena laxabimus, & doctrinam pietatis tuebimur, quantis viribus poſſumus, offendatur ſiue cœlum,ſiue terra, ſiue Tartarus.

Habes itaq; Lutherum, ſicuti ſemper habuiſti, obſequentiſsimum mancipium. Si verbo pietatis amicus fueris, rurſus egregium contemptorem, ſi perrexeris cum tuo Cardinali ludere in re ſacra. Summa eſto, Charitas noſtra pro vobis mori parata eſt, fides vero ſi tangitur, tangitur pupilla oculi noſtri. Charitatem expoſitam, habetote omnibus ſiue ludibrijs, ſiue honoribus, fidem & verbum adorari à vobis volumus, & ſanctum ſanctorum haberi. De charitate noſtra, nihil non præſumite. Fidem vero noſtram nunquam non timete.

Cardinali tuo non reſpondebo, quod medium iter non potero tutus incedere, neq; laudare, neq; vituperare ſiue ſinceritatem ſiue Hypocriſin. Ex te autem intelliget Lutheri ſpiritum. Ego vbi de ſynceritate ſua certior factus fuero, non differam me totum profundere & effundere ad pedes eius. Vale mi Fabrici, & animum meum non dubites, eſſe candidum in te. Res ipſa ſicut video magna & ſacra eſt, cui nos decet accommodare, ne fratres, aut ſorores plus diligamus, quam Chriſtum. Ex Eremo mea, in die Antonij, Anno M.D.XXII.

Obſequium Lutheri.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Indicat cauſam, cur ex Pathmo reuerſus ſit Vuitembergam, & breui eo rurſum ſe rediturum eſſe. Hortatur etiam Spalatinum, ne Elector Fridericus propter Lutheri doctrinam animo frangatur. Et quædam de inueterato odio Ducis Georgii erga Electorem aſpergit. Tandem prohibet contra nouos Prophetas, vi quicquam tentandum eſſe.

IHESVS.

Noui Prophetæ.

SAlutem. Omnia accepi, mi Spalatine, etiam Saccum ipſum, licet tardius cæteris. Propter Prophetas quidem Cygnæos non venio, neq; mutor, neq; enim me mouent. Nollem tamen eos vinculari, præſertim ab ijs, qui noſtra iactant. Eylenburgenſibus noua vel imponuntur, vel finguntur de vſu Sacramenti. Prius quidem mouebar rumoribus, vt ipſe Vuitembergam irem ac viderem, ſed nunc maiora quotidiè audio. Ego planè breui, ſi DEVS volet, reuertar, ſi non Vuitembergæ, certè alibi ſiuè manſurus, ſiuè peregrinaturus. Ita enim res poſtulat ipſa. Principem nolo mei ſolicitum eſſe, quanquam optarim, vt ipſe meam fidem, vel ego eius vires haberem. Nihil dubito quin abſq; & ſanguine & gladio, duas iſtas caudas Titionum fumigantium pulchrè rideremus. Dux Georgius infœliciſsimus omnium in hac cauſa facit, quod facere ſuper eum decreuit, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Hoc eſt odium, quod tàm diu aluit in iſtam

iſtam partem,& non videt hoc ipſum eſſe odium. Dominus reſpiciat eum,ſi dignus fuerit, aliud non poſſum. Tu quoq; cura,ne Princeps noſter manus cruentet in Prophetis illis nouis Cygnæis. Vale & ora pro me. Neq; Epiſcopi neq; Capitonis literæ mihi probantur, ob infelicem & nimis manifeſtarium fucum. Fabricio reſpondi non Epiſcopo, donec ſpiritum eius cognouero. Ex Eremo M. D. XXII. die Antonij. Biblia expecto ægrè, propter datam in obſidem fidem meam.

T. Martinus Lutherus.

DOMINO M. PHILIPPO MELANCHTHONI.

De impoſtura & fuco Cardinalis Moguntinenſis : Ac de nouis Prophetis Anabaptiſtis, Lutheri ſententia & iudicium, & docet quomodo eorum vocatio & ſpiritus probari debeat, ante quam audiantur. Reſpondet etiam ad quæſtionē, an Paruuli baptiſandi ſint? & prædicat vim & efficaciam, non modo propriæ verum etiam alienæ fidei, & quod Eccleſia ſemper crediderit paruulis fidem infundi. Petit etiam á Philippo Melanchthone explicationem dicti Paulini 1. Cor: 7.

IHESVS.

SAlutem. Literæ Moguntini ſi ſolæ fuiſſent, Vicerant, nunc verò cum adiectæ eſſent Fabricianæ artem prodiderunt

& fucum, id quod mihi in Fabricio egregiè diſplicet. Ego volebam impietati finem fieri, & Rethor ille agit cauſam impietatis, dum Epiſcopum docet perſonalia peccata confiteri, ac ſic Luthero credit bellè impoſitum, temperabo & mihi, ne hominem primis literis ſuo merito tractem. Oſtendam autem, vt ſciat Spiritum eſſe in naribus hominis.

Noui Prophetæ.

Venio ad Prophetas, ac primùm non probo tuam timiditatem, cum & maiori tam Spiritu, quam eruditione polleas, quam ego. Ac primùm, cum teſtimonium perhibeant de ſe ipſis, non ſtatim audiendi ſunt, ſed iuxta conſilium Ioannis, Spiritus probandi. Habetis conſilium Gamalielis differendi, nihil enim adhuc audio ab eis dici & fieri, quod Sathanas non queat præſtare vel æmulari. Tu autem ex mea parte hoc explores, an vocationem ſuam poſsint probare. Neq; enim Deus vnquam aliquem miſit, niſi vel per hominem vocatum, vel per ſigna declaratum, ne ipſum quidem Filium. Prophetæ olim ex lege & ordine prophetali ius habebant, ſicut nos modo, per homines. Prorſus nolo eos recipi, ſi nuda reuelatione ſeſe vocatos adſerant, cum nec Samuelem quidem vellet loqui DEVS, niſi per authoritatem conſciam Heli. Hoc primum ad publicam docendi functionem pertinet.

1. Ioan. 4.

Acto. 5.

Nouorum Prophetarum vocatio exploranda.

Prophetarum Spiritus explorandus.

Iam vero priuatum Spiritum explores etiam, quæras num experti ſint ſpirituales illas anguſtias, & natiuitates diuinas, mortes, infernosq;. Si audieris blanda, tranquilla, deuota (vt

ta (vt vocant) & religioſa, etiamſi in tertium cœlum ſeſe raptos dicant, non approbabis. Quia ſignum filij hominis deeſt, qui eſt βασάνος, Probator vnicus Chriſtianorum, & certus ſpiritum diſcretor. Vis ſcire locum, tempus, modum colloquiorum diuinorum? Audi, ſicut Leo contriuit omnia oſſa mea. Et proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Et repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Non ſic loquitur maieſtas (vt vocant) immediatè, vt homo videat, imo, non videbit me homo, & viuet. Et ſtellam paruam ſermonis eius non fert natura. Ideo enim per homines loquitur, quod loquentem ipſum ferre omnes non poſſumus. Nam & virginem turbauit angelus, ſic & Danielem, ſic & Ieremias quæritur, Corripe me in iudicio, & non ſis tu mihi formidini. Et quid plura? Quaſi Maieſtas poſsit cum vetere homine loqui familiatiter, & non prius occidere atque exiccare, ne fœtent odores eius peſsimi, cum ſit ignis conſumens. Etiam ſomnia & viſiones ſanctorum, ſunt terribiles ſaltem, poſtquam intelliguntur. Tenta ergò & ne IHESVM quidem audias glorioſum, niſi videris prius crucifixum,

Ad cauſam inquies, quid? hoc enim eſt alios refutare, non noſtra probare. At hoc quomodo poſſum abſens, cum ignorem quid moueant, ſi nihil aliud excitant quam illud: Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Et quod paruuli per ſe non credant. Prorſus me nihil mouent. Quomodo enim probabunt eos non credere?

De Baptiſmo & fide paruulorũ.

At quod non loquuntur, & oſtendunt fidem, pulchrè. Hac ratione quot horis & nos Chriſtiani erimus, dum dormimus & alia facimus? Annon ergo eodem modo poteſt DEVS toto infantię tempore, ceu continuo ſomno fidem in illis ſeruare? Bene inquies, Hoc confutat Aduerſarios de fide iam infuſa. At hoc interim ſufficit, eos inueniri tales, qui nihil probent, & falſo ſpiritu commoti ſint. Quid de infundenda dicis? nihil eſt reliquum prorſus, niſi fides aliena, quam ſi ſtatuere non poſſumus, nihil diſputandum eſt, ſed ſimpliciter damnandus Baptiſmus paruulorum.

Exempla fidei alienæ.

Tu dicis infirma eſſe exempla fidei alienæ? Ego nihil firmius eſſe dico. Oſtendant autem illi, omnes quoq; dæmones, vnum exemplum fidei alienæ infirmum. Nam quod Samuelem oraſſe pro Saule inducis, nihil eſt, Luxit Saulem, non orauit, aut ſi orauit, non orauit fidè, hoc eſt, non credidit obtineri quod petebat, ſed in dubium, aut in arbitrium DEI ponebat. Quemadmodum Dauid pro paruulo ſuo, & multi pro multis alijs. Si enim certo definiſſet ſe accepturum, vtiq; obtinuiſſet. Stat enim fidelis promiſsio Chriſti, Matt. 18. Si duo ſuper terram, &c. Et, quæcunq; petieritis, credite quia accipietis, & fient vobis. Stet ergo inconcuſſè, impoſsibile eſſe, vt id non fiat, quod petitur, & creditur fieri, alioqui vacillabit vniuerſa doctrina fidei, nec propria fides aliquid valebit, cum nitatur eiuſdem promiſsionibus. Imò fides aliena nobis propria, ſed alteri aliena eſt, nihilominus neceſſe eſt, vt fiat in altero, quod credit. Huc pertinent omnia exempla

Euangelij.

Euangelij. Neq; enim aliquando vnum dimiſit CHRISTVS, qui fide aliena offerretur, ſed omnes ſuſcepit. Et quid plura? Teſtimonia & exempla totius Scripturæ ſtant à fide aliena, id eſt, à propria fide, quæ impetret alteri fidem, & quicquid volet.

Hoc igitur reſtat, an Eccleſia credat paruulis infundi fidem? Nam de Eccleſia fortaſsis hæc quæſtio, non de fide aliena aut efficatia eius vertitur. Fides aliena quicquid poſsit, non eſt diſputandum, cum omnia ſint poſsibilia credenti. Hæc autem quæſtio eſt de facto, non de iure, non enim poſſumus diſputare, An Eccleſia deberet credere, infundi paruulis fidem, cum poteſtatem habeat, in totum non baptiſandi paruulos, nec eſt locus Scripturæ, qui eam cogat hoc credere, ſicut ſunt aliorum Articulorum. Quid igitur faciemus hic? Ius non probamus? Fidem quis videt? Ad confeſsionem igitur eundum. Siquidem ore confeſsio fit ad ſalutem. Iam quid confitetur Eccleſia, ſe credere in hoc Articulo? Nonne pueros etiam eſſe participes beneficiorum Chriſti? Obijcitur verò, Quid ſi Auguſtinus, & quos Eccleſiam vocas vel eſſe credis, in hac parte errarint? Quis certos nos faciet, cum probare non poſſumus, debere eam ſic credere? At eadem obiectio impugnabitur. Si non ius tamen factum proprie credendi in Eccleſia. Quis enim certus erit Auguſtinum crediſſe Trinitatem, ſi confeſsioni eius non creditur? Confeſsionem eius certus ſum conſonare Scripturæ, Sed eum credere ſicut confitetur, ſum incertus. Ego verò video id ſingulari

Quæſtio, an Eccleſia credere debeat Paruulis infundi fidē?

Baptiſmus Paruulorũ nunquam negatus eſt in Eccleſia.

miraculo DEI factum, vt ſolus hic Articulus de paruulis baptiſandis, nunquam fuerit negatus ne ab hæreticis quidem, adeo nulla eſt cõfeſsio illius in oppoſitum, Sed econtra totius orbis confeſsio conſtans & vna ad propoſitum. Hanc autem confeſsionem negare eſſe Eccleſiæ illius veræ & legitimæ, arbitror impijſsimum eſſe. Idem enim mihi videtur, atq; Eccleſiam negare. Cum ſi non eſſet, hæc Eccleſia abſq; dubio aliquando dediſſet contrariam cõfeſsionem. Cum fides Eccleſiæ nunquam non fuerit, & nunquam non confeſſa fuerit, quod credit, plura tu ſapiens ex iſta occaſione capies.

Offerre ad Chriſtum.

Cum igitur ad Baptiſmum afferre, non ſit aliud quam ad Chriſtum præſentem, & manus Gratiæ aperientem in terra, offerre, Et ille vniuerſis exemplis oſtenderit ſeſe acceptare, quod offertur, cur hic dubitamus? ſaltem hoc Prophetis iſtis abſtulimus, ne poſsint ſua probare, cum deſit eis exemplum & teſtimonium, nobis autem adſint teſtimonia & exempla, Tum eorum Teſtimonium nobis non repugnat. Quis enim ſic arguet, credendum eſt & baptiſandum, Ergo paruuli non ſunt baptiſandi. Non enim ex hoc loco iſtam conſequentiam trahent, cum non probet paruulos non credere, quod ipſi præſupponunt, & aliunde probare debent, atq; non poſſunt. Quod ergo non eſt contra Scripturam, pro Sciptura eſt, & Scriptura pro eo. Iam eadem ſubtilitate Circumciſionem tulerint, dicendo, Paruuli non habent fidem Abrahæ, Ego non debent habere ſignaculum eiuſdem fidei. Cum certum nobis ſit Circumciſionem æqualis Baptiſmo virtu-

Paruuli circumciſi.

mo virtutis fuiſſe. Non igitur video, cur non authoritate quoq; DEI & exemplo iſto, paruulos oporteat baptiſari. Niſi quod Baptiſmus liber eſt, non exactus, vt Circumciſio, proinde neq; in tempora, ætates, loca, & alia quoq; externa captiuari debuit, cum totus liber ſit in ſeipſo. Quod ergo tunc dictū eſt vni genti in octaua die, hoc dicitur nunc omnibus populis omnium ætatum, qui crediderit, &c.

Sed plura coràm, ſemper expectaui Sathanam, vt hoc vlcus tangeret, ſed noluit per Papiſtas. In nobis ipſis & inter noſtros molitur hoc grauiſsimum Schiſma, verum CHRISTVS conteret eum velociter ſub pedibus noſtris. Volo etiā ſcire, vt tractaris illud, 1. Cor. 7. Alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autē ſancti ſunt. Num de ſolis adultis, aut de ſanctitate carnis intelligi velis? Nam hinc paruulos fuiſſe baptiſatos ritu & tempore Apoſtolorum, optarim oſtendi. Quanquam video, quid dici poſsit de iſta ſanctificatione, tamen tuū etiam iudicium videre volo. Cur enim de ſolis filijs diceret, cum ſanctis omnia ſunt ſancta, & mundis omnia munda?

Libellum aduerſus Epiſcopum Moguntinum proditurum, & generalem increpationem facturum, vbi inſani erint alij, ſerua. Para mihi Hoſpitium, quia Tranſlatio me vrgebit ad vos reuerti. Et ora DOMINVM, vt fiat cum ſua voluntate. Opto autem latere quantum fieri poteſt, interim procedam quo inſtitui. Vale 8. Epiphaniæ. Anno M. D. XXII.

Libellus aduerſus Epiſcop. Moguntinenſem.

Tuus Martinus Lutherus.

REVEREN-

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

REVERENDISSIMO VIRO, DOMINO Nicolao Amsdorffio, S. Theologiæ Licentiato & Canonico Vuitembergenſi, &c.

De ſtatu animarũ Iuſtorum, vſq; ad iudicii diem,& de poenis damnatorum, ac de purgatorio Lutheri ſententia, cui quædam attexit de nuptiis D. Carolſtadii, deq; Bibliorum tranſlatione, & nouis Prophetis Cigneis.

IHESVS.

DE Animabus tuis non ſatis habeo, quod tibi reſpondeam. Procliuè mihi eſt concedere tecum in eam ſententiam, Iuſtorum animas dormire, ac vſq; ad iudicij diem neſcire vbi ſint. In quam ſententiam me trahit verbum Scripturæ: Dormiunt cum patribus ſuis. Et mortui reſuſcitati per Chriſtum & Apoſtolos idem teſtantur, cum velut à ſomno euigilarunt, ignari vbi fuerint. Accedunt huc & Ectaſes ſanctorum multorum. Nec habeo, quibus hanc ſententiam ſubuertere poſsim. Sed an vniuerſale hoc ſit omnibus animabus, non audeo aſſerere, propter Raptum Pauli, Eliæ & Moyſi, qui vtiq; non ficti, apparuerunt in monte Tabor. Quis enim nouit, quomodo Deus agat cum animabus ſeparatis? Nonne poteſt eas æquê, ſopire alternis vel quamdiu voluerit, atq; viuentes in carne ſopit? Iam illud Lucæ 16. de Abraham & Laſaro, etſi non vrget Vniuerſalem, tamen ſenſum

ſenſum tribuit Abrahæ & Lazaro, & durum eſt hoc ad iudicij diem torquere.

Idem de damnatis ſentio, poſſe aliquas ſentire pœnas ſtatim à morte, aliquas vero ſeparari vſq; in illum diem. Nam Epulo cruciatum confitetur. Et Pſalmus dicit, Virum iniuſtum mala capient in interitu, niſi tu & hoc trahas ad diem Iudicij, vel ad tranſeuntes mortis corporalis anguſtias. Igitur mea ſententia eſt, incerta hæc eſſe. Veriſimile autem, exceptis paucis, omnes dormire inſenſibiles. Tu nunc vide, qui illi fuerint ſpiritus in carcere, quibus Petrus ſcribit per Chriſtum eſſe prædicatum, annon, & illi dormire in eum vſq; diem poterint? Iudas autem de Sodomitis dicit, Ignis æterni pœnam ſuſtinentes, loquens de præſenti. De Damnatis.

Mea autem ſententia de purgatorio ſic habet, non quod certum locum arbitror, vt Sophiſtæ fingunt, aut omnes qui extra cœlum & infernum manent, in purgatorio eſſe arbitror. Quis enim hoc aſſeret? Cum dormire poſsint inter cœlum, terram, infernum, purgatorium, & omnia, ſicut viuentibus contingit, in profundo ſomno. Sed quod eam pœnam eſſe ſentiam, quam guſtum inferni dicunt, qua Chriſtus, Moyſes, Abraham, Dauid, Iacob, Iob, Ezechias, & multi alij laborauere. Ea enim cum ſit ſimilis inferno, tamen temporalis, ſiue extra corpus, ſiue in corpore fiat, purgatorium mihi eſt, nam talem pœnam tribuimus purgatorio. Cum autem in corpore aſſeratur, & certa ſit, extra corpus quoq; negari non poteſt, quanquam nec demonſtrari, vt prorſus quicquid De Purgatorio.

hic crediderís, non erraueris. Non enim ſi neges purgatorium, hæreticus es, quia non negas hanc pœnam in corpore ſentiri, & extra corpus ſentiri poſſe. Sed hoc negas, deſtinatum locum eſſe, & certum eſſe extra corpus ſentiri. Hoc & ego nego, qui enim in corpore eam ſentiunt, iam in corpore plane non ſunt, quo ad vitam ipſam, mortui enim ſunt. Quare non eſt, vt neges, hanc pœnam hoc modo extra corpus eſſe. Hactenus ego, Tu ſi quid amplius habes, doce.

Carlſtadii Nuptiæ.

Carlſtadij Nuptiæ mire placent, noui puellam, confortet eum Dominus in bonum exemplum inhibendæ & minuendæ Papiſtic æ Libidinis, Amen. Munuſculum meum ipſe feram ſuo tempore poſt Paſcha. Interim Biblia transferam, quanquam onus ſuſceperim ſupra vires. Video nunc, quid ſit interpretari, & cur hactenus à nullo ſit attentatum, qui profiteretur nomen ſuum. Vetus verò Teſtamentum non potero attingere, niſi vobis præſentibus & cooperantibus. Deniq; ſi quo poſſet fieri, vt ſecretum Cubile apud veſtrum aliquem haberem, mox venirem, & veſtro auxilio totum ab initio transferrem, vt fieret translatio digna, quæ Chriſtianis legeretur, ſpero enim nos meliorem daturos eſſe (quam habeant Latini) noſtræ Germaniæ. Magnum & dignum opus eſt, quod nos omnes laboremus, cum ſit publicum, & publicæ ſaluti donandum. Reſponde ſuper hæc quid ſit ſpei. Non opto, vt totus & omnino lateam, cum hoc ſit impoſsibile, ſed vt ſciatur, me velle latere, vel neſciatur me velle apparere. Arbitror enim hac ratione ſatisfieri

Bibliorum translatio.

timidisq;

timidisque & malis, cum ſenſerint me latere velle.

Prophetæ Cignæi non vos citò moueant, habetis Scripturam, Deut.13. & 1.Iohan.5. quæ vos ſecuros faciunt, vt non peccetis, ſi differatis eos, & probetis primò ſpiritus, an ex Deo ſint. Interim dabit Dominus quod faciendum ſit. Mihi ſanè hoc ſecundum faciem vehementer ſuſpectum eſt, quod iactant colloquia Maieſtatis. De quibus plura ad Philippum. Vale & ora pro me, die Octaua Epiphaniæ. M.D.XXII. Prophetæ Cignæi.

T. Martinus Lutherus.

AD ILLVSTISSIMVM PRINCIPEM Fridericum, Ducem Saxoniæ, Electorem, &c.

Excuſat ſe Lutherus, quod inſcio Electore, ex Pathmo Vuitembergam redierit, & huius facti tres præcipuas cauſas commemorat. Rogat igitur vt illuſtriſsimus Princeps Elector, hunc ſuum reditum clementer ferat ac boni conſulat, affirmat etiam magna confidentia, de ſe ipſius Celſitudini nihil periculi metuendum eſſe.

IHESVS.

GRatia & pax à DEO Patre noſtro, & Domino noſtro IHESV CHRISTO, Amen, cum debita officiorum

meorum ſubmiſsione, Illuſtriſsime princeps, Domine clementiſsime. Diligenter & accuratè mecum ipſe perpendi, prouidendum mihi eſſe, ne vel quid oneris & inuidiæ, Cel. Veſ.cumularem, vel moleſtia aliqua afficerem,ſi inexplorata voluntate Cel.V. nec permiſsione reditus impetrata,Vuitembergam ſubitò me reciperem. Quia ſpecioſa quadam veri ſimilitudnie exaggerari poſſent diſcrimina & pericula, quæ & perſonæ & ditioni,ac ſubditis Cel.V. propterea impendere viderentur, in primisq́; mihi ipſi,vt,cui iam edictis, fulmine,& authoritate Pontificia & Cæſarea,damnato, & quantum in ipſis fuit,infrà mortuos amandato, ſingulis horis violentus interitus expectandus ſit.Verum quid faciam? vrgent me cauſæ ineuitabiles,DEVS cogit & vocat,Hic nulli creaturæ tergiuerſandū eſt, age,fiat igitur in nomine IHESV CHRISTI, qui eſt Dominus vitæ & mortis.

Ne tamen ignoret Clementia veſtra, cauſas mei facti iuſtas & neceſſarias, conſtitui nonnullas, quibus iam præcipuè moueor,fideliter Cel.Veſt:commemorare.

Prima cauſa reditus Lutheri.

Principiò autem non ſic intelligat hoc meum factum, quaſi faſtu quodam inductus, & contemptu potentiæ Cæſaris,aut Celſ.V.aut vllius deniq; Magiſtratus, hoc mihi cæperim conſilij.Quanquam enim accidit interdum,vt humanæ poteſtatis imperium detrectandum ſit,verbi cauſa, ſi decernat aliquid verbo DEI contrarium ſeu repugnans: Tamen nunquam ipſa poteſtas contemnenda, ſemper verò inſigni honore afficienda eſt.Nec enim CHRISTVS, quia Pilati ſententiam

ſententiam non iuſtificabat, ſed improbabat, idcirco vel illum, vel Cæſarem de ſolio detrudebat, aut inſolenter & ſuperbê deſpiciebat,

Prima cauſa conſilij mei eſt hæc, quod vocatus ſum literis Eccleſiæ & Populi Vitembergenſis, idq; precibus ac ſolicitationibus ſane multis. Cum igitur negari minimè poſſit, quod per me hæc emendatio doctrinæ religionis in hac Eccleſia cæpta ſit, & fateri me cogar propè addictū & deditum miniſtrum illius Eccleſiæ, ad quam me Deus vocauit, non potui vllo pacto de me recuſare, quin accurrerem, niſi Chriſtianæ charitatis fidelitati & operi renuntiare vellem.

Etſi autem mihi nota ſunt iuditia multorum, qui totum hoc negotium, & doctrinæ emendationem, tanquam diabolicam ſementem deteſtantur, condemnant, & hanc quàm attuli cauſam, prorſus futilem & nullius momenti eſſe ſtatuunt. Et minus abhorrere ab æquitate putant, ſi Vuitemberga & quicquid ibi diuinitus inchoatum eſt, omnibus diris deuotum, immenſis terræ hiatibus abſorbendum relinqueretur. Ob horum tamen ego impietatem non excuſor. Nam DEVS me non iudicabit ſecundum aliorum, ſiue multi, ſiue pauci fuerint, fidem aut incredulitatē, ſed iuxta meæ conſcientiæ certitudinem. Certò autem ſcio, & firmiſsimè perſuaſum habeo, meum verbum ſeu initium mei Euangelij, non à me, ſed à Deo profectum eſſe. Nec vllum genus mortis aut perſequutionis, DEO iuuante hoc mihi excutiet, aut diuerſum docebit. Et videor mihi recte diuinare, nullis terroribus, aut ſæuitia hanc lucem aboleri poſſe.

Secunda cauſa reditus.

Altera cauſa eſt, quod Vuitembergę, me abſente, Sathanas irruit in gregem meum, & vt iam vbiq; omnium clamores teſtantur, idq; veriſsimè, tantum excitauit turbarum, Vt mihi ſcriptis duntaxat hos tumultus reprimere, & ſedare non ſit integrum, ſed neceſſe eſt me viuum, præſentem, loquentem & audientem ibi agere, adeſſe, prçeeſſe & prodeſſe. Itaq; nullius moræ ſpacium aut dilationem vlteriorem mea conſcientia ferre potuit. Nec ſolum C.V. vel offenſionem vel beneuolentiam, ſed etiam totius mundi vel odium vel furores, tantæ Eccleſiæ neceſsitati poſthabenda duxi. Hic enim certe eſt Grex meus, à Domino mihi commiſſus & traditus, hi ſunt filij mei in Chriſto.

Quare hic omnis dubitatio mihi præciſa, & diſputatio ſublata eſt: Ceſſandum ne, an accurrendum eſſet ad eos, pro quibus vitam quoq; profundere & mortē oppetere debeo, quod & faciam cupidè & alacriter, DEO iuuante, quemadmodum requirit à nobis CHRISTVS, Ioan. 10. Quod ſi literis, vt hactenus, tanto vulneri mederi potuiſſem, nec opus fuiſſet me accerſi, etiam in perpetuum carere conſpectu Vuitembergæ non dubitarem, cum etiam hunc ſanguinē & hanc animulam proximo meo debeam.

Tertia cauſa reditus Lutheri.

Tertia cauſa eſt, quod admodū vereor (valdeq; angor animo, me nimis vera timere) ne qua magna & horribilis ſeditio in Germania oriatur, qua natio Germanica graues pœnas det contemptus & ingratitudinis beneficiorum Dei. Videmus enim quanta cum approbatione, applauſu, gra-

tulatione

tulatione & concurſu,Euangelium à plurimis accipiatur.Sed in populo multi hoc beneficiū carnaliter accipiunt, cernunt apertis oculis veritatem nec tamen ea,vt debent, vtuntur.

His facem admouent illi, quos moderatione ſua hanc tempeſtatem ſedare oportuit, aggrediuntur manifeſta vi & immanitate, ad hoc diuinitus accenſum lumen extinguendum, nec ſentiunt animos hominū hac amentia magis magisq; exacerbari, & ad concitandum ſeditionem quaſi claſſicum cani. Ac mihi quidē de induſtria hoc moliri,hoc agere videntur, vt vel ſe, vel certè poſteros ſuos peſſundent, quod citra dubium ita cōſilijs Dei gubernatur in pœnam illorum. Nam Tyrannis Eccleſiaſtica iam debilitata & fracta eſt, quam ego ſolam mihi propoſitam habui ſcribendo. Nunc video DEVM vlterius progredi,& aliquando idem facturum, Vt fecit Iheroſolimæ,cum & Eccleſiaſticam gubernationem & politicam, perſequutione Euangelij, & alijs furoribus ab ipſis conturbatam,funditus euertit. Ego enim recens hoc dicere cœpi,non tantum Eccleſiaſticam aut Spiritualem, ſed etiam politicam & ciuilem poteſtatem cedere Euangelio oportere,ſiue cum bona, ſiue cum mala gratia,vt omnes hiſtoriæ Biblicæ euidenter oſtendunt.

Cum autem DEVS poſtulet per Ezechielem, vt ipſi opponamus nos tanquā murum pro populo,Ideoq; & ego neceſſarium eſſe duxi,hac de re cum meis cōmuni conſilio, & ſtudio,docendo,monēdo,hortando omnia agere,quæ poſſumus ac debemus,vt iram & iudicium DEI, aut auertamus aut certè aliquandiu differamus. Quanquam igitur hæc res

fortaſſe

fortaſſe & ipſi mihi fruſtra ſuſcepta, & hoſtibus meis ridicula videbitur, cum ad eos delata fuerit: Tamen ego debere me iudico omnia facere, quæ video & exiſtimare poſſum profutura. Nam hoc auſim verè affirmare, & Celſ. V. velim eſſe quam certiſsimum, longè aliud in cœlo quam Norimbergæ in conuentu pronuntiatū & concluſum eſſe, & breui cernemus, quod illi qui nunc ſomniant, ſe penitus deuoraſſe Euangelium, & quaſi crudum in aluum tranſmiſiſſe, nondum has ipſas epulas illibatas, precibus de more conſecrarint.

Plures etiam cauſæ commemorari poterant, quæ mihi nondum vim faciunt, ideoq; eas perſequi cogitatione deſiſto, nec altius inueſtigo. Nimium illa roboris & firmamenti habet, quod Euangelium laborare & premi incipit, ideoq; hic neminem mortalium curare aut reſpicere debui.

Hæc cum ita ſint, oro C.V. vt clementer & boni conſulat aduentum meum in oppidum C. V. ea ignorante & iniuſſu eius. Nam quidem C.V. Dominus eſt mei corpuſculi, & fortunularum, Chriſtus verò etiam animarum, ad quas me miſit, & ad quarum curam me exuſcitauit, Has nequaquam mihi deſerendas eſſe iudico. Spero & confido, Dominum meum CHRISTVM potentiorem fore noſtris inimicis, & me contra illorm furores defenſurum & ſeruaturum,
„ cum volet. Sin minus, fiat eius bona voluntas, de me quidem
„ nihil periculi vel aduerſi exiſtet Celſ. Veſ. Hoc ſecurè auſim promittere. Ad extremum Celſ. V. diuinæ Miſericordiæ & bonitati

bonitati commendo. Datum Vuitembergæ die Veneris poſt Inuocauit, Anno M. D. XXII.

Veſt. Celſ.
deditiſſ.
Martinus Luther.

NICOLAO HAVSMAN PASTORI Eccleſiæ apud Cigneam.

Cum Sathanas in Eccleſia Zuuickauienſi nouos Prophetas exuſcitarit, hortatur Lutherus Hausmannum ad conſtantiam, & vt caueat ſibi ab iſtis Prophetis, & verbo tantum eorum deliria confutet, non aliqua vi manifeſta, conqueriturq; de turbis Vuitembergæ concitatis, quas tantum prædicatione verbi ipſe proſtrauerit. Damnat etiam Miſſas & abuſum Miſſarum, vna cum adoratione imaginum, ac omnes leges Papæ abrogat. Poſtremo adiicit quærelam de abuſu Chriſtianæ libertatis, & vult Infirmorum rationem habendam eſſe.

IHESVS.

SAlutem. In tantis tumultibus, mi Nicolae in Chriſto, cum variè ſim occupatus, non potui tamen non ſcribere ad te, præſertim vbi occaſio vrgebat, & amicus iſte, liberator veſter, petebat: Spero autem te in fide firmum eſſe, & quotidie creſcere in cognitione Chriſti. Prophetæ veſtri, qui ex vobis prodierunt, moliuntur & parturiunt monſtra, quæ (Prophetæ Cignei.)

mihi non placent: Quæ ſi nata fuerint non mediocre damnum inferent. Subdolus & ſpecioſus eſt iſte eorum Spiritus valde, ſed DOMINVS ſit vobiſcum, Amen.

Turbæ Vuitembergenſes.

Sathanas hîc in meis Septis multa mala tentauit, & ſic, vt difficile fuerit ei occurrere, citra ſcandalum vtrinq;. Tu verò vide, ne quicquam ſinas nouari communi decreto aut impetu. Verbo ſolo inpugnanda ſunt, Verbo proſternenda ſunt, Verbo delenda ſunt, quæ noſtri vi & impetu tentauerunt: Sic impulit eos Sathanas.

Miſſarum condemnatio.

Damno Miſſas pro ſacrificijs & bonis operibus haberi, ſed nolo manum apponere, aut vi arcere nolentes vel incredulos. Verbo ſolo damno, qui credit, credat & ſequatur, qui non credit, non credat & dimittatur. Non enim ad fidem & ad ea quæ fidei ſunt, vllus cogendus eſt, ſed verbo trahendus, vt volenter credens ſponte veniat.

Imaginum condemnatio.

Damno imagines, ſed verbo, non vt exurantur, ſed ne fidutia in illis ponatur, ſicut hactenus factũ eſt, & fit, ſponte ſua caderent, ſi populus inſtitutus ſciret, eas nihil eſſe coram DEO. Sic leges Papæ, de confeſsione, oratione, ieiunio, damno, ſed verbo, vt conſcientias ab eis liberem. Quæ vbi liberatæ fuerint, poſsint tandem illis vti, propter infirmos alios, qui adhuc ſunt illis inuoluti, tum non vti, vbi firmi fuerint, vt ſic charitas regnet in ijs externis operibus & legibus.

Legum Papæ abrogatio.

Querela de abuſu Chriſtianæ libertatis.

At nunc nemo mihi moleſtior eſt, quam hoc vulgus noſtrum, quod relictis verbo, fide & charitate, ſolum in hoc

gloriatur

gloriatur, ſe Chriſtianum eſſe, quod coram infirmis carnes, oua, lac comedere, vtraq; ſpetie vti, non ieiunare, non orare poſsit. Hac forma docendi rogo, & tu incedas, verbo quidem omnia ſunt vrgenda, ſed corda paulatim, ceu greges Iacob, iuuanda, vt ſponte verbum prius capiant, & roborata tandem faciant omnia. Sed ſuperfluè fortaſsis hæc tibi, tuum officium charitas ſolicita monebit. Tu bene in Chriſto vale, & Euangelium iuua orationibus tuis. Vuitembergæ feria 2. poſt Reminiſcere, Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Sententia Lutheri, de lapſu & emendatione Gabrielis Didimi, ac de verſione Euangeliſtæ Matthei, interpretatur etiam dictum Eſaiæ 11. capite.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTSO. De Gabriele ſentio vt antea, mi Spalatine, nec tua me ratio tantillum mouet, quæ hoc agit, ne quiſquam ſperet, fratrem lapſum poſſe emendari, aut ſi iterum labatur, non poſſe iterum ſurgere. Chriſtus aliter iudicat quam tu, qui ſepties ſeptuageſies indulget fratri: Nec tu ferre poſsis, ſic de te apud Deum iudicari. Spero te accepiſſe Matthæum vernaculum totum

Hic Gab. Did. vna cum Carolſtadio Vuit. abſente Luthero in Pathmo, turbas excitauerat.

cum alijs, nam te vnum ſic viſum eſt honorari, quod præſumamus Principi quoq; talia oſtendi. Duci Iohanni etiam vnum exemplar mittitur, præter hæc nulli vel charta videri datur, ne ipſis quidem in officina laborantibus: Opto ſcire, vt placeat iſte labor.

Enarratio dicti. Eſa. 11.

Iſaiæ 11. iuxta Hebreon ſic habetur, Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris Domini. Claret itaq; ſeptimum illud (ſcilicet pietatis, & replebit eum Spiritus) eſſe adiectitium. Dimiſsis omnium nugis vel ſerijs, Ego ſic ſentio, pij hominis vitam in tria diuidendam.

Diuiſio vitæ hominis pii.

I. Primùm ad ipſius animæ vitam, qua ex fide viuit, pertinere, hic ſapientia & intellectus, ſapientia, quia per fidem cognoſcit DEVM, & quæ DEI ſunt, intellectus, quo ſcrutatur de die in diem, magis ac magis ea quæ ſapientiæ ſunt. Vt intellectus ſit ferè, vſus, exercitatio, inueſtigatio, profectus, robur, incrementum ſapientiæ, ſiue aliter id velis appellare. Nam Hebraicè Bina, id eſt, intelligentia, propriè eſt acuta diligensq; obſeruatio, & vt vocant, inuentiua & exploratiua cognitio, & fortius ad affectum quam ad mentem ſonat, vt Daniel. 8. Ad vxores & ad omnem DEVM non intelliget, id eſt, non dabit operam, vt cognoſcat & ſciat, &c.

II. Alterum eſt, intelligens & ſapiens, cum ſapientiam & intellectum poſſederit, iam incipit proferre foras, ita viuere, loqui & docere, tunc incipit perſecutio & crux, quia mundus

dus fidem & verba ſapientiæ & intellectus non patitur. Hic Spiritus conſilij & fortitudinis regnat, vt homo prudens ſit, quid faciat & ſequatur in tribulationibus, quod tamen & ipſum fluit ex ſapientia & intellectu, ceu ex fonte. Porro fortitudo ſeu potentia ad affectum pertinet, vt ſuſtineat, & vincat in perſecutionibus. Igitur ſicut ſapientiam ita conſilium, ad mentem, vt intellectum ita & potentiam ad affectum referas.

Tertium eſt ipſa externa conuerſatio cum hominibus. Hic ſcientia & timor Domini regnat, ſcientia, vt ſciat omnia eſſe libera, valetq; contra Hypocriſin & ſuperſtitionem in cibis, potibus, veſtibus, & quicquid vel homines ſtatuunt, vel ipſa natura ſibi fingit: Agiturq; id vnum, vt corpus liberè, ſed tamen diſcretè, hoc eſt, cum ſcientia domet & regat. Timor Domini affectum regit, ne ſuperbiat firmus contra infirmum, & libertatem vertat, vel in occaſionem carnis, vel in ſcandalum fratri, ſed vtatur libertate in timore Domini, modeſtè & ſalubriter. Multis teſtimonijs hæ verborum ſignificationes probari poſſunt, quas tu ipſe obſerua legendo, & hanc noſtram ſententiam (ſcio) probabis. Fuge ergo ſomnia illorum, qui de donis Spiritus hunc locum ineptiſsimè tractarunt, imo lacerarunt. Mitte quæſo hos libellos in regnum volucrum, ad eum quem noſti. Et vale, ſauluta aulam in Domino. M. D. XXII. III.

Tuus Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, DOMINO NICOLAO GERBELIO Doctori Iuris Argentinenſi.

De furoribus Sathanæ, & Mundi perſecutione aduerſus Lutherum, deſtitutum omni humano præſidio & auxilio, quibus omnibus ſuas conſolationes opponit, monet vero Gerbelium, vt ſuis orationibus adiuuet curriculum Euangelii. Ac vaticinatur de ſeditione propediem ſecutura in Germania.

IHESVS.

SAlutem. Perueniſſe ad te arbitror, optime Gerbeli, quas antea dedi literas ex Eremo, per Philippum ad te, nunc quamuis tu nihil reſcripſeris, nolui tamen hunc Ariſtobulum veſtrum ad vos redire ſine breui ſaltem Chartula, qui te in Chriſto ſalutaret & compellaret meo nomine, atq; rogaret, vt me commendatum faceres apud Dominum. Furit Sathanas, & fremunt vicini vndiq;, neſcio quot mortibus, & infernis, iam & reipſa mea adeo Aula, medius fidius turbauit res vſq; ad deſperationē. Viuum ergo coactus ſum meipſum in medium Cæſaris & Papæ furorem conijcere, ſi forte lupum è caula queam eijcere. Itaq; iam nullis præſidijs cinctus ſum, niſi cœleſtibus, ſed verſor in medio hoſtiū, quibus ius eſt per homines datum, me omni hora occidendi. Ego me ſic ſolor, quód ſcio CHRISTVM eſſe DOMINVM omnium, cui Pater omnia poſuit ſub pedibus eius, haud dubium & Cæſaris iram, & vniuerſos Dæmones, qui non ſunt de ouibus

de ouibus quas Pater ſubiecit filio. Ita ſi is volet me occidi, accidat in nomine eius. Si nolet, quis me occidet? Tu tantum cum tuis cura, vt Euangelium iuues orationibus: Video enim Sathanam id moliri, vt non modo Euangelium extinguatur, ſed & tota Germania ſanguine proprio inundet. Heu quæ monſtra ille cogitat, & niſi fallor nimis certò inſtant, eo quod non ſint, qui ſe murum ponant aduerſus DEVM pro domo Iſrael. Tum quod Euangelion regni, præ dura noſtra ingratitudine habemus in ſolo ſermone, ſed non in vitute, & magis inflamur ſcientia quam ædificamur charitate, ideo dabitur nobis, vt metuo, ſicut meremur. Ora ergo: orent & veſtri, oremus omnes, res ſeria eſt, & Sathanas incredibili aſtu & ſummis viribus nos petit. Hic ſiſtere cogor calamum ob occupationes. Tu vale cum coniuge tua, & ſaluta omnes noſtros, Vuitembergæ. Feria 3. poſt Reminiſcere. Anno M.D.XXII.

T. Martinns Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Mittit literas Hartmanni a Cronberg, quas Spalatini conſilio & nomine vult excudi, Mittit item aliorum literas legendas, ſibiq; remittendas, de libello ſuo, de traditionibus hominum, ſuo hoſpiti dedicando, conſilum Spalatini petit.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Mitto ad te literas has Hartmanni de Cronberg, hoc nomine, vt tuo conſilio excudendas remittas ad nos alia manu deſcriptas. Nam noſtri eas contempſerunt nimio, vt niſi tuum nomen & conſilium prætexam, commodè vulgare non poſſim. Vides etiam literas Ducis Alberti Marchionis, tu ſi quid librorum eiuſmodi ad Principem venerit, me certiorem redde ac remitte. Lege etiã literas Ducis Caroli, animi gratia, & remitte, Item literas Ducis Ioannis Friderici, Cæterum tuum conſilium peto. Statui in Eremo mea, Libellum inſcribere Hoſpiti meo, de traditionibus hominum, nam petebat à me in hac re erudiri, ſed metuo ne per hoc prodatur locus captiuitatis meæ. Et ſic ſcribe, vt iudicium tuum poſſim ad ipſum mitterre: Si diſſuaſeris, & alteri inſcribam, cupio ei ſcribere & mittere, quæ excuſa ſunt, ſi nuntium tu haberes ad eum. Vale & ora pro me, feria 2. poſt Oculi. Annno M. D. XXII.

Literæ quorundam Principum ad Lutherum.

Tuus Martinus Lutherus.

DOMINO NICOLAO HAVSMANNO, Paſtori in Cignea.

Ad aliquot quæſtiones Hausmanni, ſuum exponit conſilium. Atq; vt omnia ſuperſtitioſa ſolo verbo grauiter corripiat, reliqua vero committa Deo, Chriſti exemplo & Apoſtolorum monet, Docet etiam quod ſit

Magiſtratus

Magiſtratus in eiusmodi negotio officium, in aliis ceremoniarum mutationibus ſuadet, vt exemplum Vuitembergenſium ſequatur.

IHESVS.

SAlutem. Hic Vir nuntius tuus, mi Nicolae, Quæſtiones mihi tuo nomine propoſuit, de Sepulturis, de Confeſsionibus, de Prædicationibus Minorum, & eorum priuilegijs. In primis meum conſilium eſt, vt omnia hæc ſolo verbo tentes & impugnes, ſinasq; illos reclamare & blaſphemare, fallere & ſeducere, quos fallunt, Sic enim CHRISTVS & Apoſtoli fecerunt, quos verbo ſeruare non potuerunt, ire dimiſerunt. Cæterum ad Magiſtratum pertinet illis interdicere, ſi quid ferendum ab eis non eſt. Et ipſi tenentur eis obedire propter communem pacem, cui cedere debent omnia priuilegia, imò etiam iuuare eam debent. Nec habent quod poſsint contradicere, cum Euangelio poſsit eorum os, cum priuilegijs obſtrui, ſicut Paulus dicit: Soliciti ſeruare vinculum pacis. Cum autem veſtra pars tractet Euangelica, illorum autem ſectetur humana, debent ipſi cedere ſua, propter pacem. Quod ſi Senatum non audierint, dimittantur clamare & inſanire, & abſtrahatur vulgus ab eis quantum fieri poteſt, ſic Petrus dixit Acto. 2. Saluemini à generatione hac peruerſa. In alijs rebus nouandis antea tibi ſcripſi, & nunc ſcribo, vt noſtram Vuitembergæ inſtitutam normam æmuleris, ſi placet, quam breui audies. Vtramq; enim ſpe-

Ceremoniarum mutatio verbo tentanda eſt.

Vuitembergenſium mutatio.

tiem liberam ſecimus, ſed ijs qui digni & timorati fuerint. Cætera omnia in ſuo ritu permittimus, & vnumquemq; in ſuo ſpiritu abundare. Solo autem verbo agimus, docentes quid Euangelium de Miſſa & communione habeat, neminem cogentes abſtinere vel celebrare. Conſcientia cuiusq; ſibi viderit vt Euangelio reſpondeat, donec omnes creſcant, & omnes Euangelici fiant. Nam in hac cauſa populus regendus eſt, non ſecundum quod Euangelium habet, ſed ſecundum quod Euangelium habetur: Non enim omnes capiunt Euangelium, ideo non omnes poſſunt Euangelicè regi. Debent tamen omnes Euangelicè doceri, donec omnes capiant. Interim alij ferendi ſunt, qui nondum capiunt. Saluta dominum conſulem Molpfordium, & dic nomine meo, vt Euangelium iuuet, cui ſcripſiſſem, niſi ſcriptionis multitudine obrutus eſſem. Vale & ora pro me. Vitembergæ feria 4. poſt Oculi. Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Mittit ſupplicationem Principi offerendam, pro miſero Pfaffenbeckio, & indicat Principis officium eſſe eleemoſynis & liberalitate egenis ſuccurrere.

IHESVS.

Salutem

SAlutem in Domino. Sicut nuper ſcripſi, ita nunc mitto literas & libellos mittendos ad Eremitam meum, tu curabis, vt promiſiſti, eò ferri. Et hanc ſupplicationem pro Pfaffenbeck fideliter offeres Principi, & iuuabis miſerum hominem, vt alimentum vitæ, ex aula iſta impetret. Vehementer enim iſtius me miſeret, neq; credo eum fingere ſuam neceſſitatem, tam arduis verbis rem apud me agit. Ecce Deus qui deponit potentes de ſede, & ſuperbos humiliat vſq; in nihilum, ſed rurſus etiam eriget ſi crediderit humiliatum. Memento Principem debitorem eſſe, eiuſmodi homines iuuare, Sic enim charitas præſcribit, & hoſtibus quoq; tum ſeruos tum debitores facit, ſicut Paulus debitorem ſeſe fatetur ſapientibus & inſipientibus. Non enim ſatis eſt, Kein vnrecht thun, requiritur & wol thun, Et ei ſein recht thun, non requiritur. Tu vale & ora pro me quoq;, Dominus tecum, Amen. Feria 6. poſt Oculi. Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

IOANNI LANGO THEOLOGO ET Euangeliſtæ Erphordienſis Eccleſiæ.

Confirmat Langum e monaſterio egreſſum, pleroſq; adhuc frigere nimis in amplectenda doctrina Euangelica quæritur. Cur Erphordiam non veniat ſe excuſat, plurimos non pio zelo ſed amore libertatis externæ Monaſteria deſerere ait, cauſam ſuam & vitam Ducis Electoris Friderici, veri Eccleſiæ Nutricii precibus eius commendat.

IHESVS.

SAlutem. Egreſſum tuum è Monaſterio, ſatis credo, non ſine cauſa fuiſſe, quanquam mallem te cauſis omnibus ſuperiorem fuiſſe: Non quod damnem libertatem exeundi, ſed quod aduerſarijs blaſphemandi occaſionem voluerim amputatam, quomodo & Paulus pſeudoapoſtolis amputauit occaſionem, dum Euangelion ſine S. Achaiæ prædicaret poſthabito iure, licentia & poteſtate Apoſtolica. Sed nunc ea ſerò & fruſtra moliar. Si tempus, dabitur Epiſtola ad Erphordienſem Eccleſiam, quanquam video, & vos & noſtros creuiſſe in ſcientia verbi ſupra menſurā meam, & vndiq; impleri illud, Oportet illos creſcere me autem minui. Virtus autem verbi vel adhuc latet, vel nimis modica eſt in omnibus nobis, quod miror valde. Sumus enim ijdem qui antea, duri, inſenſati, impatientes, temerarij, ebrij, laſciui, contentioſi: Summa, Symbolum illud & inſignis Chriſtianorum charitas nuſquam prodit. Et fit illud Pauli, regnum DEI habemus in ſermone, non in virtute. Ad vos venire non licet, neq; enim Deum tentare fas eſt, & pericula querere vltrò, cum hic ſatis periculornm expectadum ſit mihi, qui Papali & Imperiali anathematé excluſus, prorſus omnibus ſum ad cædem expoſitus, nullo præſidio tutus niſi cœleſti. Video monachos noſtros multos exire nulla cauſa alia, quam qua intrauerant, hoc eſt, ventris & libertatis Carnalis gratia, per quos Sathanas magnum fœtorem in noſtri verbi odorem bonum

bonum excitabit. Sed quid faciemus? ocioſi homines ſunt, & ſua querunt, vt melius ſit eos extra quam intra cucullum peccare & perire, ne bis pereant, ſi hac vita puniantur. Saluta omnes noſtros, neſcio enim qui modo apud vos degant, & vale in Domino, Amen. Cōmendo quæſo tuis orationibus DEO, cauſam noſtram, & vitam Ducis Friderici, quem niſi orationibus retinuerimus, timeo non diuturnum nobis fore. Et hoc ſublato capite, ſublata erit & ſalus, quam DEVS dedit & dat Syriæ noſtræ. Vuitembergæ feria 6. poſt Oculi. Anno M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Quanquam quæ ad Ducem Ioannem Fridericum ſcripſerit ſibi exciderint: tamen ſe hic meminiſſe ſcribit, quod dehortator fuerit principi nouandi quippiam, quod Infirmos offenſurum eſſet. Nouum Teſtamentum in Pathmo a ſe in Vernaculum ſermonem conuerſum, nunc rurſus a ſe & Philippo elimari nuntiat, & ad eum laborem operam Spalatini poſtulat, opuſculum de communione Euangelica ſe adornare indicat.

IHESVS.

SAlutem. Habes hic literas quas voluiſti, mi Spalatine. Quid autem ſcripſerim ad ducem Ioannem Fridericum, non teneo plena memoria, niſi quod certus ſum docuiſſe, ne quid

nouaret, niſi id ſine infirmorum ſcandalo fieri poſsit, vt charitatem omnibus præferret. Eandem doctrinam & Duci Carolo ſcripſi.

Non ſolum Ioannis Euangelium, ſed totum Teſtamentum Nouum in Pathmo mea verteram, verum omnia nunc elimari cepimus Philippus & ego, & erit (Deo volente) dignum opus, ſed & tua opera aliquando in vocabulis aptè locandis neceſſaria, ideo ſis paratus, ſed ſic, vt ſimplicia non caſtrenſia nec aulica ſuppedites. Hic enim liber ſimplicitate volet illuſtrari. Et vt ordiar, vide vt Gemmarum Apoca. 21. tum nomina, tum colores, & vtinam aſpectus nobis ex aula, aut vnde potes, miniſtres.

Opuſculum de communione Euangelica in manu habeo, etſi autem mihi negotij multum exhibeat hæc res, nihil timeo, Chriſtus viuit, & propter eum oportet non ſolum fieri odorem bonum alijs in mortem, alijs in vitam, ſed etiam mortificari. Vale, & ſaluta omnes in Aula, ex Vuitemberga Dominica Lætare. Anno M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

CASPARO GVTTEL ISLEBIENSIS Conuentus Priori.

Carolſtadium a ſe offenſum nuntiat, quod eius ineptam ac importunam rationem repurgandi templa improbarit. Monachos fratres ſuos D. Staupitium, eo quod Euangelium amplectitur, depoſitum cupere ſcribit,

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Vt nuncius teſtari poſſet ſe perueniſſe, Ego ſcribo opt: Pater, alioqui nulla erat ſcribendi cauſa, præſertim mihi literis & fabulis & ὁμιλίαις hominũ occupatiſsimo. R.P. Vicarium ſpero etiam ad vos venturum, alioqui ad eum pro lixè ſcriberem. Ego Carolſtadium offendi quod ordinationes ſuas caſſaui, licet doctrinam non damnarim, niſi quod diſplicet in ſolis ceremonijs & externis faciebus laboraſſe eum, neglecta interim vera doctrina Chriſtiana, hoc eſt, fide & charitate. Nam ſua inepta docendi ratione, eò populum perduxerat, vt ſeſe Chriſtianum arbitraretur, per has res nihili, ſi vtraq; ſpecie communicaret, ſi tangeret, ſi non confiteretur, ſi imagines frangeret. En malitiam Satanę, vt per nouam ſpetiem molitus eſt erigere ad ruinam Euangelij. Nam hæc ego quæſieram hactenus, vt conſcientiæ ab iſtis contrarijs faciebus, liberarentur, & res ipſa per ſeſe rueret cõmuni conſenſu. At ille cupiebat fieri ſubitò nouus Magiſter, & ſuas ordinationes in populo preſſa authoritate mea erigere. Non ſic impij non ſic, ſed ſoli DEO gloria, ſed de his aliàs plura. Sed quæſo P. Vicarium breui deponendum volumus: Nolumus enim regnare hunc ſuper nos, qui vult Euangelium docere. non articulos noſtros. Vale & ora pro cauſa Dei. Dominica Lætare, Anno M.D.XXII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Gaudet Spalatinum Euangeliſtam factum,& pio voto ipſum confirmat. Mittit literas ad Principem, in quibus quid ipſe deſideret, cum oderit omnem Hypocriſin, oſtendit. A Spalatino manum ſibi porrigi petit, ad opprimendum Sathanam, qui per Carolſtadium turbarat Eccleſiam Vuitembergenſem.

IHESVS.

SAlutem. Eſſe te Euangeliſtam gaudeo, mi Spalatine, & oro vt DOMINVS faciat verbum tuum, verbum virtutis in plenitudinem fidei tuæ, & eorũ qui te audiunt. Quod vero miraris cur non dederim ad te literas, argumentum eſt, modicæ fidei tuæ, quaſi ideo ſim offenſus, quia tacui. Quanquam quid referat, ſi offenſus ſit Lutherus, cum tu iam ſis diues,& regnes in Chriſto, quo ſolo gloriandum eſt? Mitto hic literas ad Principem, in quibus vt multa incredulitatis pauidæ ſigna Princeps oſtendit, quæ infirmitas eius ferenda eſt,ita hoc vnum me offendebat verbum, quod Cæſarem cogor appellare, Mein aller Gnedigſter Herr,cum ſciat orbis,eſſe mihi infenſiſsimum, & hunc fucum manifeſtum, omnes ridebunt. Tamẽ ego potius rideri volo,& fuci argui, quam infirmitati Principis reſiſtere, conſcientiam autem ab iſto fuco ſic redimo, quod vſus & ſtylus ſic habeat,Cæſarem appellare velut proprio nomine & titulo etiam ab ijs, quibus ſit infenſiſsimus. Nam ego fucos mirè odio, & ſatis multum

multum eis conceſsi hactenus, aliquando & παῤῥησίαν præſtare oportet. Tu fac ores pro me, & iuues Sathanam iſtum conculcare, qui ſe erexit Vitembergæ aduerſus Euangelion ſub nomine Euangelij, cum angelo in angelum lucis verſo iam pugnamus. Carlſtadio difficile erit ſenſu cedere, At CHRISTVS coget eum, ſi non ceſſerit ſponte. Domini enim ſumus vitæ & mortis, qui credimus in Dominum vitæ & mortis: aliàs plura, nunc vale & confortare in miniſterio quod ſuſcepiſti, altera Gregorij Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

DOCTORI IOANNI HESSO.

Gratulatur Heſſo, quod ad miniſterium Euangelii ſe contulerit, eumq; monet vt Auditores magis ad Fidem & charitatem, quam ad vſum Sacramenti inflammet.

IHESVS.

SAlutem. Aliàs plura ſcribam, chariſsime Heſſe, nunc obrutus operum & cauſarum multitudine, breuior eſſe cogor. Gaudeo te factum Euangeliſtam, Dominus te augeat, & roboret miniſterium tuum in plenitudinem fidei & tuæ, & eorum qui te audiunt, Amen. Ego ſum Vuitembergæ, vt motus iſtos ſi poſsim compeſcã, quanquam Cæſar & Papa me damnarint, & ſub cæleſti præſidio ſolum degam. Laudo

Principis tui zelum pro Euangelio, ſed tu vide vt magis ad fidem & charitatem animum eius inflammes, quam ad externum vſum Sacramenti. Video enim & noſtros irruere, ad vtramq; ſpeciem ſumendam, cum interim fidem & charitatem nihil pendant. Certè vtraq; ſpeties non facit Chriſtianum, ſed eſt vſus Chriſtiani & opus. Fides verò & charitas faciunt Chriſtianum, etiam ſine vtraq; ſpecie, illi verò tunc ſeſe Chriſtianos eſſe putant, quando hunc vſum ſectati fuerint. Damnandus eſt Papa, qui lege poſita ſuſtulit alteram ſpetiem aduerſus Euangelion, Sed nec nos laudandi ſumus, ſi charitatem & fidem omiſerimus, quantumlibet iuxta Euangelion vtraq; ſpecie potiti fuerimus. Sed hæc latius in libello, quem de hac re ędo. Interim tu vale in æternum optime Heſſe, die Annuntiationis Mariæ. Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Indigne fert Lutherus, ſua interceſsione apud Principem Saxoniæ Electorem Pfaffenbecio nihil impetraſſe, & narrat ſibi quoq; laborandum eſſe pro paſtore Lochenſi, ſi modo reſciret, quis locus ſuis literis relictus eſſet in Aula. Iraſcitur etiam Miriſſchii & Iacobi Apoſtaſiæ. Præterea exponit, quid cum nouis Prophetis egerit, Tandem interpretatur quædam dicta ſcripturæ.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Vehementer admiror, quæ ſit iſta culpa Pfaffenbecij, vt ſic indurarit Principem contra eum. Suſpicor etiam ne forte mea interceſsio nocuerit, vt Princeps hoc argumento declararit ingratas eſſe ſibi meas interceſsiones. Tu ergo fac, vt hoc ſciam. Non ero moleſtus deinceps Principi iſtis ſcriptionibus, ſed non ſine ſuo damno. Neque enim inuitum aliquem ad bona vrgebo, faciat quod DEO reſpondere poterit. Haberem & aliam ſupplicationem pro Paſtore Lochenſi, qui Parrochiam Hertzbergenſem ſpirat, quandoquidem maiore fructu in frequentia quam in raritate populi ſperat Euangeliſare. Sed non petam niſi tu reſcripſeris. Ego natura mea ab Aula abhorreo, quare non erit ingrata occaſio, ſi nunquam oportuerit vel literis in ea verſari. Literas Miriſchij prudentiſsimi Apoſtatæ legi, & quantum de miſerabili lapſu Iacobi doleo, tantum huius fuco impijſsimo indignor.

Interceſsio Lutheri apud Electorem pro Pfaffenbecio.

Supplicatio pro Paſtore Lochenſi.

Miriſchii Apoſtaſia.

Prophetas iſtos nouos paſſus ſum, & inuentus eſt Sathan ſeſe permerdaſſe in ſapientia ſua, vehementer ſuperbus & impaciens eſt iſte Spiritus eorum, qui nec blandas ferre poteſt monitiones, ſed credi vult plena authoritate ad primam vocem, nec diſputare, nec reluctari quenquam volens. Ego quando ita pertinaces erant, etiam mendacijs

Actio Lutheri cum nouis Prophetis.

manifeſtis deprehendi, & miſera verborum lubricitate euadere molientes, vt ſerpentem antiquum agnoſceres, iuſsi tandem, vt miraculis probarent ſuam doctrinam, qua vltrà & contra ſcripturas gloriarentur. Illi recuſabant miracula, minati tamen ſunt, fore vt credere tandem eis cogerer. Spumabat & fremebat, & furebat inter hæc Magiſter Martinus, nec loqui iuſſus, nec interrogatus, vt nec mihi loquendi ſpacium faceret. Ego dimiſsis interminatus ſum eorum DEO, ne miracula ederet, inuito DEO meo, ſic diſceſsimus.

Interpretatio quorundã ſcripturæ locorum.

Beati qui audiunt verbum DEI, & cuſtodiunt illud. Et qui ſermonem meum ſeruabit, non morietur, &c. Omnino de fide dicuntur, vt cuſtodire & ſeruare non ſit opus facere, ſed verbo promiſsionis fortiter adhærere, & in eodem viuere & operari. CHRISTVS certè fidem docet non opera. Quare iſta tormenta ſunt omnium impotentiſsima pro operibus, ſed fortiſsima pro fide, verbum fidei enim ſeruatum, ſeruat ne mors videatur. His vale & ora pro me. Saluta omnes noſtros. Datæ in Vigilia palmarum. M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

IOANNI LANGO.

Monet Lutherus, vt Erphordienſes Concionatores tantum verbo idola tricas ceremonias aboleant. Et quid de Miſſa priuata ſentiat, remittit eum ad ſuum libellum, quem de ea materia ſub prælo habet. De fide Viduarũ apud Apoſtolum ſuam ſententiam explicatam ait, in libello de votis. Ad

Capitulum

Capitulũ ipſi vocato eundum cenſet. Hoſtes publico ſcripto gloriari de nonnullorum Lutheranorum reuocatione narrat, ac hortatur vt ipſe cum ſuis ſociis pro tota Euangelii cauſa ardenter oret, docet etiam, quid in Scriptura ſignificet INDVRARE. Poſtremo indicat, quomodo Sathanam in Prophetis Cygneis manifeſte deprehenderit & commouerit.

IHESVS.

SAlutem. Ante omnia cauete, ne Erphordienſes noſtratiũ æmulentur tumultum, in auferendis imaginibus, Miſsis, vna ſpecie, & alijs omnibus. Verbo ſolo ſunt auferenda omnia ſcandala, vt ſponte ſua cadant, & ſine manu conterantur, ſicut idola per Apoſtolos ablata ſunt. Doceant etiam & vrgeant, Fidem & charitatem, alia per ſe nota ſunt. Non eſt Mihi tempus ſcribendi veſtris Concionatoribus. Si hæres in miſſa priuata, cur non abſtines? Quæ eſt enim celebrandi neceſsitas? Non ne verbum Miſſæ potes ſine ſpecie ſacramenti apprehendere? Aut cõmunica cum ſodalibus alicubi. Veruntamẽ libellus meus iam ſub prælo, de his omnibus latius narrabit orbi iudicium meum. De fide Viduarum apud Apoſtolum, habes meam ſententiã in libello de votis, ego aliud non habeo. Annotationes in Eſaiam ex me petis, ea cogitatione quaſi tibi ſimilis ocioſus & quietus tota die, cum ego à te debeam exigere talia. Ad Capitulũ cur nõ eundum tibi, non video, præſertim vocato, cùm & tutò id poſsis, & inter amicos habeatur, cur times vbi timor non eſt. Cæterum ora quæſo

diligenter pro me & cauſa iſta. Sathan ſummis & omnibus viribus nos petit. Hoſtes ædito libello gloriantur de reuocatione duorum Lutheranorum, Iacobi noſtri & Hermanni cuiusdam. Melchior Miriſth non reuocauit, ſed ſcribit ſe prudenter egiſſe, vt gratiam eorũ ſeruaret, hoc eſt Satanam adorauit, & Chriſtum ſimulauit ſe ſcire, bellus gloriator. Multi alij coacti ſunt Iacobi reuocationi ſubſcribere, vidi manum Miriſchij ad Spalatinum, copioſè recitantis miſerabilem & terribilem Iacobinæ reuocationis hiſtoriam. Commenda quoq; tuis omnibus hanc cauſam, & dic nomine meo, vt humiles orent oratione inſtanti coram DEO. Modeſti autem & quieti doceant apud homines, tum erecti & conſtantes ſint aduerſus Sathanam. Res iam non amplius iocus aut ludus, ſed ſerium erit, & vitam exiget & ſanguinem. Dominus IHESVS qui denuò illuminauit Euangelium ſuum, roboret corda omnium noſtrum in laudem gratiæ ſuæ, Amen. De malo quod facit DEVS, quid eſt cur contendatis? otioſi eſtis video, in tantis motibus Sathanæ. Non indiget opere, nec eſt opus de quo diſputatis, ſed eſt omiſsio operis DEI. Ideo enim nos mala facimus, quia ille ceſſat in nobis operari, & ſinit naturã in ſua malitia agere quod agit. Alioqui vbi ipſe operatur nõ niſi bonum ſequitur. Et hoc omittere Dei vocat Scriptura indurare. Malum enim non poteſt fieri cum ſit nihil, ſed hinc fit, cum bonum non fit vel impeditur: Sed interim vale. Vitembergæ Datæ in Vigilia Palmarum. M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

Propheta

PRopheta Marcus vnà cum Cygneis prophetis à me correptus & monitus, indignantes receſſerunt, vno eorum planè furente, vt furentiorem non viderim hominem vnquam. Adeò impatiens iſte ſpiritus fuit blandę & fraternæ monitionis. Sed Sathanam manifeſtè deprehendimus.

VVENCESLAO LINCO.

Deſiderat aduentum Linci ad ſe, & conquæritur de Apoſtaſia Miriſſchii cuius Epiſtolæ legendæ ipſi ſpem facit.

IHESVS.

SAlutem in CHRISTO, Reuerendæ Pater. Nihil tibi ſcribam, ſed omnia loquar, id eſt, expecto tuum aduentum, quem velim ante Paſcha maturares, (neſciui enim te Islebij eſſe) ſatis enim prædicare poteſt per Feſta, Dominus Doctor & Pater, Magiſter Caſpar. Nam poſt Paſcha egrediar viſitaturus villas & oppida, ſic promiſi, ita vt vix me inuenias poſt Quindenam poſt Paſcha, tamē ſi te adeſſe reſciero, reflectam ad Vuitembergam, vbi, vbi fuero. Epiſtolam glorioſiſsimi Solonis apud nos leges, Miriſſchium loquor, qui Chriſtum adeò prudenter negauit, vt nemo audeat id negatum CHRISTVM appellare, niſi quicquid non Miriſſchius Meslerus. Vale in Chriſto & mox veni. Vigilia Palmarum, M.D.XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Intercedit pro Mattheo Buchbinder, vt aliqua conditione ipſius egeſtati conſulatur. Et nunciat quid cum Carlſtadio ſtringenti contra ſe calamum egerit.

IHESVS.

SAlutem. Hos libellos ad Hoſpitem meum in volucrum regno mitte quæſo mi Spalatine, literas modo ſcribere non erat otium. Eſt quoq; Matthes Buchbinder cui promiſi, vt intercederē pro eo, ſi qua poſsit fieri Pontis magiſter Vuitemberge defuncto officio iſto. Pauper eſt enim & eget, tamen ſi quis magis idoneus eſt nolim vrgere, ſed alia ratione iuuari, fac qnod potes & debes. Literas Miriſſchij remitto.

Ego hodie ſupplex Carlſtadium oraui priuatim, ne quid contra me æderet, alioquin cogerer licet inuitus mutuis carnibus congredi. At homo nihil contra me ſcribere ſeſe, penè ſanctè deierat, quanquam ſexterniones aliud loquantur, qui iam ſub manu Rectoris & Iudicum cognoſcuntur. Certum eſt me non paſſurū ea quæ ſcripſit, contempto ſcandalo. Agunt tamen vt vel reuocet, vel premat libellum, quod non vrgeo, Neq; enim Sathanam ipſum timeo, neq; Angelum de cœlo, quanto minus Carolſtadium. Vale & ora pro Euangelij gloria. Chriſtus ſeruet Principem noſtrum adhuc paululum, Sic enim oro quotidie. Iterum vale die 2. Paſchæ, M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

Georgio

GEORGIO SPALATINO.

Sacerdotem quendam commendat, & cognoſcere cupit, quem locum in Aula habeant ſuæ ſupplicationes, habere enim ſe alium quoq; Theologiæ Doctorem, quem commendet. Vicarium Venceslaum Vuitembergæ eſſe. Aeditionem libelli Carolſtadii inhiberi per Rectorem, Sententiam ſuam ſubiicit de Reliquiis oſtendendis.

IHESVS.

SAlutem. Primum hunc Sacerdotem ſupplicem Principi tibi commendo, mi Spalatine. Id enim rogauit me, quid autem quærat intelliges ex ipſo. Cæterum mihi ſcribe, ſicut prius poſtulaui, an literæ meæ & ſupplicationes in Aula ſordeant, nec ne. Nam ex parte Patris Ioannis Briſmanni, Doctoris Theologiæ Minoritæ, nunc in Cotbuſio extorris, haberem quod ſupplicem, affectat enim hic Vuitembergæ eſſe, ſi commodè ali poſsit, & ego promiſi pro eo ad te ſcribere. Vicarius Venceslaus eſt nobiſcũ, & aliquot diebus erit in hoc loco. Carolſtadio inhiberi audio æditionem libelli per Rectorem & Magiſtratũ. De Reliquijs oſtendendis ſic ſapio, eſſe ſcilicet eas iam abundè ſatis oſtenſas, atq; adeo oſtentatas, & oſtentui habitas per orbem: agent tamen vt in publicum proferantur in medio Choro, ſpectandæ omnes vna tabula, cæteris ceremonijs omnibus ſeruatis pro more. Vale & ora pro me, Vitembergæ, M. D. XXII. feria 5. Paſchatis.

Tuus Martinus Lutherus.

R DOMINO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,
D. GEORGIO SPALATINO.

Quid in Profectione ſua Eilenburgica egerit, & de Doctore quodam Colonienſe. Item de Thoma Aegrano, & Cigneis quædã nuntiat. Eilenburgenſium pium ſtudium, vt apud Principem adiuuet, hortatur Spalatinum, Catharini & Archiepiſcopi inepta aduerſus ſe ſcripta, eiusdemq; ſtyli librum Hochſtrati ſe accepiſſe ſcribit, ac igni dediſſe, cum alioqui digni non ſint libri, qui legantur.

IHESVS.

SAlutem. An literas tuas, quarum toties mentionem facis receperim, neſcio, nec quid ſcripſeris, memini. Affirmat autem hic qui attulit, eſſe mihi redditas, Vuitembergæ de hac re videro. Cæterum quid hac profectione egerim ex alijs cognoſces vel cognouiſti. Doctor ille Agrippinenſis, Gerardus, vocatur, natus è diuitũ ciuium Colonienſiũ ſanguine: Sincerus vir, qui ſtudio veritatis huc aſcendit, & primo in Cigneorum prophetarum incidit dogmata, è quibus Iuuenem Coloniæ aluerat & audierat: & adhuc ſatis illorum ſomnijs (vt Neophytus) mouetur. Creſcit tamen in viam ſanam paulatim. Cigneæ Thomas cum ſuis monſtra plantauerat, Ægranus etiamnum Portenta ſeminat, vndiq; furit Sathan & inſidiatur Euangelio. At Cigneæ modo tribus egregijs viris Euangeliſtis bene prouiſum eſt, Ipſo Paſtore optimo viro, & alijs duobus Magiſtris Sacerdotibus.

Doctor Gerardus.

Video autem Eilenburgenſes aliquot ſegneſcere pro Euangeliſta

Euangeliſta vocando, alios verò deſiderare, vt Princeps noſter Senatum literis adhortaretur, vt populo miſero in hac re neceſſaria & ſancta cederent, & vel Andream Kausdofſium, vel Thomam quendam Vuitembergæ vocarent. Vides ergo & tuæ charitati hic locum eſſe, ſi à Principe talem adhortationem impetrare poſſes. Nam & Principis & Chriſtiani fratris, etiam Principis nomine intereſt, Lupis aduerſari, & pro ſui populi ſalute ſolicitum eſſe, hanc igitur curam tibi commendo.

Eilenbergenſis concio Eccleſiaſtica.

Catharinum & Archiepiſcopum Venetum contra me ſcribentes accepi, & bene Italiæ tandem, quod & ipſa Rubeos & Alueldios habet, ne tanta gloria ſoli Germani ſuperbirent. Indigni ſunt qui legantur, ne dum digni quibus reſpondeatur. Paris authoritatis è Lipſia mihi attulit Dominus Gerardus librum Hochſtrati contra me ſuppreſſo tamen ſuo nomine, ſed ſtylo & ingenio, ceu Aſinus ſub Leonte auribus proditi, quem igni dedimus, Chriſtus infatuat ſuos aduerſarios egregiè. Vale ex arce Eilenbergenſi feria 2. poſt Miſericordias Domini, Anno M. D. XXII.

Catharinus aduerſarius Lutheri.

Hochſtratus Hoſtis Lutheri.

T. Martinus Lutherus.

GABRIELI DIDIMO EVANGEliſtæ Eccleſiæ Aldenburgenſis.

IHESVS.

GRatiam & pacem in Chriſto. Scripſi Principi, pro cauſa iſta, ſed tuæ literæ mihi non ſatis placuerunt, quod in eis olfecerim, neſcio quid ſpiritualis præſumptionis. Noli gloriari te multa velle pro verbo facere & pati. Qui ſtat, videat ne cadat, nondum pugnaſti cum morte, non eſt res tam facilis, quam facilè de ea dicitur. Terreat te exemplum Prioris Antuerpiani & multorum aliorum, qui cadunt quotidie, & pauci ſtant. Ambula ergo in timore & contemptu tui ipſius, & ora DOMINVM vt ipſe tua omnia faciat, & tu nihil facias, ſed ſis Sabbathum CHRISTO. Cęterum ſicut exhortatus ſum te, vt à facto abſtineres innouandi, ſed ſolo verbo conſcientias liberes, puram fidem & charitatem tractando, vrgendo: Ita adhuc rogo & hortor, vt ſic facias. Nam ita facturum te Principi promiſi, quantum promittere potui, vide ergo ne & me & te, ſimul & Euangelion confundas, aliter faciendo. Vides vulgum irruere ad externa, ad Sacramenta, ad ritus, huic occurrendum eſt, & vnicè curandum vt retrahatur, & primò ad fidem & charitatem formandum, vt fructibus probent, ſeſe palmites eſſe Vitis noſtræ. Confide in Dominũ ſic te facturum, in quo bene vale, & ſaluta Pharmacopolam, & vxorem eius, quibus non erat tempus vt ſcriberem, obruor enim vndiq; literis. Feria 5. poſt Miſericordias Domini, Anno M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Mittit guſtum nouæ Translationis Bibliæ,ſed nondum diuulgandæ. Petit mitti gemmas aliquas inſpiciendas,& per Hirsfeldium a Principe impetrari literas ad Quæſtorem Vitembergenſem,ne feſtinet exigere debitum pecuniæ a Priore ſuo, pro qua ipſe ſit factus Fideiuſſor,

IHESVS.

SAlutem. Mitto tibi guſtum nouæ Bibliæ noſtræ, ſed ſic,vt ſerues ne vulgetur. Gemmas expecto fideliter cuſtodiendas & remittendas. Cæterum rogo intercædas apud Bernhardum Hirsfeldium pro me, vt apud illuſtriſsimum Principem mihi impetret ſupplicationem ad Quæſtorem Vuitembergenſem,pro aliquanto (neſcio quanto)Brauio,quod Prior noſter debet,& ego Fideiuſſor ſum factus, ne exigat, antequā poſsimus ſoluere, quia cenſus non dantur nobis,& poſita mendicitate iam quotannis 300. Florenis facti ſumus pauperiores. Hic eſt **nichts mehr denn lieb vnd freundſchafft**.In diem viuimus,in diem moriemur. Vale & reſponde bona. Sabbatho poſt Miſericordias Domini, Anno M.D.XXII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Explicat locum Ioannis 16, Spiritus S. arguet Mundum de peccato.

Mittit quoq; aliquot literas amicorum ipſi legendas. Eraſmum manifeſtum ſuum hoſtem pronuntiat,& deteriorem Eccio. Addit & aliam expoſitionem eiu'dem loci. Ioan 16. quam Vuenceslao probari ſcribit. Quomodo vocabulum Eunuchus proprie poſsit reddi, quærit.

IHESVS.

SAlutem. Pene obruor literis legendis, quid putas temporis perdam reſpondendis? de loco Ioannis. 16. meam accipe ſententiam. Spiritus arguet mundum, de peccato, quia non credunt in Chriſtum, Hoc enim peccatum incredulitatis mundus ignorabat,& operibus fidebat & fidit. At ſicut credenti nullum peccatum, peccatum eſt, Ita incredulo nullum bonum opus bonum opus eſt. De iuſtitia verò quia vado ad Patrem, & Mundus me non videt, hanc iuſtitiam quoq; Mundus neſcit, quæ eſt, credere Chriſtum per paſsionem aſcendiſſe & omnium Dominum factum, vt omnes ſaluet, ideo enim non videtur vt credatur. Et hæc eſt iuſtitia fidei non operum. De iudicio autem, quia Princeps mundi iam iudicatus eſt, & hoc iudicium neſcit mundus, dum ſapit ea quæ bona ſunt carni,& odit crucem, quæ eſt ſapientia antiqui ſerpentis infuſa nobis. At iuſticia fidei docet amare crucem, & omnia amplecti, quæ Princeps Mundi & Mundus ipſe fugit & odit, vt ignominiam, paupertatem, mortem, opprobria, damna, &c. Ergo & arguitur Mundus, quod huic iudicio Principis ſui adhæret, & propter Crucem in CHRISTO ſcandaliſatur. Mitto literas aliquot amicorum, in quibus ipſe

legas

legas quæ petis. Eraſmus in ſua Epiſtolarum farragine prodit tandem hoſtis Lutheri & doctrinæ eius ex animo, ſed ſucis & aſtu verborum mentitur, ſeſe amicum. In qua re authoritatem & nomen ſuum egregiè peſſundabit, melior eſt Eccius eo, qui aperta fronte hoſtem profitetur. Hunc autem tergiuerſantem & ſubdolum, tum amicum tum hoſtem deteſtor. Chriſtus viuit & contemnit etiam principem Mundi, & omnes qui ſequuntur iudicium eius. Eſt & alia ſententia de loco Ioannis 16. noſtro Vuenceslao quæ placet, quam aliàs ſcribam, ſi voles. Nam illud quod ego de iudicio dixi, mihi ipſi non ſatis placet, ſimplicisſimè enim de iudicio extremo argui mundum puto, quod Mundus neſciuit futurum, ideo neq; timuit, neq; peccatum, neq; iuſtitiam curauit, cum tamen adeo ſit præſens, vt iam nõ modo inceperit, ſed & ipſum caput Mundi iam iudicatum ſit. Cuius iudicij terrore ſpiritus manifeſtato, Mundum ad peccati cognitionem & iuſtitiæ deſiderium accendere voluit, iuxta illud Roma. 1. Reuelatur ira DEI, de cœlo in Euangelio, &c. Bene vale & ſaluta omnes noſtros. Eunuchi vernaculum tuum non ſatis facit, didici in Vueſtphalia vocari ein Ron, & Ronen ſit caſtrare propriè homines, neſcio an eo vtemur. Gemmarum promiſſum expecto. Feria 5. poſt Iubilitate, Anno M. D. XXII.

Eraſmus hoſtis Lutheri.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Reſpondet ad quæſtionem de bonis operibus.

IHESVS.

Gratia

GRatia & pax in Domino. Mitto hîc quæ ex inferioribus terris ſecum attulit Iacobus Prior Antuerpienſis, DEI miraculo liberatus, qui nunc hic agit nobiſcum. Credo ad te perueniſſe nouum Teſtamentum vſq; ad vltimum ſermonem Ioannis, & alia. Item & Amsdorfium puto tibi reſpondiſſe ad quæſtionem de bonis operibus. Nam ſola illa ſatis facit authoritas, Non poteſt arbor mala, fructus bonos facere, vt igitur fructus non faciunt vnquam arborem, ita opera nunquam faciunt bonum virum. Sed econtra facta arbore ſequuntur neceſſario fructus, ita facto primum bono viro, ſequuntur bona opera, non vt bonum faciant, ſed vt bonum eſſe teſtentur. Igitur quæ in Scripturis de bonis operibus ſonant, ſic intelligenda ſunt, vt per ea homo non fiat bonus, ſed iudicetur, cognoſcatur, probetur, teſtificetur eſſe iam bonus. Ideo CHRISTVS in iudicio quoq; bona opera allegabit, quod per ea bonos fuiſſe & eſſe demonſtret. Vale & ora pro me. Nihil hic noui eſt, niſi Cancellarij Badenſis libellus in me æditus, quod quodam libro ſit raxatus de falſa relatione meæ ſententiæ apud Epiſcopum Treuerenſem, vt noſti. Vuitembergæ in die S. Tiburtij Anno M. D. XXII.

Bona opera teſtantur de bona perſona.

Inuectiua Cancellarii Badenſis in Lutherum.

Tuus Martinus Lutherus.

NICOLAO HAVSMANNO.

Intercedit pro paupere quodam viro, cuius frater vita defunctus bona ſua ad extruendam domum ſacram legarat, quibus facultatibus egenum

fratrem

Fratrem potius alendum cenſet, ex Regula naturæ & charitatis, quæ ceremonialibus omnino eſt anteferenda. Non autem ad Principem cauſam hanc deferri, ſed vt ipſi pro ſua authoritate illud Fratris teſtamentum pie moderentur & adminiſtrent, orat.

IHESVS.

GRatiam & pacem. Venerabilis mihi in Domino Nicolae, vt paucis inter occupationes multas ſcribam de iſta re quam petis, nullo modo mihi conſultum videtur, vt Principi illuſtriſsimo de hac re ſcribatur. Certus quod non acceptabit, ſed à ſe ad vos denuò retorquebit. Noui hominis ingenium, qui ferre poteſt, vt ab alijs fiant, quæcunq; fiunt. Sed mandare aut conſulere nolit. Ita vobis, id eſt, Senatui & tibi iſta res perficienda eſt, & hoc Senatui quæſo, meo nomine & rogatu perſuadeas. Si autem & Senatus nolet ſeſe intromittere, tui ſolius eſt ex officio tuo, vt teſtamentum vel totum vel quantum poteſt fieri, in huius paupertatem transferas, vt enim hoc facias & audeas, ius & authoritatem tibi tribuit, tum neceſsitas, tum charitas. Neq; enim valuit nec valet, quod ille pro lapidibus teſtatus eſt, cum præſens ſit Frater, qui ex iſta pecunia alendus ſit. Procedatis igitur per DEVM ſimpliciter ac de plano, & nolite quæſtionem facere, aut huc & illud rem iſtam verſari, infringenda eſt tandem exemplo al quo iſta impia teſtandi conſuetudo. Cętera ex ipſo audies, & Conſules meo nomine ſalutes, & cum Presbytero tuo

vale, optime Frater. Oro te, vt tuo & meo nomine apud Mulpſordium, aut apud quos oportet, labores, vt huic viro adſint, quo de teſtamento illo, quod mihi narrauit, obtineat pro ſua neceſsitate aliquam partem, quando certum eſt, quicquid teſtatum eſt, magis viuenti homini, quam mortuæ domui impertiendũ eſſe, nec contra hanc charitatis Regulam vlli liceat teſtari, aut teſtatum ſeruare, ſic me rogauit, vt orarem. Vuitembergæ feria 2. poſt Cantate Anno, M.D.XXII.

T. Martinus Lutherus.

GABRIELI DIDIMO

Conſolatur Didimum, quod & loco & officio cedere coactus ſit.

IHESVS.

GRatiam & pacem in Chriſto. Fidem indue (mi Gabriel) & hanc cauſam clauſis ſenſibus nõ videas, quorſum veniat aut quo vadat, ſicut decet eum qui de ſpiritu natus eſt. Dominus diſponet eam, interim tu prædica & mane donec exire iuſſus fueris cum Abraham, ignarus quo eundum ſit, & ora Dominum pro hac re & omnibus alijs, ſatis enim feciſti, ſi promptus fueris cedere loco & officio ad mandatum Maiorum, verum ne ceſſeris, donec alius per Principem vel per me oblatus fuerit. Ego enim in me accepi fidem & opus pro alio offerendo, quod ſi Princeps me anteuerterit, fiat vo-

luntas tua. Sine gloriari Sacerdotes Baal, hoc enim oportet fieri, alioqui quomodo eſſet eorum finis confuſio, eſto tu profugus & inſtabilis in oculis eorum, quis ſcit, ſi Dominus te ſtabiliat & vagari non ſinat, etiam illis omnibus nolentibus. Apothecariū & vxorem eius cum omnibus alijs ſaluta, & ſolare. Deinde me excuſa, quod non ſcripſerim, quia tempus & occupationum arena non patitur, ac vale, confortare & eſto robuſtus in Domino, viriliter agens in plenitudine fidei, Vuitembergæ. Anno M. D. XXII. feria 3. poſt Vrbani.

T. Martinus Lutherus.

CASPARO BORNERO, PROFFESſori bonarum artium, in Academia Lipſenſi.

Gratulatur Bornero, quod incipiat rectius ſentire de doctrina Chriſtiana, & optat illi perfectionem a Deo, contra furorem Principis Georgii breuibus ipſum confirmat. De Prædeſtinatione Moſellanum Eraſmi ſententiam approbare, ſe non ignorare, & plane contrarium ſentire ſcribit, & quod prouocatus ab Eraſmo, nihil veritus vel eruditionem vel eloquentiam eius, ſed veritate fretus, grauiter ipſi ſe opponere velit, comminatur. Et propter Eraſmum ſe nihil adhuc a Moſellano alieniorem eſſe affirmat, eumq; ſuo nomine ſalutare iubet.

IHESVS.

GRatiam & pacem in Chriſto. Literas tuas nouiſsimas lætus accepi, vir optime, quod ſentiam te egregiè ſentire & promereri in conditione rei Chriſtianæ, & opto oroq;, vt Dominus quod incepit perficiat. Sæuitiam iſtam apud vos regnantem aduerſus CHRISTVM, dolens audio, ſed erit, vt aut ipſe Princeps mutet furorem, aut alius mutabit inuito & breui. De prædeſtinatione ſentire Moſellanum cum Eraſmo antea noui, Totus enim Eraſmianus eſt, ego contra ſentio, Eraſmum minus de prædeſtinatione ſcire, vel ſcire ſeſe oſtentare, quam hactenus Sophiſtarum Scholæ ſciuerunt. Neq; eſt vt timeam caſurum me, niſi mutem ſententiam. Non eſt Eraſmus in hac re formidabilis, ſicut neq; in Summa ferè tota rerum Chriſtianarum. Potentior eſt veritas quam eloquentia, potior ſpiritus quam ingenium, maior fides quam eruditio, & vt Paulus ait. Stultum DEI ſapientius eſt hominibus. Ciceronis eloquentia ſæpius ſuperata eſt minore eloquentia in iudicijs fori. Iulianus eloquentior eſt Auguſtino: In ſumma, Victoria eſt penes balbutientem veritatem, non apud mendacem eloquentiam, ſicut ſcriptum eſt, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti virtutem, vt deſtruas inimicum & vltorem. Non prouocabo Eraſmum, ſed prouocatus ſemel atq; iterum mox referiam, tamen non videtur mihi conſultum, vt vires eloquentiæ ſuæ in me inſtituat. Metuo enim nō inueniet in Luthero Fabrum Stapulenſem, neq; poſſet gloriari, ſicut de illo gloriatur, Omnes, inquit, gratulantur mihi, victum eſſe Gallum. Quod

ſi ſe commiſerit huic aleæ, videbit Chriſtum, nec portas Inferi,nec poteſtates aeris formidantem, & occurram Balbutientiſsimus eloquentiſsimo Eraſmo,cum fidutia,nihili etiam habita eius authoritate,nomine & fauore. Ego noui quid ſit in hoc homine, quandoquidem & Sathanæ cogitationes nouerimus. Quanquam expecto, vt indies magis reuelet id, quod in me alit: Hæc verboſius tecum ago, vt habeas quo nihil pro me ſolicitus ſis aut timeas, neq; ampullis magnificis aliorum terrearis. Salutabis autem Moſellanum, neq; ideo alienus ſum ab eo, quod Eraſmi magis quam mea ſectetur, imò dicito ei, vt fortiter ſit Eraſmianus,erit tempus, cum aliter ſentiet, interim eſt ferendus optimi animi ſenſus inferior. Et tu quoq; in Domino Vale. Feria 4. poſt Vrbani,Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Erudit & grauiter diſſerit contra Hereſin Thomæ Munzeri, damnantis baptiſmum Infantium. Et Gabrielem Aldenburgi retinendum cenſet.

IHESVS.

GRatia & Pax in CHRISTO. Egiſſe radices ſuas dogma Thomæ de Baptiſmo Infantium altiſsimè,ſcio,neq; hoc curatur, vt ex omnium cordibus euellatur, quod nulla fuerit

impietas aut error, qui non in maiore parte hæſerit pertinatius in finem, Vtinam ex aliquot cordibus iſthic euelli poſsit, Argumenta tamen eorum nihil vrgent.

Primùm illud Marci, qui crediderit & baptiſatus fuerit, &c. quomodo probabunt paruulos non credere? An quod non oſtentant fidem? At hac ratione neq; nos erimus credentes, dum dormimus, edimus, laboramus, aut aliud quam credere facimus? Quod ergo nobis ſomnus, hoc illis Infantiam eſſe cenſemus, & per verbum DEI exorciſari Sathanam cum oratione Eccleſiæ credimus, non enim fruſtra exit verbum DEI, ex ore ſuo, teſte Eſaia. 55. Apud me nihil differt per verbum conuerti adultum & paruulum, imò in adulto plus eſt rebellionis contra verbum, puta rationem, ſapientiam, experientiam, &c. Baptiſari vero igne & ſpiritu ſancto idem eſt, id eſt, dari ſpiritum ſanctum credentibus, ita vt per eum omnia peccata ſubmergantur, & ſi quæ remanent pro abſorptis propter ipſum habeantur. Lege Philippi locos communes de Aquæ Baptiſmatibus, Ioannes tantum ſignum dedit ſuo Baptiſmate, & legis doctrinam ſignificabat, CHRISTVS & ſignum & rem dat, quæ eſt Gratia ſpiritus ſancti exhibita per Euangelij doctrinam, igitur ſicut paruulos credere, ita & igne baptiſari dicimus. Contra eos vero id pugnat, quod paruuli in Iſrael circumcidebantur octaua die, quæ circumciſio erat ſignum fidei in CHRISTVM futurum, quæ erat in Abraham. Si ergo & hîc dixerint paruulos non credidiſſe, ergo fruſtra circumciſos eſſe, occurret eis Chriſtus Matth. 19, cum ei paruuli offerrentur vt tangeret eos,

ret eos, & oraret pro eis, & diſcipuli eos prohiberent, dixit, ſinite paruulos venire ad me, horum eſt enim regnum cœlorum. Hic CHRISTVM neq; mentiri, neq; figuratiuè loqui neceſſe eſt, cum de ipſis oblatis paruulis loquatur, & regnum cœlorum eſſe non poſsit niſi credentium. Ita Baptiſmus eſt ſignũ fidei in CHRISTVM præſenter regnantem, quare accipientes ipſum paruuli, neceſſe eſt ſimiles illis Circumciſis haberi. Si ergo Circumciſio dabat illis regnũ cœlorum, Cur non & Baptiſmus, præſertim cum hic accedat ſanctificatio per verbum & orationem, & fidem Eccleſiæ offerentis hos paruulos CHRISTO, & orantis, vt manus ſuas eis imponat & pro eis oret? Verum latius agemus, ſi vrgere ceperint palàm. Mitto hic ſupplicationem Aldenburgenſium, qui me interpellant, vt pro Gabriele ſcribam obtinendo, ego autem iam antea ſcripſi de eodem & arbitror omnino Principi eſſe redditas literas. Ego exiſtimo Gabrielẽ iſtuc eſſe vocatũ, ideo mandaui ei ne diſcederet, donec Princeps alium iſtuc miſerit, & ſic per vim eijciat, neq; cõſilio neq; auxilio meo debet recedere niſi compulſus. Scio quid Princeps metuat, ſcio etiam quod in carne adhuc ſumus, & multa timemus, vbi timor non eſt, ſumma faciat Princeps & Aula in hac re quod voluerint, ego ſpiritui ſancto nõ reſiſtam, ipſi viderint. Sententia mea eſt, non probari nec cõſentiri à me, Gabrielem illic ſubmouendum, neq; rurſus animus eſt illum vltra cõmendare, vel in eo loco tueri aduerſus vim, vos videritis. Bene vale in Domino, curſim die Aſcenſionis, Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

IOANNI

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, IOANNI LANGO.

Hebraicum Lexicon alterum remittere, alterum propter aliquas Annotationes diutius ſecum ſe retinere ſcribit. Epiſtolam ad Eccleſiam Erphordienſem promittit, & quomodo pedetentim cultus ſanctornm abrogari poſſit, docet.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Lexicon Hebraicon remitto, ſed illud primum quod olim Erphordiæ emeram ab initio, nam tuum propter crebras annotationes pro mea teneo memoria, quanquam & iſtud aliquot habeat, quibus ægrè careo, & tu illis non omnibus crede, aliquando enim diuinaui. Epiſtolam ad Eccleſiam veſtram animo verſo, ſed diſtructus multitudine rerum, nondum parturio, volo tamen aliquando parturire. De cultu ſanctorum totus orbis (miror) quærit ita, vt cogar de ipſo in lucem proferre iudicium meum. Vellem enim ſopiri hanc quæſtionem, non alia cauſa, quam quod non neceſſaria eſt, tam multas quæſtiones, & vt Paulus ait, ſine fine mouebit. Et Sathan hoc agit, vt ſuperfluis & non neceſſarijs quæſtionibus, nos à fide & charitate auocet, & nouas Sectas & hereſes ſuberigat, dum non aduertitur. Tu igitur ea quæ ſunt vtilia tantum vrge, & ad CHRISTVM omnes voca, vt interim ſciant non neceſſarium eſſe cultum ſanctorum. Vt demus licitum & bonum eſſe, Stultum autem eſt in non neceſſarijs ſudare, & neceſſaria ne-

ria negligere. Per ſeſemet cultus ſanctorum ſine opere noſtro corruet, vbi non neceſſarium eſſe conſtiterit, & CHRISTVS ſolus fuerit in Monte Thabor. Nam hac ratione mihi ipſi excidit iſte cultus, vt neſciam quomodo & quando deſierim ſanctos appellare orando, contentus vno CHRISTO & DEO patre. Quocirca probare non poſſum eos, qui apud nos ſimpliciter damnant cultores Sanctorum. Oportuit enim infirmos lentè ducere & non ſubitò deturbare, data primùm ratione non neceſſarij cultus, deinde ſeruato affectu reuerentiæ erga ſanctos, de qua libellus meus loquetur. Placet quod & Vſingenſis in arenam procedit, amiſſurus authoritatis ſuæ culicem. Vale & ora pro me. Saluta omnes noſtros in Chriſto, Vuitembergæ die Aſcenſionis, Anno M.D.XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Se Poſtillam in Villicum iniquitatis adornare, Apologiam Galli, & generale decretum Chartuſienſium de licentia exuendæ vitæ monaſticæ ſibi probari, & vt ædantur ſe curaturum ſcribit. Exemplaria duo æditi noui Teſtamenti mittit, Numiſma nouum Principis ſibi mitti petit.

IHESVS.

GRatia & pax in Domino. Feci huic viro, quod petijſti, mi Spalatine, & vt potui, ſed poſtulauit aliquid opuſculi, quod abſoluere non potui, ſtatui autem vel ad te, vel ad eum

mittere poſt eum, ita enim ſum occupatus. Poſtillam enim ſuper villicum iniquitatis molior, vbi aduerſariorum argumenta reuellere opus eſt, quando is locus de operibus, præmio, & cultu ſanctorum nonnihil vrget. Vbi & tuis quæſtionibus ſimul de operibus bonis, & de iuuandis mortuis agam, quod à multis quottidie petitur. Placuit Apologia Galli, ſi fieri poteſt ædetur. Quin & Carthuſienſium decretũ generale, de Licentia exeundi & relinquendæ Monaſticæ placet & ædetur, vt exẽplo aliquo tanti Ordinis noſtræ res & decreta iuuentur. Memento duplex te habere exemplar noui Teſtamenti, vſq; ad O. & F. vnum pro te, alterum pro Principe. Cupimus & nos videre Numiſma nouum Principis noſtri, quod tanto plauſu iactatur & ſuſcipitur. Mitte quæſo ad me vnum. Vale & ora pro me, Vuitembergæ, feria 4. poſt Aſſumptionis, Anno M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

D. VOLGMARO STOLTZ.

Reſpondet ad quæſtionem, An Miſſam debeat omittere, an cenſum?

IHESVS.

SAlutem. Sic occupatus ſum, vt literas tuas neſcio quo poſuerim, & nomen tuum neſcire coactus fuerim mi Volgmar. Idem autem ſcribis an Miſſam debeas omittere vel cenſum? Reſpondeo optimum foret ſi perſuaſis hominibus,

cenſu retento Miſsis omnino abſtineres, ſicut faciunt noſtri Sacerdotes. Sin perſuaderi nondum poſſunt, tutius eſt & cenſum renunciare. Erat quidem modus, ſi Miſſam faceres, vt cõmunionem, non vt ſacrificium aut bonum opus, donec infirmi erudirentur. Sed hoc propter cenſum facere, & nõ mera libertate, non eſt conſultum. Quis enim prohibeat, ſi quis ſeipſum quotidie communicet, modo id liberè, non cenſus gratia faciat? Aut ad ſummum ſi id faciat amore ſeruitutis, qua infirmis ad tempus cedat, ſicut Capellanis noſtris conſului. Sed iſtum ſeruitutis caſum in te non video habere locum, ideò aut liberè communica, aut abſtine à cenſu & Miſsis, ſic ſapias in Domino. Tu bene vale Vuitembergæ. M. D. XXII. feria 2. poſt Exaudi.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Neiendorfium petit apud Principem promoueri per Spalatinum.

IHESVS.

SAlutem. Petijt hic ciuis Hans Neiendorff, mi Spalatine, vt tibi commendatus, per te, Principi ſupplicationem porrigeret. Habet neſcio quid cauſæ, quam metuit per Magiſtratus differri, vſq; ad abceſſum Principis, quò irritum faciant eius conſilium, poteris ex ipſo, ſi libet, audire. Eloquens & induſtrius vir eſſe videtur, & dignus qui in ſtatum ciuium proueh atur, cum tot hic ſint porci & talpæ, non niſi ventri

tuo ſeruientes. Hartman à Cronberg nuncium apud me hic habet cum literis. Habet & Philippus ab Argentina & alijs, quas, ſi legere voles, mittentur. Vale & ora pro me. Iacobum Priorem Antuerpienſem denuò captum ſcribunt per Cæſarem, fortè quod reuocarit reuocationem. Et ſæuit Cæſar, prohibuitq; ne noſtri fratres ad Capitulum Vicarij venirent. Feria 5. poſt Exaudi, Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

D. IOANNI LANGO.

Ad aſsiduam & ardentem orationem pro cauſa Euangelica contra Sathanæ furorem hortatur. Iacobum Spreng denuo captum. Ferdinandum crudeliter ſæuire & Miriſchium Cæſaris executorem eſſe contra Lutheranos ordinis Auguſtini nuntiat.

IHESVS.

GRatia & Pax in CHRISTO. Quanquam non haberē quod ſcriberem, exegit tamen hic Schotus literas & extorſit, ne vacuus veniret ad vos. Hoc autem rogo quod & antea rogaui, vt inſtantibus & fidelibus orationibus iuuetis Euangelion. Sathanas enim vbiq; iraſcitur fortiter nimis, præſertim in Inferioribus partibus terræ, vbi Sophiſtis datum eſt regnum ſuper nos. Iacobus Spreng denuò captus & ductus eſt, quod contra palinodiam ſuam locutus eſt & ſcripſerit,

Dominus

Dominus conſortet eum. Multi valde inſcripti ſunt ex Haga Comitis, vt plectantur & damnentur. Ferdinandum aiunt duos ducatus ſuos impenſurum eſſe, dixiſſe, vt hanc hæreſin opprimat. Vale & ſaluta noſtros omnes, Vuitembergæ, feria 4. Pentecoſtes, Anno M. D. XXII.

Melchior Miriſch eſt executor Cæſaris contra noſtros de ordine Auguſtini, Sanctus ille Theologus.

Martinus Lutherus.

AD D. PAVLVM SPERATVM SERuum Chriſti, ac Euangeliſantem in Morauis.

Narrat Beluam marinam in Inferiori Germania captam eſſe, & reſpondet ad aliquot quæſtiones Vualdenſium, 1. de Adoratione Chriſti in Sacramento. 2. An Corpus Chriſti ſolum in Cæna ſit ſub Pane, virtute verborum, 3. De Adoratione Dei in ſanctis.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Accepi tuas literas cum quæſtiunculis, ſimul & literas Hæræ Argulæ à Stauffen, in quibus legi, quæ placuerunt, ſcilicet eſſe Euangelium fructiferum in terra, quod Cæſariani Satellites Sophiſtæ incredibili furia perſequuntur in partibus Inferioribus. Dedit autem illis Deus fatale ſignum, ſi forte reſipiſcant & pœniteant.

Appulit enim apud Horlen belua marina, quam Cętum vocant, ſeptuaginta pedum longitudine, & triginta quinq; latitudine. Hoc monſtrum habent ex antiquis exemplis pro certo iræ ſigno, Dominus miſereatur eorum & noſtri.

Reſponſio ad Vualdenſium quæſtiones.

Ad quæſtiones autem Vualdenſium, quas ad me per eorum legatos, dediſti, ita reſpondeo. In primis, quod velim eiusmodi quæſtiones è medio tolli & opprimi, quantum fieri poſſet, ſunt enim inutiles & periculoſæ in vulgo, quod ſua ruditate & leuitate, facile ab his quæ neceſſaria ſunt, nempe à fide & charitate, ruit in iſta noua, rara & peregrina. Eſtq; iſta Sathanæ aſtutia, vt ijs initijs viam ſibi paret, ad corrumpendam ſimplicitatem CHRISTI, & introducat quæſtiones vt Paulus ait, interminatas. Sic fecit dum Philoſophiam in totum orbem, & ceremonias inuexit, nullis reſiſtentibus Epiſcopis & pro fidei libertate & ſynceritate ſtantibus. Sic modo apud nos de cultu ſanctorum, & de ſenſu ſanctorum in cœlo, cauillatur, cui nos meditamur occurrere, quantum Dominus dederit, ſic procul dubio Vualdenſibus fratribus quoq; accidit. Tu igitur ſic facito, vrge, inſta, exige ea quæ neceſſaria ſunt, ſcilicet fidem & charitatem, quæ ſi non antea amplectantur, deteſtare eorum leuitatem circa alia externa, & non neceſſaria ſeſe occupantem. Neq; enim ipſum Sacramentum ideo neceſſarium eſt, vt ob ipſum fides & charitas ſint omittendæ, ſtultum eſt in vilibus illis digladiari, neglectis precioſis illis & ſalutaribus.

Artificium Diaboli, quo nos abducit a ſimplicitate fidei.

Tamen ne importunũ reſponſum dem ſtultis, ne putent me non poſſe reſpondere, ſic dico liberum eſſe CHRISTVM adorari & inuocari ſub Sacramento, neq; enim pęccat, qui non adorat, neq; peccat qui adorat. Hic eſto finis huius contentionis, nec permittas alterutram partem cogi & exigi, neue quis adducat vel præputium vel circumciſionem, neue ſe inuicem hic iudicent. Tu ergo contemne, & per contemptum damna talem in hac re contentionem, vbi fides & charitas fuerit, hic peccari non poteſt, neq; adorando neq; non adorando. Vbi autem fides & charitas non fuerit, nunquam peccabit vllus, ſiue adorando ſiue non adorando, imò nunquam non in totum viuendo peccabit. Fides enim ſic adorat, quod illum ſolum ſibi proponit, cuius ibi corpus & ſanguinem eſſe non dubitat. Hic ſi illi contentioſi nolint cõcomitantiam dicere, dicant aliter, & deſinant contendere, cum in re ipſa conueniant. Nemo enim negat, nec fratres ipſi puto, Corpus & ſanguinem CHRISTI ibi eſſe, qui adorandus eſt. Hoc ſufficit Cõcomitantiam dici. Qui vero ſcrutari volent, quomodo Deitas ibi comprehendatur. concomitanter, hos argue, vt ſtultè curioſos, & carnalibus phantaſmatibus in myſteria DEI ruentes, quo eos ſerues in ſimplicitate fidei, & in pura Sacramenti cognitione. Nam vbi talia Phantaſmata ſtulta & non neceſſaria admiſſa fuerint, curioſos reddent, & poſthabita fide, omnem illam ſentinam, de loco infinito, vacuo, quantitate, ſubſtantia, & quicquid ratio naturalis

Adoratio Chriſti in Sacramento ſit libera res.

Adoratio quando fiat tuto.

Curioſæ quæſtiones ſunt vitandæ in doctrina ſacramenti.

ralis & Philoſophia hactenus inſanijt, aduehent. Quare hic pro ſimplicitate vigilandum eſt, rurſus fides & charitas non adorat, quia ſcit non eſſe mandatum adorare, nec peccari non adorando. Sic in libertate per medium illorum tranſit, & omnes concordat, ſinens vnumquenq; ſuo ſenſu abundare, tamen ne diſceptent, & inuicem ſeſe iudicent, prohibet, ſectas enim & Schiſmata odit, omnia aut libera habet.

Reſponſio ad aliam quæſtionē.

Sic iſta contentio abſoluenda eſt, An ſub Pane ſolum corpus, virtute verborum ſit, &c. Quid enim vt tu ipſe iudicas, opus eſt rude vulgus his argutijs implicare, quod interim poteſt hac ſana & tuta fide dirigi, ſcilicet quod credat ſub pane eſſe corpus illius, qui eſt verus Deus, & verus homo. Quomodo autem concomitanter ibi ſanguis, humanitas, Deitas, pili, oſſa, cutis ſint, cum non ſint neceſſaria ſciri, quid opus eſt fatigari? Fides ex his rebus & verbis, neq; docetur, neq; augetur, ſed ſcrupuli ſeruntur, & diſſenſiones, fides non vult plus noſſe, quam ſub Pane eſſe Corpus CHRISTI, ſub vino ſanguinem CHRISTI viuentis & regnantis, In hac ſimplicitate perſeuerat, contemptis quæſtionibus curioſis.

Adoratio Dei in Sanctis.

Sic & illud ſoluerem de adorando & inuocando DEVM in ſanctis habitantem, liberum eſſe & neutrum neceſſarium. Quanquam in hominibus plurimis non ita certum eſt dubitare, quam certum eſt ſub Sacramento eſſe. Legimus autem prima Cor. 14. Quod Apoſtolus dicit, infidelē, in faciem caſurum, & adoraturum DEVM in ſanctis, ſi eos Prophetantes audierit. Et Abraham tres Angelos vidit, & vnum Do-

minum adorauit, & quid facimus dum alius alium honore præuenimus) quo exemplo tu quoq; ad me ſcribens vteris) quam quod DEVM in nobis honoramus & adoramus. Eſto ergo liberum inuocare DEVM, vel in homine, vel extra hominem, inter creaturam, vel extra creaturā, quia & cœlum & terram impleo ego, dicit Dominus. Tutiſsimè hic ambulat fides, quæ ſolum DEVM in omnibus ſuſpicit, infidelibus autem non poteſt ſatis dici, duci, probari, quia iſti ſe ipſos adorant ſemper, Quare vt dixi, doce tantum, vt fide ſani ſint, & quæſtionibus eiuſmodi nihil erit opus, & vnctio per ſeſe eos erudiet in omnibus, ſine qua nihil facimus, niſi, quod ad interminatas quæſtiones ruimus. Salutabis meo nomine Martinum Nouilianum multa in CHRISTO ſalute, Hæræ Iuliæ ſcripſi, Sed breuibus, libelli de votis iam dudum diſtracti ſunt, denuò excudi iuſsimus, autores latoribus fuimus, vt quæ apud nos ſunt curarent afferri tibi. Tu in CHRISTO Vale, & pro me ora. Feria ſexta Pentecoſtes, M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

CLauſurus has literas denuò perluſtro tuas, an omnibus ſatis feciſſem, offendi cartulam, in qua de vi verborum quæris in Sacramento, quam vim tu tamen recte iudicas ex promiſsione eſſe, ſi qua vt tecum loquar, in verbis ſit. Tu verò etiam noſti, quod ſola fides conſecrat, & Sacerdotes plures ſine fide eſſe, dum conſecrant, vbi neceſſe eſt, non mo-

do iocoſè & doloſè,ſed & impiè verba proferri. Ideo vt tuti ſimus,oportet nos omnibus modis diſcere,quod etiam conſecrant: Et nihil ominus oportet ſacerdotem eiusmodi infidelem,licet tamen vt miniſtrum conſecrare in fide Eccleſiæ, dum iuſſu & authoritate Eccleſiæ conſecrat. Non enim ipſe profert verba,ſed Eccleſia,miniſter autem eſt verborum ab Eccleſia probatorum. Tu tamenex his facile plura colligere poteris.Iterum vale.

GABRIELI DIDIMO

Hortatur Didimum, vt vocationem Aldenburgenſium ſuſcipiat,& monet ne Eccleſiam illam veſtitu indecoro,aut moribus ſeſe indignis offendat,vultq; auditores verbi Dei non traditionibus humanis trahendos & regendos eſſe.

IHESVS.

GRatia & miſericordia & pax à DEO Patre noſtro & Domino IHESV CHRISTO,Amen. Senatus Aldenburburgenſis petit à me Concionatorem Euangelicum, qui ſi ad te venerint,ibis cum eis,& ſi acceptarint te, ſuſcipies tanquam vocem certiſsimam vocantis DEI. Nam & ego te illis obtuli & commendaui. Quare rogo ſuſcipias hoc meum conſilium & factum, in nomine Domini noſtri IHESV CHRISTI, qui te per me & Philippum vocat, & vade in pace,& Dominus creſcere te faciat in multa milia. Caue ergo ante omnia vt modeſtus ſis, & veſtitu Sacerdotali hone-

Vocatio Aldenburgenſis.

ſtus

ſtus incedas, depoſito pirrheto iſto Latiangulo, propter infirmiores, memor quod mitteris ad eos, qui lacte alendi ſunt, & à laqueis Papæ ſoluendi, quod non facies niſi ſolo verbo opereris, ſicut audiſti ex me, & leges in nouiſsimo libello meo, trahi vult ad ſe homines Pater per CHRISTVM, non cogi aut duci ſtatutis aut ordinationibus noſtris. Contemptus impietatis primum cordibus infigendus eſt, tum ſponte cadet impietas, ſine manu, & affectus pietatis primum inſerendus eſt, tum ſponte veniet pietas, & fiet vt regnum DEI vim patiatur, & violenti illud rapiant, Dominus autem det tibi ſenſum & ſpiritum vt dignus ſis miniſter CHRISTI filij ſui, & benedicat verbum ſuum in ore tuo, Amen. Gratia tecum amen. Vitembergæ die Cœnæ Domini. M. D. XXII.

Frater Martinus Lutherus

D. IOANNI LANGO.

Confirmat Langum contra eos qui reſiſtunt Euangelio, ac præcipue contra pertinatiam Senis Vſingenſis, Iudicialia & ceremonialia Moſi, nunc eſſe Adiaphora. Epiſtolam ad Erphordienſes ſe breui miſſurum. Georgianos in Miſnia ſuperare Erphordianos virulentia & furore. Addit item alia de ſæuitia Cæſaris in Inferiori Germania, Iacobum denuo captum aut exuſtum, aut mox exurendum credi, neq; ſe meliora expectare, propter famam de conuentu Cæſaris & Papæ in vrbe Norimberga. Interea tamen ſe nihil moueri, quo minus pergat irritare & Satanam & organa eis, vt ſuo malo pereant.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO Amen. Eſſe apud vos qui Euangelio reſiſtunt,& populos vi & aſtu auellant, nihil mirari debes,ſi Euangelion verè Euangelion eſſe credis. Impij enim homines proficient in peius fallentes & falſi,ait Paulus. Vſingenſe caput ſcis inueterata pertinacia & opinione ſui eſſe induratum, vt adamanta ſuperet. Poinde ſic contra eius inſanias docendum eſt, vt eius rudiſsima & ceciſsima inflatura contemnatur. Sic enim ab ineunte ætate conſueuit nulli cedere ſenſu. Vnde nec ſpes eſt vt CHRISTO cedat iam vſu & arte verè vſitatus & inſingnitus ad duritiam.Sine vt prouerbium roboret quo dicitur, Alter hilfft für kein Thorheit, & pendet ipſe ab authoritate ſenij, & fatuitatis. Cæterum mea ſententia eſt, liberum eſſe iudicialia ſicut & ceremonialia Moſi ſeruare, ſicut & Philippus in ſuis locis ſentit. Non enim neceſſarium eſt adulteros lapidari,&c.quos gladio vel quouis alio licet puniri, Epiſtolam ad vos meditor,& veniet ſtatim ſi CHRISTVS volet.Georgiani in Miſſnia ſuperant veſtros in virulentia inſania & furia, longiſsimo interuallo. Iactant libellum Regis Angliæ. Sed Leum illum ſuſpicor ſub pelle tactum, Cæſarem pro ſua ſapientia inſpiratus ſuo Diabolo Glapione Minorita à confeſsione,ſuperbiſsimo & minoritiſsimo Monacho,commendauit Morioni illi Egmundenſi & alijs Sophiſtis, in partibus Inferioribus. Et ij accepta tyrannide incredibiliter ſeuiunt,

Iudicialia Moſi.

Iacobum

Iacobum denuo captum habent,& iam cum aliquibus exuſtum credimus,aut certiſsimè exurendum, alios vrbibus expellunt, & inſignibus contumelijs afficiunt. Idem de nobis ſperamus: præſertim cum fama ſit fortis. Et Cæſarem & Papam Nurnbergam conuenturos, vt impleant idola iſta duo, quod CHRISTVS vult nempe vt ſui ipſius regni finem faciant,& nouiſsimum faciant. Oremus ergo CHRISTVM vt vel eos conuertat, vel furorem ſuum augeant,quo ſtatim pereant. Ego Sathanam & Sathanæ ſquamas non ceſſabo prouocare & irritare vt ſuis ſeſe dentibus conficiant. Saluta omnes noſtros ac vale. Vuitembergæ M. D. XXII. feria 5. octaua corporis Chriſti. Comitia Norinbergenſia.

T. Martinus Lutherus.

De Heſſo aliter ſentimus quam tu ſcribis, argumento ſunt eius duæ Epiſtolæ ad nos

D. IOANNI STAVPITIO ECCLEſiaſti Saltzburgenſi.

Agit cum Staupitio de ipſius Abbatia, ac rogat ne delatoribus facile credat. Reſpondet etiam ad obiectionem, quod ex ipſius doctrina plurima ſcandala exorta ſint, ac dicit verbo Dei tantum, nunc regnum Antichriſti deſtrui, Tandem narrat Iacobum Priorem Antuerpianum rurſus in vincula coniectum eſſe, ob damnatam ſuam reuocationem.

IHESVS.

GRatia & pax in Chriſto Amen, Reuerende & optime Pater. De Abbatia tua non tam ex Prioris Norinbergenſis literis, quam ex vulgata fama audiui, ita conſtanter aſſerente, vt niſi tuas vidiſſem literas, credere coactus fuiſſem. Eadem puto via & ratione, & ad vos deferri mendatia de nobis. Et quanquam nec ego velim DEI voluntati ſubtrahi, tamen pro mea ruditate plane nondum capio, ſi voluntas DEI eſſe poſsit, vt Abbas fieres, neq; mihi conſultum videtur, verũ tuo ſpiritui neq; reluctator neq; Iudex eſſe volo. Vnum autem oro te per viſcera CHRISTI, ne facile credas delatoribus noſtris, ſiue aduerſus Vuenceslaum ſiue erga me. Nam quod tu ſcribis mea iactari ab ijs, qui lupanaria colunt, & multa ſcandala ex recenſioribus ſcriptis meis orta, neq; miror neq; metuo. Certè nos hic egimus & agimus, vt ſine tumultu purum verbum publicemus apud homines, quo & boni & mali vtantur. Scis quam non ſit in noſtra poteſtate. Nam cœlibatum iſtum immundum, tum Miſſarum impietatem, & religionum tyrannidem, & quicquid per homines inuectum & aduerſus ſanam doctrinam erectum eſt, propoſuimus perſequi verbo, facturi quod CHRISTVS prædixit, angelos ſuos collecturus de regno ſuo omnia ſcandala. Deſtruendũ eſt mihi mi Pater regnum illud abominationis & perditionis Papæ, cum toto corpore ſuo. Atq; id agit iam ſine nobis, ſine manu, ſolo verbo, finis eius venit coram Domino.

Abbatia Staupitii.

Contra obtrectatores

Scandala ex Lutheri doctrina exorta.

Deſtructio regni Antichriſti.

mino. Res eſt ſupra captum & ſenſum noſtrum, ideo non eſt quod morer, cum quis poſsit, itaq; digniſsimum eſt pro magnitudine DEI magnos animorum motus, magna ſcandala, magna portenta oriri. Non turbent te mi pater hæc omnia ego bene ſpero. Conſilium DEI in his rebus vides, & manum eius magnam. Memento quam ab initio mea cauſa ſemper formidoloſa & intolerabilis viſa eſt Mundo, & tamen de die in diem præualuit. Præualebit & hoc, quod tu malè metuis modo, ſuſtine parumper, Sathanas ſentit vulnus ſuum, ideo ſic furit & miſcet omnia. Sed CHRISTVS qui cepit conteret eum, fruſtra renitentibus omnibus portis Inferi. Iacobus Prior Antuerpienſis, denuò captus eſt, & præſumitur iam exuſtus eſſe, & alij duo cum eo. Nam certum fuit eum occidendum fuiſſe ob damnatam ſuam reuocationem. Sophiſtæ properant ad perditionem ſui, quæ veniet eis propter ſanguinem innocentem, quem fundunt, Amen. De me quoq; exurendo conſultatur, at ego indies magis prouoco Sathanam & ſuas ſquamas, vt acceleretur dies ille CHRISTI deſtructurus Antichriſtum iſtum. Bene vale mi Pater & ora pro me. Salutat te D. Hieronymus, Amsdorff, Rector & Philippus, Vuenceslaum volo apud te excuſatum. Bonus vir eſt & dextrè tractat Euangelium, hoc eſt, ſcandalum ſanctorum & ſapientum, Vuitembergæ feria 6. poſt octauam Corporis Chriſti. Anno M. D. XXII.

Iacobus Prior Antuerpianus captus.

Furor Sophiſtarum.

Tuus Martinus Lutherus.

M. GEOR-

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, M. GEORGIO SPALATINO.

Expoſtulat cum Spalatino, eo quod Amsdorfium ob mutatum Sacerdotium, inconſtantiæ accuſarat, & reprehendit, aularum vindictæ cupiditatem, docet etiam modum caſtigationis fraternæ, ac vult ne fines charitatis excedat, deniq; pro Sacerdote Creitz intercedit.

IHESVS.

Sacerdotiũ mutatũ ab Amsdorffio

GRatia & pax in Chriſto. Vidi literas tuas ad Amsdorffium ſcriptas de Sacerdotio Creytzis, &c. & planê doleo non tam illius quam tua gratia, qui ſic ſis aulicis affectibus imbutus & immerſus, vt tam parum Chriſtiane de fratre tuo & ſentias & ſcribas. Ais te fore cautiorem deinceps, & nolle alienæ inconſtantiæ miſceri, & neſcio quæ grandia, ita vt me coegeris hæc ad te ſcribere fraterno certe animo, tu igitur fraterno quoq; animo hæc admittas, oro per CHRISTVM. Sin autem, certiorem me redde, & magis mutus ero, quam piſcis. Tu ſi rem recte conſideres, noſti hominem non eſſe malum, deinde quod de mutãdo Sacerdotio agit, nec leuitate nec inconſtantia ferri, ſed ſumma neceſsitate & imperio (quo nullum eſt maius in omni creatura) conſcientiæ, niſi neſcis, quanta tyrannide & impietate ſacerdotia iſtiusmodi ſint poſſeſſa & poſsidenda & quanta difficultate adeunda. Fateor per nos antea obtinuit ignarus quid ambiberet, nunc re cognita & periculo intellecto reſilit & de mutando cogitat, id quod tu ſummis officijs probare, laudare & com-

& commendare debuiſti, & cum tanto impetu animi arguis & damnas inconſtantiæ, ita vt nulli ſeruiturum deinceps promittas. Si ſic ſapis & doces in Aula, præſtaret te mutum eſſe in æternum. Hic prodit quod in Aula iſta ſemper ſum ſuſpicatus, nunc intelligo cur Pfaffenbecium adeo repudiauit. Sed latet ibi occultum illud malum vindictæ, & ignorantia laudatiſsimæ illius in CHRISTO & per omnes Pauli Epiſtolas Longanimitatis, quæ eſt tarditas ad vindictam etiam iuſtè prouocata. An vero vindictam non eſſe putas, ſi nihil inferas mali, ſubtrahas tamen officium fraternum, vt malum aut ſuperare, aut prohibere non poſsit, quod tua opera vitare poſsit? Mi Spalatine ne erres, DEUS, non irridetur, ne ab Aula quidem, quantumuis egregia ſimulatrice. Neq; enim tu tibi ſic fieri velles, ſicut iſti facere cogitas, iamq; in totam legem & charitatem peccas, in quo peccato, ne te patiar perire, certè ſolicitudo fraterna cogit te monere. Non eſt bona gloriatio tua. At caſtiganda eſt (ais) temeritas & inconſtantia, ne ſit occaſio mali exempli: Rectè, ſed primum videndum, ſitne temeritas vel potius pietas quæ caſtigetur, ne etiam occaſio ſit mali exempli plectendæ innocentiæ & pietatis. Hic autem pietas in cauſa eſt, quod Miſſarum impietatem nec ſubire nec curare audeat. Iam ſit temeritas, ſane ſic caſtigetur, vt ſit caſtigata & emendata, non vt maneat incaſtigata, & frater deſeratur in malo. Hic vero, ſi tanta cruditate rem proſequaris, hominem non modo ſpoliabis Sacerdotio, ſed & parentibus ſuis ſummo

Vindictæ cupiditas in Aulis.

Caſtigatio fraterna.

trades periculo & extremo damno,breuiter,perdidiſti eum. Tu autem hanc (oro) audebis vocare caſtigatam temeritatem, qui doces Euangelion? Non ita de te ſpero, ſed eſto, aliter facere non poſsis,ſic enim Aulæ mos & ingeniũ Principis eſt. Audio, quid ergo facis in Aula Euangeliſta? Hoc enim agere debes verbo, vt iſte mos & tale ingenium non ſit:aut certè ſine tua conſcientia ſit,hoc eſt, vt impio denuncies peccatum ſuum,& animam tuam liberes,ſicut Ezech.3. ſcribit. Scis quam potentibus verbis meam acerbitatem monueritis vos Aulici toties, ſed nunc vide quæſo, quid de vobis ſentiendum ſit, an non ſit ſalubrius impietatem exaſperare,etiam cum multorum offenſione, quam palpare,vt ſeruetur pax & tranquillitas. Quod ſi tam es patiens in caſtigandis Aulæ affectibus, incomparabiliter peioribus,quam vel huius inconſtantia, nonne iniquè iudicare deprehenderis? Neq; enim ſpero,ſic de Aula vel Principis lapſu tonares,ſicut de huius inconſtantia tonas.Cur ergo alius es in hunc, quam in illos? niſi quod non merita ſed perſonas ſpectas. Aut ergo & hunc ea patientia & ſuauitate ſuſcipias, qua ſuſcipis Aulicos lapſus,aut ſcito, CHRISTVM à te eſſe repudiatum. Miſeros nos, qui ſic nos ipſos humanis officijs & fucis fallimus,& occultam iſtam charitatis Chriſtianæ omiſsionem non aduertimus.Res fratrum gerimus frigidè imo impiè. Cur hoc? quia ſic gerimus, quaſi aliena non quaſi noſtra. At charitas contra aliena vt ſua curat, ſicut ſcriptum eſt, alter alterius onera portate,& iterum,nemo quæ ſua ſunt conſideret, ſed

Aulici Euangeliſtæ officium.

quæ

quæ aliorum, caſtigat & charitas vitia, ſed non deſerit. Planè me ſæpius malè habuit huius Aulæ peculiare iſtud malum, Quod ſemel offenſis non nocet quidem (quia in re gloriam habet, quod non ſit cruenta) ſed tamen ſubtractione auxilij ſic pertinaciter ſæuit, vt præſtaret aliquando cruentum experire quam ſubtrahentem. Laudet hoc, qui volet, ego damno, vt Chriſtianæ longanimitati ex diametro aduerſum. Vide ergo, ne dum de aliena inconſtantia te euoluis, prudens (vt tu videris tibi) impliceris in alia parte alienæ crudelitati imprudens (vt mihi videor.) Vtinam hæc fraterno & grato animo acciperes, vt videres, quam grandis & magnifica res ſit, docere impios & tractare verbum Dei, & quam pauci ſint, qui hoc purè & liberè tentent. Oro igitur, ſi potes hunc Creytz iuuare, non ſolum non ſis offenſus, ſed id quoq; cures, ne Princeps inclementior in eum fiat. Deinde ſi fieri poteſt, vt mutet ſacerdotium iſtud alio, in quo non ſit neceſſe miſſare, ſin non potes, vt tamen placatus & mitis hominem amplectaris. Fratres enim ſumus & ille nihil mali fecit, ſed piè & Chriſtianè cogitat facere, in quo nos debitores ſumus, vt eum iuuemus. Quod ſi tu non iuuabis, ego tamen ijs literis meum officium tam in te quam in illum abſoluero, & conſcientiam meam redemero. Tu videris vt CHRISTVM doceas, CHRISTVM etiam in fratre agnoſcas & tractes. Bene vale in Domino, qui te illuſtret & inflammet cognitione ſui Amen. Feria 4. poſt Marcelli. Anno M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI.

GEORGIO SPALATINO.

Quantum pergat in vertendo Nouo Teſtamento indicat. Anglo virulentiſsimo ſe reſponſurum, & vehementius huius Regis Satanam irritaturum, præſertim in libello aduerſus Epiſcoporum laruas nuntiat. Quid in Picardis, qui per legatos de fide ſua ipſum conſuluerunt deſideret, recenſet. Philippum a Grammatica lectione liberari, & ad Theologicam adhiberi, aucto ipſius Stidio cupit.

IHESVS.

GRatia & Pax in CHRISTO. Veniſſe ad manus tuas, mi Spalatine ſpero Marci Euangelium & Epiſtolam ad Romanos cum Epiſtolis amicorũ, iam propediem abſoluetur Lucæ Euangelion & ambæ ad Corinthios. Cogor virulentiſsimo Leoni, qui ſe in Angliæ Regem transformauit reſpondere, Ignorantia quidem rege digna eſt in eo libro, ſed virulentia & mendacitas nullius niſi Lei eſt. Quam furit Sathan, ſed ego quam eum irritabo de die in diem magis, atq; id cepi libello iſto aduerſus Epiſcoporum laruas. Picardi apud me legatos habuerunt, de fide ſua conſulentes, inueni fermè omnia ſana, niſi quod obſcura phraſi & barbara vtuntur, pro Scripturæ phraſi. Deinde quæ me mouent ſunt, quod paruulorum Baptiſmum nullius fidei & fructus aſſerunt, & tamen eos baptiſant, & rebaptiſant ad ſe venientes ex noſtris, deinde ſeptem Sacramenta ponunt. Nam cœlibatus

batus Sacerdotalis inter eos placet, cum non neceſſarium faciant, ſed liberum. Adeò nuſquam eſt in orbe puritas Euangelij. An & fidei & operum ſanam habeant ſententiam, nondum liquet, valde enim dubito, de Euchariſtia nihil falſum video niſi fallant verbis, ſic nec de Baptiſmo. Vale & ora pro me. Quam vellem vt curares aliquando Philippum à grammatica lectione amoueri, vt Theologicis vacaret, indigniſsimum eſt ipſum (ſicut antea ſcripſi) centum aureos pro Grammatica mereri, cum interim duas Theologicas inæſtimabilis prætij legat. Abundè ſatis Magiſtrorum eſt, qui æquè vt Philippus Grammatica docere poſſunt, & otioſi eſſe præ ipſo coguntur. Deus deſtruat Bethauen illud, vt cenſibus à clamoſis Sacerdotibus raptis, ad vſus bene docentium transferantur, Amen. Vuitembergæ, feria 6. poſt Viſitationis, Anno M. D. XXII. Priorem iſtum Nurnbergenſem tibi commendo.

Tuus Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Aut tu fingis optime Pater cauſam aliquam friuolam moræ tuæ, aut odis noſtrum conſortium. Quid enim eſt vt iſtic deſideas? Superiores & Inferiores partes terræ tibi prohibitæ ſunt. Nuſquam tutius

& melius ages quàm hic apud nos. Niſi iſta fortaſsis te ratio monet, vt pro ſancto ordinis noſtri ſplendore, tibi caueas ab immundis & execratis nobis, ne in te ſcandaliſentur qui ad ſcandalum in CHRISTO excitati ſunt. Redi obſecro atq; id citò, erit enim vt hic te opus habeamus in Domino, expectamus te, tu vide ne fraudes nos, ſunt & neceſſaria fidei quibus te adeſſe ſemper velimus, & mutuis conſilijs rem communem iuuare. Salutant te noſtri omnes. Vale in Chriſto, Vuitembergæ. M. D. XXII. Feria 6. poſt viſitationis.

T. Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO, Epiſcopo in Cygnea.

Commendat ſe iterum precibus Hauſmanni, ac quæ de Iacobo Priore Antuerpienſi denuo propter reuocationem capto, atq; aliis eius ſimilibus, deq; immani ſæuitia Sophiſtarum Cæſaris executorum habeat, ipſi communicat.

IHESVS.

GRatia & pax in Chriſto. Virum hunc vt noſti, Euangelij Hyperaſpiſten, nolui ad vos inanē redire optime Nicolae, quo me iterum tuis orationibus commendarem, cum aliud non haberem quod ſcriberem, aiunt vero Principes conſultare in caput meum & noſtrorum. Iacobus Prior ille Antuerpienſis, qui reuocarat antea, denuò captus Bruxellam

ductus

ductus eſt, ob damnatam à ſe reuocationem, multis ſcribentibus ad nos, iam quoq; exuſtum eſſe. Sæuiunt Sophiſtæ illic incredibili Tyrannide, quibus Cæſar ſtultus ſtultis rem commiſit. Multi abiurant, poſtea reſipiſcunt, & denuò capiuntur, & properant impij Tyranni ad finem ſuum, prouocando CHRISTVM & aduentum eius. Saluta verbi miniſtros, qui tecum ſunt, & Protoconſules ambos, cum ſuis & quæſtorem, & tu bene vale in CHRITSO. Vuitembergæ, Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GABRIELI DIDIMO

IHESVS.

GRatia & pax. Quando ſic Princeps, Deo volente alium pro te ſuffecit, liberum eſt tibi abire, & vel ad nos, vel ad locum priorem redire, fac ergo quod tibi placet, donec alio voceris, & ferere interim, ſicut Elias voluntate tua. In ſponſionibus iſtis libertate vti oportet, ad parentum decretum, igitur prior ſponſio, ſi ita velint parentes & cōſentiant, irrita ſit, quamuis peccent alteri, alter mentiendo & fallendo. Sic in ſecunda ſponſione quoq; ſentio, poſtquā Mater Iuuenem abſoluit, & puella tandem conſenſit. Arguendi tamen ſunt leuitatis, inconſtantiæ & mendacij ſui. Vale in Domino M. D. XXII. feria 5. poſt Vlrici, 4. Iulij.

Tuus Martinus Lutherus.

IOANNI

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, IOANNI LANGO.

Mittit Epiſtolam ad Eccleſiam Erphordianam, Lango prius reſignandam & inſpiciendam.

IHESVS.

GRatia & pax. Habes & Epiſtolam ex tempore effuſam, ſolue ſigillum & lege, quam ſi viſum eſt exaudi, fac vt in paragraphos dignè diſtinguatur. Et ſi plures ſalutari velis inſere nomina, ſed ſic ne affectu gloriæ vel illorum vel tuæ id facias, quem debes ideo ſuſpectum habere, quod omnes ſumus homines, nec numerum augeas vltra denarium. Meditabar eruditiorem & ditiorem, ſed non vacabat, vbi autem vacauerit, apprehendam locum aliquem Scripturæ, & ſuper eo ad vos ſcribam. Interim vale in Domino, & ora pro me. Saluta omnes noſtros. Vuitembergæ, 10. Iulij M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

OMNIBVS CHRISTIANIS ET Predicatoribus Erphurdiæ, Martinus Lutherus Eccleſiaſtes Vuitembergenſis.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Benedictus ſit Deus, qui pro inexhauſtis miſericordiæ ſuæ diuitijs id ætatis iterum de integro iamdudum collapſum de filio ſuo IHESV CHRISTO Domino noſtro Euangelium erexit, cuius ductu

& auſpitio

& auſpitio ad veram Patris omnis miſerationis cognitionem perducimur, quam largiſsimè per CHRISTVM ſuper nos credentes effudit, abominabili Antichriſti errore manifeſtato, in quo omnes nos ſuffocati, huius mundi Deo & principi graui & ærumnoſo ſeruitio mancipati ancillabamur, ſeruientes eidem peccatis & omni impietatis genere.

Quare cum pro certo reſciuerim, optimi fratres etiam apud vos raram hanc diuinæ Gratiæ lucem eſſe exortam, ſupra modum lætor, & oro eundem omnis miſerationis & totius conſolationis Parentem, eius lucis autorem dignari velit, nos vnà vobiſcum etiam amplioribus Gratię ſuæ donis & congiarijs proſequi: Nimirum omni ſapientiæ & cognitionis plenitudine, certi facti in corde veſtro, perfectè cognoſcentes eundem Spiritum, qui CHRISTVM ſuſcitauit à mortuis, pari virtute & potentia in nobis quoq; credentibus eſſe efficacem. Per quem & nos ex mortuis reſurreximus iuxta omnipotentem Dei fortitudinem in nobis per ſanctum eius verbum operantem. Hic det vobis quoq; mutuam charitatem inuicem ſeruiendi, vt eadem ſitis mente & ſententia in CHRISTO IHESV Domino noſtro. Neue timeatis Sathanam & Titionem paululum adhuc fumigantem, nunc verò ad finem redactum, cui DEVS pater obſtaculo ſit, quo minus dolus eius fidei veſtræ perturbandæ locum inueniat. Sed corroboret vos ex vtraq; parte, vt crux & afflictio veſtra cedat in cumulum ſalutis & ſpei veſtræ, durantis vſq; in aduentum Domini noſtri IHESV CHRISTI quotidie expectandi.

Preces Lutheri pro Eccleſia Erphordienſi.

Diſceptatio nes inter Erphord.

Significatum eſt mihi quoq; de vobis fratres, contentiones eſſe inter vos, & diſſentiones ex Contionibus de rebus non valde neceſſarijs ſubortas, nimirum de cultu ſanctorum. Quanquam igitur verbum gratiæ per contentiones & omniiugas aduerſitates, veluti aurum per ignem probandum eſt, quo ſplendor & virtus eius fructuoſior multis fiat vtilis, cum confirmandis Infirmis, tum fortibus magis ædificandis. (Quamobrem metuendum non eſt, ne ſcoria ſuperius egeſta ſe diſiungat, & ementito ſplendore multos offendat & decipiat.) Eſt tamē vel ſic ſummopere omnibus nobis annitendum, & pro ſummis viribus habita ratione conandum, vt nunquam non vno ore & mente ὁμοθυμαδὸν Patrem laudamus & prædicemus, vt per hoc cor noſtrum præparatum ſit & inſtructum, indeſinenter adhærere vni adeoq; neceſſario, quod Maria vt partem potiorem elegerat. Et nos relictis curioſis & diuerſis quæſtionibus parum ædificantibus ſtultā πολυπραγμοσύνην Marthæ πολλὰ πράγματα εἰκοῦ παρέχουσαν valere ſinamus. Quamobrem Prædicatores veſtros per CHRISTVM obſecro, vt ab huiuſmodi nunquam extricandis & finiendis quæſtionibus, de ſanctis in cœlo, & de mortuis animum abducant, & populo hanc quærendi vitioſitatem eximant, hac potiſſimum cauſa impulſi, quod vna tali conceſſa quæſtione, inueſtigandi nullus erit finis relictus. Quod & Paulus 1. Timoth. 1. docet, cum tamen hæc omnia nullius ſint momenti, & ad ſalutem conſequendam conducant nihil.

Ad hæc

Adhæc quid de mortuis ſtatuerit aut agat DEVS, nihil nos ſcire voluit. Prorſus ille non peccat, qui nullius ſancti auxilium implorat, ſed tantum firmiter in CHRISTVM mediatorem ſpem ſuam ponit, imò talis agit omnium ſecuriſsimè. Quorſum igitur attinet poſthabita ſecuritate & certitudine, rebus dubijs inniti, neq; præceptis neq; interdictis? Putatis ne parum vobis eſſe relictum negotij, vnum illud curantibus, nimirum vt CHRISTVM plenè & ad vnguem perdiſcatis & doceatis? Cauete vobis & proſpicite, Satanas enim decreuit rerum inutilium curioſitate, vos occupari, quo per hanc, illa quæ ſcitu & cognitu ſunt neceſſaria, vobis extorqueat. Et vbi digiti tranſuerſi vel tantillum nactus eſt quæſtiuncula præpoſita, mox totum corpus, hoc eſt, tota quæſtionum plauſtra inuehere adproperat. Quemadmodum hactenus in ſcholis per Philoſophiam feciſſe, vel cæcis perſpicuum & incredulis iam perſuaſum eſt. Quapropter perſpicaces eſtote, vt apud ſimplicem CHRISTI doctrinam fidei & charitatis maneatis, ne Satanæ verſutia mentis veſtræ ſimplicitati perinde vt Heuæ imponat. Si verò huic ſimplicitati adhærentes certè ſtatueritis rebus nihili & quæſtionibus inutilibus vos implicari non velle, per ſe quærendo fatigatus deſinet tandem eſſe moleſtus. Contemptu enim frangitur, obſeruatione verò inflatur, plus ſatis impetratum eſt hoc aſſentiri coacto, non neceſſarium eſſe ſanctos colere, ſed ſatis eſſe Christiano, noſſe ſolum CHRISTVM eſſe colendum. Qui

Chriſti prædicatio Sat. confuſio.

præterea his rebus occupatus gaudet inuolui quæſtionibus parũ neceſſarijs, ſanè inuoluatur. Breui erit vt & ipſe de ſatigetur, animaduertens rem ſuam non multum æſtimari, & ab omnibus contemni. E diuerſo & alijs ſat conceſſum eſt, ſi non contempta fuerit illorum infirmitas.

Imploratio Diuorum.

Sinite & Diuorum implorent nomina quando ita volunt, ea tamen lege, vt ſciant fide cauentes, ne quam fiduтiam & præſumptionem falſa perſuaſione induta in vllum ſanctorum ponant, ſed in ſolum CHRISTVM. Spem enim & fidutiam habere in aliquem, ſummus eſt cultus adeoq; mentis latria, DEO peculiariter conueniens, vt ei qui veritas ſit ipſiſsima. Dubium non eſt omnes ſanctos eſſe in CHRISTO, ſiue viuos ſiue mortuos, Abel enim mortuus fortius in DEO viuit, quam viuus vixerat. Quamobrem quanquam ſuperuacaneum ſit ſanctos colere, nec tamen eos putarim reſpuendos aut condemnandos eſſe, qui ſanctos adhuc colunt nulla præſumpta fidutia. Quicquid enim ſanctis faciunt, CHRISTO faciunt, nec fieri poteſt, quin honoris beatis Diuis habiti, etiam Chriſtus ſit particeps. Quandoquidem ipſi in CHRISTO, & CHRISTVS in ipſis eſt, adeo vt etiam mixtis nominibus ſanctorum nomen in CHRISTI nomine, & CHRISTI nomen in ſanctorum nomine ſit, vbicunq; tandem ſint. Quapropter Infirmorum rationem habentes, cautè ducite illorum conſcientiam, rerum inutilium curioſitate proſſus exempta, vt vnicè CHRISTVM ceu rem præ omnibus neceſſariam apprehendant. Cogimur enim omnino cum

nō cum ſanctos, tum nos ipſos deſerere, adeo, vt præter CHRISTVM aliud cognoſcamus nihil, omnibus alijs ſpretis & poſthabitis. Moſes & Helias ſolo CHRISTO remanente euaneſcunt, ſed nec Abraham nec Iſrael nos vlterius agnoſcere debent.

Ita Patres animo meo chariſsmi ad CHRISTVM adeo ſolum populi mentem & fidutiam ducite, reprehenſa ſubinde ſuperſtitione, & omiſsis inutilibus Infirmorum curam habete. Multas eius generis futiles & nullius momenti quæſtiones poſthac producturus eſt Sathanas, nullō alio conſilio quam quod his nugis, Sicculis querris vanioribus, vnicam illam adeoq; ſimplicem & neceſſariam CHRISTI cognitionem ſe remorari & interturbare poſſe ſperat. Cuius inſtitutum & veſaniam ſequentur leues & parum perſpecti ſpiritus, multarum ſectarum authores, quos iam nunc in multis locis audimus pedetentim ſuboriri. Quamobrem ſapientia opus eſt, qua malo ſenſim ſubnaſcenti occurramus in tempore, obtinete in bonis ſimplicitatem, in malis vero prudentiam. Quicquid ex vſu ædificandæ Eccleſiæ non eſt, relinquite, hac via futurum eſt, vt inanes quæſtiones vos obruere & impugnare deſinant. Quid enim eſt quod in animum induxiſtis, Sophiſtas pertinaces & contentioſos obſtructo ore poſſe vincere? CHRISTVS ipſe cum omnibus Apoſtolis ſuis Iudæis perſuadere non potuit. Facite iuxta Pauli conſilium, Hominem Hæreticum opinioni ſuæ pertinaciter inhærentem, poſt vnam aut alteram admonitionem deuitate, ſcien-

Pertinacia Sophiſtarū.

tes, quia peruerſus eſt. Docete ſimpliciter, fidei veſtræ reddita ratione benignè. Sequi vos recuſantem ſuo morbo relinquite. Qui ſeducit, ſeducat. Qui ſordet, ſordeſcat adhuc, Qui ſanctificat, ſanctificet, vos eſtis extra noxam, DEVS iudicabit hæc. Nemo poteſt dare inuito & munus reſpuenti.

Admonitio provitanda ſeditione.

Obſecro quoq; vos fratres, curare velitis, ne qua vſpiam loci apud vos veſtra culpa ſuboriatur ſeditio, occaſione huic concitandæ ſubminiſtrata. Sunt enim non parum multi leues & futiles homuntiones, putantes rem Euangelicam gladio & pugnis eſſe promouendam, benè actum eſſe exiſtimantes, ſi Sacerdotes & Monachos probris & conuitijs proſcindant atq; diſpolient. Illud vero ignorant

Pugna Chriſtianorum.

noſtram pugnam non eſſe aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Spiritus aërios. Satanas enim ſpiritus eſt ἀσωματικός τε καὶ ἀνδστος, quamobrem nec ferro nec pugnis lædi poteſt, Corda hominum per verbum veritatis illi prius auferēda ſunt, & hoc gladio violandus eſt, alioqui ὑπὸ παντὸς σιδήρου ἄτρωτος, cui repugnare poteſt nemo. Gladio verò Spiritus armati, ſoli adeo Behemoth inflictis vulneribus diuidunt & ſuperant.

Conflictus Lutheri cū Papatu.

Reputate animo, quo gladio ipſe Papatum & totum Religioſorum ſtatum ceciderim, antehac omnibus hominibus formidabilem, de quo canebatur, Quis pugnabit cum beſtia, potentiam habente etiam ſanctos oppugnandi & vincendi? Nondum tamen vllo digito illos attigi, & CHRISTVS

impium

impium Papatum, & totum illud deteſtabile regnum Behemoth, ſpiritu oris ſui manifeſta impietate occidit & euertit. Sunt quoq; nonnulli prædicatores, putantes ſe non poſſe verbi præcones agere, niſi aliquid præter CHRISTVM & ſupra noſtram doctrinam docuerint. Hi ſunt ambitioſi illi μονότροποι, qui noſtra ſimplicitate relicta, in propria incedunt ſapientia, vt omnium oculis in ſe ſolos coniectis dicant homines οὗτος δεινὸς ἐκεῖνος, ὁ ἐκεῖνος δημαγωγός. Tales Athenas ablegandos eſſe oportebat, vbi quotidie vana captant homines. Quærent enim ſuam ipſius, non CHRISTI gloriam, proinde & finis illorum erit in ignomina & dedecore. Cauete tales & manete cum Paulo, præter CHRISTVM & eum quidem crucifixum nihil ſcire volente.

Ambitioſi Prædicatores.

Timeo quoq; ne noſtra culpa multorum malorum cauſa ſit, dum multum & ſæpè prædicamus noſtros conatus, ſine Gratia DEI eſſe vanos & irritos, iuxtà nihil noſtris nos poſſe viribus: Nilominus tamen quiduis incipientes, nondum implorata diuina gratia, vt ipſe foret exordiendi & prouehendi negotij ſpiritus ſui ductu Autor & Perfector. Ita demum fit, vt in Ægyptum abducamur, proprio ſpiritu operari incipientes, non conſulto prius DEO.

Noſtra facultas.

Quamobrem chariſsimi, quemadmodū docemus ita quoq; faciamus, omnibus rebus DEO relictis & cōmendatis indeſinenter oremus, vt ipſe nos regat, auxilio & conſilio iuuet

iuuet in vtraq; fortuna rebus ſaluis & perditis, nec permittat nos noſtrę Rationi innixos aliquid incipere. Parum enim proſperè ſuccedit, quicquid inconſulto DEO ſtatuitur. Dominus vero noſter IHESVS CHRISTVS confirmet vos plena ſui cognitione, ad gloriam DEI Patris omnipotentis, qui benedictus ſit ſemper & in ſeculum ſeculi, Amen.

Iohannem Langum, Georgium Forchemium, Iohannem Culshamerum, Antonium Muſam, Egidium Mechlerum, Petrum Bambergum, & cæteros quoſq; meis verbis ſalutate diligenter. Salutant vos Philippus & Ionas, & omnes noſtri. Gratia DEI ſit vobiſcum, Amen. Vuitembergæ decima Iulij, Anno à Chriſto nato M. D. XXII.

SCRIPTVM LVTHERI AD BOHEMOS.

ILLVSTRIBVS ET PRVDENTIBVS Principibus, Dominis Magiſtratibus & omnibus Viris, Comitia Pragæ agentibus.

Grauiſsime Bohemos cohortatur ad conſtantiã in agnita veritate Euangelica, & ne vana ſpe pacis ab Euangelica puritate ad Papam Antichriſtum rurſus deficiant, dehortatur, ne reos ſe faciant innocentis ſanguinis Iohannis Huſs & Hieronymi. Quod autem ſectæ illis exprobrantur, reſpondet infinito plures ſectas eſſe inter Papiſtas. Et quomodo huic malo recte conſulatur, docet.

IHESVS.

IHESVS.

GRatia & pax à DEO Patre, & Domino noſtro IHESV CHRISTO, Amen. Illuſtres, generoſi, prudentes & optimi viri, quanquam ego vnus homuntio, indignior ſim, quam vt tantos viros adire, & alloqui audere debuerim: tamen ipſa cauſæ maieſtas cogit optimo iure, & dignitatis veſtræ, & indignitatis meæ nullam rationem interim habere, dum quod in animo eſt expoſuerim. Fama ad nos peruenit, moliri apud veſtros aliquot, vt denuo ad ſedem illam perditionis Romanæ Tyrannidis deficiatis, cauſantes alio remedio paci conſultum iri non poſſe. Ego ſanè etſi aliquando nomine Bohemico, ſatis offenſus fuerim, antequam ſcirem Papam Antichriſtum eſſe, & veſtrum nomen cum illis perditum crederem: Tamen interim dum CHRISTVS reſplendere facit Euangelium ſuum, credo ad Excellentiam veſtram perueniſſe, ſic me veſtram inobedientiam probaſſe aduerſus Papiſtas, vt odium nominis veſtri, nullus veſtrum tanto onere, quanto ego vnquam portarit. Quoties rogo Bohemus natus, quoties fugam molitus ad Bohemos, adhuc hodie criminor? certè veniſſem aliquando in Bohemiam, non fugæ gratia, ſed deſiderio & viſendi veſtri, & fidei veſtræ cupidine. Sed hanc gloriam nolim cædere aduerſarijs & aduerſus Euangelion, vt dicerent ſe viciſſe, me ſigna deſeruiſſe. Quanquam nunc per gratiam Dei nomen veſtrum apud Proceres Germaniæ optimos non malè audiat, & apud peſ-

De fectio ad Papam.

Calumniæ in Lutehrũ ob nomen Bohemicum.

L.ſpes de concordia Bohem.& Germanorum in Religione.

ſimos mitius audiat, quam mei ipſius nomen, vt mihi ſpes ſit breui tempore fore, vt & Bohemi & Germani per Euangelion in vnum ſenſum & nomen conueniant, modo interim pacientes miſericordiam Domini expectemus & ſi quid alterutris deſit inuicem toleremus. Nō poſſunt omnia ſubito aut vi mutari, ſenſim & per bonos Euangeliſtas tractemus populum in vnum CHRISTVM, donantes inuicem, & nihil ad vnguem quod aiunt exigentes. Sectæ ſunt inter vos, eſto, prohibet eas Apoſtolus, Scimus, ſed tantum abeſt, vt eas defectione ad Romanam ſedem tollere poſsitis, vt nuſquam pluribus ſectis diſcindi poſsit Bohemia, quam ſi ſub Papæ Tyrannide regatur. Nonne ſunt apud nos ſectæ? ſoli Mendicantes in ſeptem ſciſsi ſunt partes aut ordines, & hi rurſus Minoritæ in ſeptuplices Minoritas, & has ſectas etiam alit & fouet ſanctiſsimus ille, metuens ne quando vnum fiant. Eadem illi cura, vt Prophanos Principes teneat diſcordiſsimos, neq; enim regnum eius niſi diſſenſione populorum ſtare poteſt. Itaq; nulla comparatione ſectæ Bohemorum cum Papiſtis & eorum ſectis comparari poſſunt. Itaq; cauendum veſtris Excellentijs, ne de paruis ſectis quæ paulatim redintegrari poſſunt, ad eas ſectas quas Petrus perditionis vocat relabamini, quæ ſunt inſatiabiles, ex quibus vos iamdudum manus Domini eripuit, & nos quotidie erjpi laboramus, & fœliciter cepimus. Quare non eſt, vt dixi, ſectis alio conſultum, quam vt Paſtores purè euangeliſent, quia purum Euangelion ſolum facit vnum populum,

Sectæ apud Papiſtas.

Papæ cura de diſcordia Principum.

Remedium contra Sectas,

populum, & ſolus CHRISTVS eſt qui facit vnanimes habitare in domo Domini. Quod ſi omnino retineri populus non poſsit ab hac defectione, ſinite quæſo hoc impetrari, vt reſiſtatis, & ne vtraq; ſpeties Sacramenti vobis damnetur. Deinde ne ſanguinem innocentem Ioannis Huſs & Hieronymi veſtri damnetis cum ſuis dogmatibus. Nam hæc duo, ſedes illa blaſphemiarum, ebria ſancto ſanguine Meretrix, vehementer à vobis exiget, neq; ſuſcipiet, neq; ſuſcipere ſalua ſua Tyrannide vos poterit, niſi hæc abiuraueritis. At hæc abiurantes, ſciant me teſte coram DEO & hominibus, CHRISTVM Dominum abiurare, & filios ſeſe perditionis eſſe. Certè ego cum noſtris aſſeremus Ioannem Huſs, etiam (quod DEVS auertat) ſi tota Bohemia negarit noſter erit, quin occiditis eum ſi vos repudiaueritis, qui defendiſtis, Itaq; veſtram Excellentiam rogo, iam breuiter alio tempore latius ſcripturus, vt conſiſtatis in inobedientia Diaboli, in qua hactenus per multum ſanguinem ſtetiſtis, & ne noſtro reflorenti Euangelio tantam contumeliam inferatis. Nolite timere, ſi non omnia apud vos vt eſſe debeant fuerint. Si Galatæ eſtis, erit aliquis Paulus qui reuocet vos, & ſanet quod ægrum eſt, modo ne in totum deficiatis, & manus impiæ Tyrannidi detis. Oro autem Dominum IHESVM CHRISTVM, vt corda veſtra illuminare & regere dignetur in omnem plenitudinem ſcientiæ ſuæ, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Sanguis Ioan. Huſs, & Hieron.

Galatæ Bohemi.

Ignoſcant meæ temeritati Excellentiæ veſtræ in CHRISTO, Vuitembergæ 15. Iulij. Feria 3. diuiſionis Apoſtolorum Anno M. D. XXII.

V. Excellentiarum
Seruus in Chriſto
Martinus Lutherus.

D. IOANNI LANGO.

Forchemium ſubito extinctum dolet & conſolatur eius amicos, monetq; vt iudicium & vindictam Deo committant. Epiſtolam ſuam ad Erphordienſes ipſis redditam ſe credere, & vnam quoq; ad blaſphemos in iſto loco dediſſe ſcribit.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Forchemio & faueo & inuideo hunc receſſum, imo vobis condoleo. Sed CHRISTVS reddit illi ſua & vobis meliora, modo ſperetis. Impetraui à Magiſtro Vuolffgango vt à vobis electus parochiam eam, in nomen ſuum accipiat, donec melius ordinare poſsitis. Bonus vir eſt, promptus erit ſeruire, cedere, & ſeruare pro voluntate vocantis per nos DEI. Interim tu cum Culſamero cura, vt populi prematis impetum & illibatum ſeruetis Euangelij miniſterium. Si veneficijs interemtus eſt, nec accuſatore nec exploratore opus eſt, Ipſe CHRISTVS pro Habelo ſuo

Forchemii concionatoris Erphordienſis obitus.

ſuo loquetur, & ſuo tempore prodet Cain, iuſtius & oportunius quam vos poſsitis, Patiamur iſta. Cæterum credo Epiſtolam meam vobis redditam eſſe fideliter. Ad blaſphemos quoq; vnam miſi, qui apud me Legatum habuere. CHRISTVS faciet mirabilia ſua ſine nobis, tantum fidamus & feramus. Saluta omnes fratres in CHRISTO Vuitembergæ 16. Iulij, Anno M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

D. PHILIPPO MELANCHTHONI.

Se Annotationes Philippi Melanchthonis in Epiſtolam Pauli ad Romanos clam ipſo ædere nuntiat, & huius ſui facti rationes exponit.

IHESVS.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Iraſcere & noli peccare, loquere ſuper cubile tuum, & ſile, Ego ſum qui has tuas Annotationes ædo, & teipſum ad te mitto. Si tibi ipſi non places, rectè facis, ſatis eſt dum nobis placeas. Ex tua parte peccatum eſt, ſi quid hic peccatum eſt, cur non tu ipſe ædidiſti? Cur toties me fruſtra rogare, mandare & vrgere paſſus es vt æderes? Hæc pro Apologia mea aduerſus te, volo enim tuus fur eſſe & dici, nihil veritus tuas vel quærelas vel accuſationes futuras. Cæterum illis, quos tu forte ſuſpicaris naſum rugaturos, vel quibus tu metuis nõ eſſe ſatis factum, Annotationes Philip. Melanch. in Epiſt. Pauli ad Romanos.

ſic dixero, ædite meliora. Ego quod impij Thomiſtæ ſuo Thomæ mendaciter arrogant, ſcilicet, neminem ſcripſiſſe melius in ſanctum Paulum, tibi verè tribuo, nam illis Sathan ille perſuaſit, ſic de Thoma ſuo gloriari, quo impia eius dogmata & venena latius propagarent. Ego ſcio, quo ſpiritu & iudicio ſic de te pronuntio. Quid ad te, ſi meum hoc iudicium ſuſpenderint naſo viri illi famoſi & gygantes? meum eſt periculum. Quin amplius irritare volo naſutos iſtos, & dico, Hieronymi & Origenis commentarios eſſe meras nugas & ineptias, ſi tuis Annotationibus comparentur. Quid, inquies, attinet adeo prouocare etiam ſumma ingenia in mei inuidiam? Eſto ſis humilis, ſines tamen me in te ſuperbire. Quis prohibuit ſumma ingenia, ne ædant meliora, & mei iudicij coarguant temeritatem, vtinam eſſent qui meliora poſſent & efficerent. Deniq; & tibi minor adhuc furaturum me, & inuulgaturum ea etiam quæ in Geneſim, & Euangelion Matthei & Ioannis meditatus es, niſi tu ipſe anteuerteris. Sola Scriptura inquis, legenda eſt citra commentaria. Rectè de Hieronymo & Origene & Thoma, hisq; ſimilibus dicis. Commentaria enim ſcripſerunt, in quibus ſua potius, quam Paulina aut Chriſtiana tradiderunt, Tuas annotationes nemo commentarium appellet, ſed indicem duntaxat legendæ Scripturæ, & cognoſcendi Chriſti, id quod nullus hactenus præſtitit commentariorum, qui ſaltem extet. Nam quod tu cauſeris, nec tibi ipſi per omnia ſatisfactum tuis annotationibus, labor eſt

Gloriatio Thomiſtarum de Thoma.

Hieronymi & Origenis commentaria in Paulum.

Sola Scriptura legenda non commentaria.

ante

ante me,vt tibi credam,ſed ecce credo, non ſatis feceris tibi ipſi. Neq; hoc quæritur, nec petitur abs te, quin volumus Paulo ſuam quoq; gloriam ſaluam, ne quando iactet aliquis, Philippum eſſe Paulo ſuperiorem vel æqualem, ſufficit tibi proximum Paulo eſſe. Nulli inuidemus, ſi propior fieri poterit, ſcimus te nihil eſſe, rurſus ſcimus CHRISTVM omnia in omnibus eſſe, qui ſi per Aſinam ſuam loquatur, placebit, cur diſpliceat ſi per hominem loquatur? Nonne homo es? Nonne CHRISTI es? Nonne ſenſus eius in te eſt? Quod ſi tu ipſe politiori oratione & copioſiore eruditione libellum hunc ornare & augere voles,gratum erit, Interim etiam inuito te gratum erit, nos potiri rebus & ſenſibus Pauli,tuo miniſterio productis. Veniam non peto, ſi te hoc facto offendo, ſed tu deſine offendi, quo nos potius offendis, & venia opus habebis, Dominus autem augeat & ſeruet te in æternum, Vuitembergæ 29. Iulij, Anno M.D.XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Ludouicum a Secretis Ducis Poloniæ humaniter a ſe hoſpitio exceptum. Euangeliſtas pluribus in locis deſiderari, Gabrielem Aldenburgio amotum ſibi non probari,non temere ſe libello ſuo acrius inuehi in Epiſcopos Laruales, neq; mitius Regem Angliæ ſe tractaturum. Quomodo procedat opus æditionis noui Teſtamenti,nuntiat.

IHESVS.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Ludouicus Ducis Poloniæ à ſecretis, iucundiſsimus hoſpes, fuit exceptus pro noſtra facultate. Gaudeo verò CHRISTVM adhuc regnare tam multis locis, vbiq; ſititur Euangelium, vndiq; petuntur à nobis Euangeliſtæ. Prorſus malè factum eſt, quod Gabriel Aldenburgio amotus eſt, ſcripſit enim ſecundo Venceslaus hominem ſic prædicans, vt fere non crederem niſi tantus vir ſcriberet, neq; enim ego ipſe talem noui Gabrielem eſſe, qualem ille, illi & iſti iactant. Tu ergo vide quod in te fuerit, vt miniſterio eius populus ille non fraudetur. Nam Vuenceslaum illic durare non præſumo.

Inuectiuæ Lutheri in Epiſcopos & Regem Angliæ.

Libellum meum Epiſcopos laruales inuadentem ex propoſito volui tam acrem eſſe, ſed & in Regem Angliẹ nihil ero blandior. Video fruſtra me humiliari, cædere, obſecrare & omnia pacifica tentare, ideo cum furioſis & cornua quotidie magis erigentibus, durior ero, & mea in ipſos exercebo cornua, irritaturus Sathanam, donec effuſis viribus & conatibus corruat in ſeipſo. Tu ergo noli timere, nec ſperes me illis parciturum, motus ac res nouas ſi paſsi fuerint, nobis authoribus non patientur, ſed ſua Tyrannide ſic vocantibus Fatis vrgente. Exemplar noui Teſtamenti hactenus ad te miſi, partim vſq; ad Lucæ Euangelion, & Epiſtolam ad Corinthios, nunc mitto reliquum, quod ſi ad te non peruenerint, require vbi requirendum, aut reſcribe ſi amiſſa ſunt, ne per-

Verſio noui Teſtamenti.

ne pergam & ſequentes Terniones perdere. Inſuper aliud exemplar mitto integrum, quantum eſt excuſum, id quod Principis nomine ab illis accepi, ita enim aſſeruant chartas religioſè, tardè procedit opus. Nam dimidium ſolum nunc habes, reſtant & alij adhuc 18. Terniones. Ante Michaelis nō abſoluetur, quanquam ſingulis diebus decies millia chartarum ſub tribus prælis excudant ingenti labore & ſtudio. Vale & ora pro me, Vuitembergæ Sabbatho poſt Iacobi, Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

PRAEFATIO D. M. LVTHERI IN Farraginem rerum Theologicarum Vueſſeli Groningenſis viri doctiſsimi Anno M. D. XXII.

Chriſtiano Lectori Salutem.

HElias Thesbites Propheta olim (cum ſermo Domini eſſet pretioſus nec abundaret viſio, otioſis vniuerſis penè Prophetis ab impijſsima Ieſabele) arbitrabatur ſeſe relictum eſſe ſolum. Ob id vitæ pertæſus, optabat animā ſuam tolli, quod vnus impar ſibi videretur ferendo oneri intolerabili impijſsimi populi, & Principum eius, neſcius adhuc ſeptem millia Domino relicta, & Abdiam cum centum Prophetis latitantibus ſeruatum. Quæ parabola ſi paruis liceat

Helias Thesbites.

Collatio temporum Lutheri & Heliæ.

componere magna, huius mei ſeculi eſſe videtur. Ego enim neſcio qua DEI prouidentia in publicum raptus, cum Monſtris iſtis indulgentiarum & Pontificiarum legum, & falſò nominatæ Theologiæ, ſic pugnaui, vt me ſolum eſſe putarem. Etſi ſatis mihi ſemper fuerit animi, ita vt paſsim mordacior & immodeſtior accuſer, præ nimia qua ardebam fiducia: ſemper tamen id optaui, quo tollerer & ego de medio meorum Baalitarum, & ciuiliter mortuus in angulo mihi viuerem, prorſus deſperans me poſſe quicquam promouere apud æneas iſtas frontes & ceruices ferreas impietatis. Sed ecce & mihi dicitur, eſſe Domino reliquias ſuas ſaluas, etiam in hoc tempore, & Prophetas in abſcondito ſeruatos, nec hoc ſolum dicitur, ſed & cum gaudio oſtenditur. Prodijt enim Vueſſelus (quem Baſilium dicunt) Phriſius Groningenſis, vir admirabilis ingenij, rari & magni ſpiritus, quem & ipſum apparet eſſe verè Theodidactum, quales Prophetauit fore Chriſtianos Eſaias, neq; enim ex hominibus accepiſſe iudicari poteſt, ſicut nec ego. Hic ſi mihi antea fuiſſet lectus, poterat hoſtibus meis videri Lutherus, omnia ex Vueſſelo hauſiſſe, adeò ſpiritus vtriuſq; cõſpirat in vnum. Mihi verò & gaudium & robur augeſcit, iamq; nihil dubito me recta docuiſſe, quando tam conſtanti ſenſu, peneq; eiſdem verbis, tamen diuerſo tempore, alienis cælo & terra, alioq; caſu, ſic ille mihi per omnia conſentit. Miror autem quæ infœlicitas obſtiterit, quo minus in publico Chriſtianiſſimus hic Autor verſetur, niſi in cauſſa fuerit, quod ſine bello & ſanguine

Veſſeli & Lutheri conſenſus in doctrina Religionis.

& ſanguine vixerit, qua vna re mihi diſsimilis eſt. Aut metus Iudæorum noſtrorum eum oppreſſerit, qui ſuis impijs inquiſitionibus in hoc nati videntur, vt optimos quosq; libros faciant hæreticos, qui ſuos Ariſtoteles & pluſquam hæreticos nobis ſtatuant Chriſtianos, quorum finis DEO vindice iam deſinit in confuſionem. Legat itaq; pius lector, legatq; cum iudicio, quo maximè hic præſtat, quod & egregiè format, & quos in me offendit nimia aſperitas, in alijs nimia dictionis elegantia, hic non habent quod quærantur. Stylus eſt triuialis, ac pro ſeculo ſuo res ipſa tractatur modeſte & fideliter. Et ſi in ſtercoribus Ennij legit aurum Vergilius, poterit & ex Vueſſelo noſtro legere, quod opibus eloquentiæ ſuæ addet Theologus. Dominus IHESVS addat ad hunc multos alios Baſilios. Vale Chriſtiane frater, Vuitembergę 3. Calend. Auguſti.

Diſceſsit Vueſſelus Anno 1489. &c. die S. Franciſci, ſepultus Groningæ in Monaſterio quod dicunt Spiritualium Virginum.

VATICINIVM M. VVESSELI.

Magiſter Ioannes Oſtendorpius Canonicus Templi diui Lebuini Dauatriēſis, vir multo ſtudio, longaq; experientia doctiſsimus, Adoloſcēs admodū Vueſſelū Phriſiū (qui lux mūdi vulgò dicebatur) ſenē adijt, & inter cętera ab eo audiuit, quaſi iam quod futurū erat præuidente: Studioſe adoleſcens, ad illū viues diem, quo doctrina recentiorū & contentioſorum

Prophetia Vueſſeli de Lutheri Theologia.

iſtorum Theologorum, Thomæ, Bonauenturę, & aliorum eiuſdem farinæ, ab omnibus verè Chriſtianis Theologis explodetur. Id à iam caneſcente Oſtendorpio in Templo diui Lebuini audiuit Anno M.D.XX. decimo Calend. Martias Nouiomagus.

D. NICOLAO HAVSMANNO,

Scripſerat Hauſmannus expectari a ſuis aduentum Suffraganei, vt adminiſtret ibi ſuperſtitioſum illud Sacramentum Confirmationis. Hunc vult Lutherus ab Hauſmanno examinari, vt iſtud Idolum aut Scriptura probet, aut ſi id non poſsit, ipſe populum de iſta impoſtura recte ac fideliter moneat.

IHESVS.

GRatia & pax à DEO. Opto mi Nicolae, ſi fieri poſſet, vt venturum Epiſcopale Idolum, vos potius de fide examinaretis, cum ſint bis pueri in fide & ſcientia CHRISTI infelices illi homines. Nam hoc ludibrium & mendacium Sacramenti Confirmationis, vellem in totum populo diſuaderi: Scriptum eſt enim fecerunt populum meum fidere mendacijs. Dicant quæſo vbi ſint illæ promiſsiones gratiæ & caracteris in Scripturis proditæ, quas Sacrilegus Epiſcopus hac ſcelerata ſchedula iactat? Si non ſunt proditæ, quid eſt vt populum ſinamus mendacibus promiſsionibus fictisq; caracteribus illudi? Tuum certè erit Epiſcopum venturum

Confirmationis Sacramentum abrogandũ

turum ſuper his rebus conuenire, & ei in faciem reſiſtere, pro populo CHRISTI, ſicut Paulus reſtitit Petro, & poſtulare vt Scripturis probet quæ tentat. Si hoc non valet aut non poterit, tamen populum monebis, ne fidat in Confirmationis iſtius ludicra. Ego mox tua viſa ſchedula, aliam hanc excudi iuſſi, contra iſtos gradus per ſcelerata monſtra repertos. Vale & ſaluta omnes noſtros in Domino 3. Auguſti, Anno M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Quendam fratrem Monaſterio egreſſum Hauſmanno commendat.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Hunc fratrem egreſſum de Babylone ſua, & optantem alio vitæ genere ſibi conſuleret, tibi commendo mi Nicolae optime. Sic enim ex me poſtulauit & rogauit, quod homini non potui negare, qui & te noſſe ſeſe dicit. Itaq; fac ſi potes, vt aliquod opificium apud vos diſcat. Nam apud nos abundant tales, & quotidie plures aduentant, ſpero lapſurum paulatim hoc Abominationis regnum iſtis conſilijs, ſi nos cooperati fuerimus. Saluta Conſules & Sacerdotes tuos & omnes noſtros, ac vale in Domino Vuitembergæ 6. Auguſti Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

EPISTO. D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Neceſſario ſe acerbius contra Regem Angliæ ſcripſiſſe dicit, Intercedit pro homine Bohemo captiuo, vt vincula mitigentur. Hirsfeldio gratias agit pro miſſo libello, nouum Numiſma a Luca ſe accepiſſe dono Principis, Nouum Teſtamentum ad diem Matthei abſolutum iri.

IHESVS.

GRatia & pax. Sciebam multos offenſurum quicquid in Regem Angliæ ſcriberem, inſulſum & virulentum Thomiſtam, ſed ita placuit mihi atq; adeo multis cauſis neceſſarium fuit, quod facio neſcitur modo, ſcietur poſtea. Vnum modo agam, hoc eſt, quod ſcire cupio, imo rogo vt tu facias, ſi quo modo apud Principem impetrari poſsit miſello iſto homini Bohemo, apud nos iam 16. Hebdomades in tetro & ſqualido carcere captiuo, vt extractus in ſuperiori teſtudine vinctus ferro & cathenis, vt poteſt, fortiſsimè & tutiſsimè ſeruetur, quo in aere & luce modica agere liceret. Miſeret me hominis valde, & illi cauſam trahunt, vt indigniſſimũ ſit pro tam leui culpa, tam atrociter cruciari, Fac ergo ſi quid potes & reſponde, Queſtores abſq; Principis iuſſu nihil audent nec volunt. Cæterũ Hirsfeldio gratias ago pro libello miſſo, qui riſum multis mouit noſtratiũ. Sed Regem primum, qui cordis rubri inſigne geſtat, deeſſe deprehenderunt. Hoc ego in Regem ſtultum illum ſtultè confidentem interpretor, qui audacter me impetijt, & ecce non compar

eſt, &

eſt,& redactus eſt in nihilum inflatura & eleuatione cordis ſui,iuxta illud, Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.Iam non eſt opus vt noui numiſmatis mittas aliquid, Lucas vnum ad me attulit dono Principis, Vale in Domino.Nouum Teſtamentum abſoluetur ad diem Matthei.Datæ die 4.Septembris Anno M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Renuntiat quædam de Storchio Principe Nouorum Prophetarum.Et val de liberali Stipendio Comitem Vuertheimenſem a ſe petere Euangeliſtam, Gabrielem Dibomagere, Philippo filiam Annam natam,Pomeranum aliam ambire ſcribit, Sermonem ſuum quem mittit cuidam Bibliopolæ reddi iubet.

IHESVS.

FVit apud nos Princeps Prophetarum Claus Storck ince dens more & habitu militum iſtorũ quos **Landsknecht** dicimus,adiuncto alio in longa tunica, & D. Gerardo Colo nienſium.Et homo per omnia fermè diſſentit Marco & Thomæ,nihilq; tractauit, niſi de Baptiſmo paruulorum. Videturq; ſpiritu leuitatis ferri, qui nec ipſe magnifaciat,quæ ſentit.Sic ludit Satan in hominibus.

Comes Georgius de Vuerdtheym ex me petit Euangeliſtam 100.nummis aureis ac ſua menſa prouidendũ. Optimum exemplum.Gabriel noua ciuitate recucullatus, nunc iterum ecucullatus Diboni agit. Philippo nata eſt Hanna elegans filia,Iohannis Pomerani nuptiæ reciſæ ſunt, iam ad aliam ſpectat.

Iſtum

Iſtum Sermonem curabis illi reddere viro, quem nuper mihi commendaſti, Bibliopolæ ſcilicet qui mihi Galli Apologiam à te attulit, nam promiſi ei tuis precibus hoc donaturum. Vale.

GEORGIO SPALATINO.

Libellum mittit tranſmittendum ad ſuum Hoſpitem in regno volucrum, optat Principem de ſe nihil eſſe ſolicitum, vt ſolus negotium habeat cum ſuis aduerſariis, fretus auxilio Dei, cuius cauſam ſe agere certus eſt.

IHESVS.

GRatia & pax. Hoc exemplar rogo mittere velis ad Ioannem illum in regno volucrum, meum Hoſpitem, quem noſti, donec plura habuero. Nam hac vice offenſus ſum Lottherano foro, necdum reconciliatus aut placatus. Cæterum quæ noſter Vuenceslaus hic ſcribit vides. Valdè vellem Principem noſtrum ſua curare, & me ſinere cum Satana Squamiſq; ſuis agere, ſicut & antea ſcripſi, Cœlum non ruet. Si id non credit, ego tamē credo & certus ſum. Quanquam quid verbis laboro? quis non videt præſente opere DEI hactenus omnium minas verſas in ludibrium? Qui fecit ſic, faciet ſic in finem. Nullius niſi meo periculo iſta res geritur, & geretur. Vale & ora pro me. Saluta noſtros, hac hora proficiſcor ad Leyſnick, ſępius iſthuc vocatus & rogatus, feria 5. poſt Mauricij. Anno M. D. XXII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.
Auilco Theologo in Chriſto.

Explicat locum Scripturæ quem propoſuerat de Regno & Iuſtitia Dei. Et pauperem quendam virum breuibus commendat, ac vt curet ex Aula nuptas Pomerani ferina aliqua ornari, eiusq́; Stipendium augeri, rogat.

IHESVS.

GRatia & pax. Literas tuas inueni, domum reuerſus, mi Spalatine, ſed Canicula in menſa momorderat eas, vt locum illum de hæreditate Domini non potuerim legere. Alter autem locus de Regno & Iuſticia DEI ſic habet, Regnum DEI eſt Eccleſia CHRISTI, quæ verbo DEI regitur Roma. 14. Regnum DEI Pax. Iuſticia & gaudium in Spiritu ſancto. Lucæ 17. Regnum DEI intra vos eſt. Iuſticia D.EI eſt fides, ſicut noſti ex Rom. 11. Græcè enim clarè legitur βασιλεία θεȣ̃ καὶ δικαιοσύνη αὐτοῦ, DEI. Igitur primum quæritur regnum DEI, &c. Ante omnia curatur docendo, audiendo, meditando Euangelio, vt multum lateq́; propagetur fides & cognitio DEI, tum temporalia adijciuntur, quia mercenarius dignus eſt mercede ſua. Regum Dei

Cæterum hunc virum tibi commendo, vt ſi quid potes eum audias & iuues, videtur enim mihi pauper & inops. Nuptiæ D. Pomerani.

Iohannes Pomeranus F. 2. poſt Dionyſij nuptias habebit. Petimus ergo te diligenter, & tu diligenter intercedas, quo ferina aliqua honoretur, tum propter ipſum, qui

per ſeſe dignus eſt, tum propter nos eius Hoſpites, qui an digni ſimus tuum eſto iudicium. Age ergo vt intelligamus valere nos aliquid in aula petendo in ſpem futurā aliorum. Nam de lectionibus ſtatim aliàs plura. Scis enim tu ipſe, quod alienus & pauper ſit, ideo auctiore dono honorandus, qui in futurum copioſè ſit illud promeriturus. Vale Vuitembergæ Sabbatho poſt Michaelis, Anno M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM SPALATINVM.

Commendat quendam Spalatino qui ob confeſsionem Euangelii periclitabatur, agit etiam gratias pro aureo Nummo.

IHESVS.

GRatia & pax. Non potui nec volui huic viro negare literas ad te cōmendaticias, mi Spalatine, vir bonus eſt & Euangelij gratia periclitatur, itaq; & audies eum, & dignum iudicabis cui adſis, ſi potes, potes autem facile, Vale in Domino. Occupatus & feſtinus, tuis literis de Pſalmo 43. aliàs ſatisfaciā, vel Ioannis Pomerani gloſam mittam, nam de hæreditate Domini rectè ſentis. Aureum nummū, accepi gratus & gratias ago pro ipſo, tum pro ferina miſſa. Secretum erit, ſcimus & antea hanc ſilendi cauſam, Tu miſeris nō Princeps. Vale Vuitembergæ feria 2. poſt Dionyſij M. D. XXII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Recenſet quid Vinariæ & Erphurdiæ pro concione docuerit, & explicationem Loci Hoſeæ 2. ſe publicaturum ſub nomine Principis Ioannis pollicetur. Agit etiam de verſione veteris Teſtamenti.

IHESVS.

GRatia & pax. De Sermonibus Vinariæ & Erphurdiæ habitis nihil habeo neq; opus eſt, omnia ante noſti & habes, cum nihil quàm fidem & charitatē vbiq; docuerim. Niſi Vinariæ ſemel de Regno DEI & poteſtate ſeculari dixi, quod rogatus ſum ædere, alioqui iam diu ædendi cupidus & ſtudioſus eiuſdem, exibit autem ſub nomine Principis Ioannis ſenioris ſtatim. Locus Hoſeæ. 2. Sponſabo te mihi &c. nihil aliud vult, quam fore, vt non operibus, ſed fide miſerentis, miſerantis, ignoſcentis, iuſtificantis DEI, Sponſæ fieremus ſub CHRITSI regno per Euangelion. De Sengmanno & Pomerano faciemus quæ fieri oportet. In vertendo veteri Teſtamento ſum modo in Leuitico, incredibile eſt enim, quam me hactenus literæ, negotia, ſocietates & multa alia impediuerint. Sed iam ſtatui domi me claudere & feſtinare vt ad Ianuariū Moſes ſub prælum mittatur. Nam hunc ſeorſim ædemus, deinde Hiſtorias, Vltimo Prophetas. Sic enim partiri & paulatim emittere cogit ratio magnitudinis & precij librorum. Vale in Domino & ora pro me, Vuitembergæ M. D. XXII. feria 2. poſt Omnium Sanctorum.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D.M. LVTHERI,
IOANNI LANGO.

IHESVS.

SAlutem. Vnſingen inſanire lubens audio, vt nota fiat eorum inſipientia, iuxta Paulum. Libellus meus aduerſus Heinricum Angliæ offendit plurimos, id quod volui. Nam deinceps modeſtia poſita, qua fruſtra ſum hactenus vſus, Increpationibus vtar in deploratam duritiem eorum. Præpoſitus ad vos venit Ionas noſter, Tu vide vt tutus & conſolatus apud vos ſit, nihil hic noui habemus, bene vale, Raptim Anno M.D.XXII.

T. Martinus Lutherus.

HENNINGO TEPPEN GOSLARienſi Sacerdoti.

Hortatur fontes conſolationum in tribulationibus ex ſacra Scriptura petendos eſſe, & pollicetur amico illi ſuas Preces & interceſsionem apud Deum, vt ex præſentibus calamitatibus liberetur.

IHESVS.

GRatia & pax. Et tu fortior es per gratiam DEI mi Henninge, quam vt mea egeas conſolatione, quantum ex tuis literis intelligo eruditionem tuam in ſacris literis: Et ego occupatior ſum, quam vt longis & multis tecum agere poſſim.

poſsim. Habes Apoſtolum tibi monſtrantem Hortum ſeu paradiſum illum conſolationis plenum, vbi dicit, Quæcunq; præſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationē Scripturarum ſpem habeamus. Hic ſcripturis ſanctis tribuit conſolandi officium & quis audeat aliunde petere aut alibi quærere? Porrò quod optas meam orationem libens facio quantum poſſum, ſum autem ipſe peccator, varijs egens, & aliorum orationibus magis iuuandus quam vlli alij. Confortet ergo te Dominus IHESVS, & perficiat, aut ſi ita placet tete liberet ab hoc malo, ſic tamen vt non inducat in priorem tentationem, quo ſanctificetur nomen eius benedictum in ſecula Amen. Vale in CHRISTO, & ora pro me quoq;. Vuitembergæ die 21. Nouemb. Anno M. D. XXII.

Hortus conſolationum ſacra Scriptura.

Tuus Martinus Lutherus.

M. VVOLFGANGO STEIN A CONcionibus Ducum Saxoniæ.

Reſpondet ad Minoritarum ineptias in diſputatione Vinarienſi ab ipſis propoſitas.

GRatia & pax. Nihil neq; ſtultius neq; inſanius in tota vita vidi, quā has Minoriticiſsimas ineptias, ita vt nihil noſtro opus habeas auxilio ad eas confutandas, tamen ne nihil tibi reſpondeam, volo verba & tempus perdere.

1\. Ad vnum tuum articulum, ſcilicet: Nihil eſſe addendum verbis DEI, ideo Miſſam non eſſe Sacrificium dicendam abſq; verbo DEI, illi tres opponunt, qui tamen non niſi vnus ſunt, ſcilicet Eccleſiam ſic ſentire, Ergo ſic ſentiendum, tamen videamus per ordinem.

Miſſam nō eſſe Sacrificium.

Primò, quando dicunt, te aliquid addere verbis DEI, dum dicis, Miſſam non eſſe ſacrificium, cum Scriptura non dicat non eſſe ſacrificium, non vident ſtultiſsimi homines, quod exigunt Negatiuam probari, cum etiam in rebus mundi Iuriſtæ dicant, Negatiua non probatur. Sufficit ergò Chriſtiano ad confutandum errorem quemlibet dicere, Scriptura non habet. Qui verò affirmatiuam habet, tenetur probare: Qui aſſerit demonſtret, aut ipſa negatione contraria victus eſt. Tu autem negas & illi affirmant, Miſſam eſſe ſacrificium, ideo non tu, ſed illi debent probare Scripturis ſuam ſententiam. Alioqui ſi hoc non ſeruaretur, vide quæ monſtra ſequerentur, ſcilicet, Hieroboam potuiſſet dicere, ſanctis Prophetis negantibus ſuos vitulos, vos non poteſtis oſtendere, vitulos iſtos non eſſe in Scripturis, Ergo non ſunt damnandi. Sic Achab, ſic Achas, & omnes potuiſſent dicere, cum nihil eorum quæ faciebant, eſſet nominatum in Scripturis, & per hoc ſolum damnabantur, quod non eſſent in Scripturis. Sic ſtulti iſti fratres gloriantur non eſſe in Scripturis, Miſſam non eſſe Sacrificium, cum hæc propria confeſsio ſit eorum confuſio & con-

Negatiua non probetur.

& conuictio, quod aſſerunt tale quod nec affirmatiue, nec negatiue in Scripturis eſt, & ita verè addunt verbis DEI. Qui vero negat nihil addit, ſed negantem Scripturam adducit tantum. Hoc ſolo probatur abundè Negatiua, quia Scriptura negat dicens, Nihil addas. Item, ſi Negatiua probari deberet ad Ieremiam. 7. cum Dominus per eum dixit, Non præcepi, non cogitaui, non aſcendit ſuper cor, vbi ſolum negando damnauit & dicit, additum eſſe vltra ſua præcepta: Potuiſſent Iudei dicere. Sed non probas, quod non ſit præceptum, quia nihil de noſtro facto dicitur. Quare non eſt damnandum, cum impios ideo damnet, quod nihil de eorum facto probari poſſet. Ita & in iſtos ſtultos ſuis verbis arguas, quod ideo damnandi ſunt, quod ſua nec negatiuè, ne affirmatiuè in Sacris habentur. Wenn weder nein noch ja da iſt / ſo iſt nichts da / ſo iſt auch nichts dauon zuhalten. Dieweil ſie nu das nein bekennen / ſo ſollen ſie das ja beweiſen / wollen ſie etwas da haben. Sic poſſet dici iuxta eorum ſtultitiam ſecundum Hieronymum dicentem Matthei 23. Hoc de Scripturis authoritatem non habet, ideo ea facilitate contemnitur, qua probatur. Quia ſufficit, quod non habeat authoritatem Scripturarum in contrarium, ergo eſt aſſerendum. Quid obſecro tunc non poteſt aſſeri, quando hoc ſatis eſt dicere in fidei articulis? Non eſt in Scripturis oppoſitum exemplum particulariter, cum Dominus velit omnia certo ſuo verbo

verbo firmari nobis, & ſine verbo ſuo nihil. Ad mores politicos benè admittitur iſta ratio, ſed non ad articulos fidei. Sic benè fertur Cæſaris noſtri & Principum potentia, etiam ſi Scriptura de ipſo & nobis nihil dicat. Non ſic in articulis fidei, vbi affirmatiua probanda eſt, vt neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram declinetur. Summa, ſic omnes fratres fruſtra docuiſſent, quando omnia per Scripturas noluiſſent probari. Sicut Auguſtinus dicit ad Hieronymum Epiſt. 8. Solis eis libris, qui Canonici appellantur hunc honorem tribuo, vt nullum Scriptorem eorum erraſſe firmiſsimè credam. Cæteros verò non ita lego, quantalibet doctrina vel ſanctitate præpolleant, vt ideo verum eſſe credam, quia ſic illi ſenſerunt, ſed ſi mihi per Scripturas, aut probabili ratione perſuaderi potuerunt, &c. Imo dicerent Minoritæ.

Credes ideo, quia non probant tibi per Scripturas aut rationes, ſufficit, quod non habent neq; pro neq? contra. Quid putas tunc Auguſtinum reſponſurum? Summa vrge eos per hoc, Negatiua non probatur, Affirmatiua debet probari, & poſtula Scripturas quas nondum adduxerunt, aut eos damna, ſicut cepiſti per illud, Nihil eſt aſſerendum, &c.

2. Eccleſiam eſſe audiendam. Ad ſecundum quod Eccleſia ſit audienda, de hoc non eſt quæſtio. Sed an illa ſit Eccleſia, quàm illi vocant Epiſcopos & patres, Hoc nega & exige probationem.

Quæ ſit vera Eccleſia. Eccleſia eſt ſolum illa, quæ verbum DEI habet & docet, & nihil addit. Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, Alienum

Alienum autem non audiunt,ſed fugiunt ab eo. Hæc Eccleſia eſt audiendam ſola. 1. Corinth.14. Si ſedenti reuelatum fuerit,&c. Illi autem quos Minoritæ allegant, aut fuerunt impij, ſicut adhuc ſunt, aut ſi ſanctos allegant, debent primum probare ſanctos non erraſſe in tali puncto,cum alias ſępè errarint.Summa cum Auguſtino ſupra dicto,Nulli ſunt audiendi,niſi Canonicis libris ſua probent,quantumlibet ſancti aut eruditi ſint. Quod etiā Paulus dicit: Nemo glorietur in hominibus.Nam ſi ſatis eſt illorum Eccleſiam ſic ſenſiſſe, hactenus & docuiſſe, tunc etiam ſcortandum, & rapiendum, & impiè agendum eſt. Quia maior pars iſtius eorum Eccleſiæ fuit impia & peccatrix peſsima ſemper. Ideò ſine verbis DEI, nec Eccleſia eſt,nec Eccleſiæ creditur.

Tertium per ſe ruit quod dicunt, tete addere verbis DEI, quia negas Eccleſiam illorum, ſtulta ſcilicet hæc, & hominum neſcientium quid dicant ipſi:Cum nō ſit hoc addere, ſi quis aliquid aſſertum ab illa Eccleſia neget, ſed potius diminuere.Igitur donec probent ſuam Eccleſiam, Eccleſiam eſſe,&·ſuæ Eccleſiæ verbum, DEI verbum eſſe,nihil faciunt,affirmatiuam non affirmant,& ſtat ſua negatiua.

3. Papæ Eccleſiam nō eſſe Eccleſiam.

Quod autem allegant, Sacrificium hoc eſſe pro memoria CHRISTI inſtitutum, & ruituram memoriam paſſionis eius ſi Miſſæ ceſſent, & alia. Scimus Miſſam eſſe memoriam paſsionis, ſed quæ per verbum Euangelij ſeruetur apud homines. Quid hoc ad Sacrificium probandum? ipſi potius memoriam paſsionis extinxerunt, dum Sacrificium ex ea fecerunt,& Euangeliū tacuerunt.

Quod verò triumphant illo loco Pſalm. III. Tu es Sacerdos in æternum, & Gene. 13. Erat Sacerdos DEI altiſsimi, & vinum ac panem obtulit, & in Malachia, in omni loco offertur, oblatio munda quod hic Myſſa ſit ſignificata Aſiniſsimorum Minoritarum eſt. Prima Epiſtola ad Hebreos

Pſal. III. Gene. 13. ſatis exponit illum Pſalmi locum, & Gene. 13. Quid Sacrificiũ noſtri Melchiſedech fuerit ſuũ proprium locũ habet per totam Epiſtolã, deinde figura nihil probat, etiamſi ille panem & vinum obtuliſſet. Nunc autẽ nec figura ibi eſt, nam in Hebero dicitur, & protulit panem & vinum, id eſt, **trug Brot vnd Wein auff** ad cibandum Abraham & Milites eius de cæde reuerſos, nihil de ſacrificio ibi vna ſyllaba memoratur.

Sacrificium corporis. Illa autem oblatio munda apud Malachiam eſt ſacrificium corporis noſtri, de quo Rom. 12. 1. Pet. 2. & ſacrificium laudis Pſalm. 50. & Hebr. 13. & aliàs. Nec poſſunt ipſi probare, quod Malachias de ſacrificio Miſſæ loquatur. Sicut nec Gene. 13. aut Pſalm. III. Sed ipſi ſomniant, & ſuo inuento Scripturas aptant. Sicut ergo tu pro tuo Sacrificio affers Scripturam Rom. 12. 1. Pet. 2. ſic vrge vt & ipſi ſimiliter clarã probationẽ de ſuo Miſſali Sacrificio afferant. Sed non poterunt, ſtat ergo tua Negatiua & corruit eorum affirmatiua. Ecce iſtis nihil fuit opus tibi, cum tu ipſe ea omnia poſsis dicere, nunc ergo redige in formam tentationum, & oppone Sacrilegis iſtis & amentibus hominibus.

Hac Hebdomada finiam Moſen transferendo, tamen tuo obſequio & Principis ſermonem digeram. Commenda

me Illuſt:

me Illuſt: Principibus, ac ora pro me. *Salutat te Philippus* mirè ridiculos iſtos Cucullatos cum ſua Negatiua probanda miratus. Vale Vuitembergæ M. D. XXII. feria quinta poſt Nicolai feſtinanter.

T. Martinus Lutherus.

AD VVENCESLAVM LINCVM.

Liberationem Fratris Henrici ex vinculis Antuerpianis ac deuaſtationem cuiuſdam Monaſterii in ea vrbe recenſet, narrat quoq; initia renaſcentis Euangelii in vrbe Bremenſi, Hamburgenſi & in Phriſia, ac explicat Phraſin iſtius dicti Scripturæ, pænitet me feciſſe, celebrat etiam dictum Marchionis Friderici ad Legatum Pontificum. Tandem caſum ac flagitium cuiuſdam Fratris lapſi deplorat.

IHESVS.

GRatia & pax. Mitto Canem promiſſum, vt ſuperetur ſceptrum exactoris mei, ſed opus eſt vt pectine quotidie vel altero die mundes eum. Literas Staupitij non intelligo, niſi quod ſpiritu inaniſsimas video, ac non vt ſolebat, ſcribit, Dominus reuocet eum. Quæ Antuerpiæ geſta ſunt, credo te noſſe, quomodo mulieres vi Henricum liberarint. Monaſterio expulſi fratres, alij aliјs locis captiui alij negato CHRISTO dimiſi, alij adhuc ſtant fortes, qui autem filij Ciuitatis ſunt, in domum Beghardorũ ſunt detruſi vendita omnia vaſa monaſterij, & Eccleſia cum monaſterio Staupitius.

clauſa & obſtructa, tandem demolienda. Sacramentum cum Pompa in Eccleſiā beatæ Virginis tranſlatū, tanquam è loco hæretico, ſuſceptum honorificè à Domina Margareta ciues aliquot & mulieres vexatæ & punitæ. Ipſe Henricus ad nos aſcenſurus Bremam peruenit, vbi moratus & rogatus à populo verbum docet, iubente Senatu, inuito Epiſcopo, miro deſyderio et voto populus afficitur, deniq; nuper ad nos proprium Bibliopolam aliqui inſtituerunt, qui ad eos ferat libros ex Vuitemberga. Ipſe Henricus à te poſtulauit literas obedientiales, ſed non poteramus attingere te tam breui. Ideo dedimus nos ei ſub tuo nomine, ſigillo Prioris noſtri, tu ſi voles poteris confirmare noſtrum factum. Hamburgenſes quoq; verbum DEI quærunt, expulſo Officiali cum ſuis, qui id prohibere tentarat. Et Friſia quoq; petit miniſtros verbi, ſic apud Gentes CHRISTVS quæritur, apud nos Iudæos condemnatur. Franciſcus Sickingen, Palatino bellum indixit, res peſsima futura eſt. Dux Georgius agit, ſicut dignum eſt ſua & amentia & ſtultitia cum ſuo Idolo Mersburgen.

Bremæ docetur Euangelium.

POENITET ME FECISSE, Philippus quoq; expoſuit vt ſit mutandi ſignificatio, pœnitet me, id eſt mutabo quæ feci antea. Quanquam nec illum ſenſum damno, quod de DEO loquitur Scriptura, quomodo ab impijs vel pijs affectibus de ipſo ſentitur, vt iraſci dicatur, cum nos iram ſentimus, pœnitere cum nos eius opera mutari ſentimus.

Quod de reſponſo Principum ad Legatum Pontificium ſcribimus, factum eſt à Magiſtro Pruſsiæ Marchione Friderico,

derico,hic enim dixerat, ſeſe Eccleſiam libenter adiuturum, ſed eum non eſſe modum Eccleſiæ iuuandæ, damnare manifeſtam veritatem & libros exurere. Diciturq; non malè de Euangelio ſentire. Vtinam tuus te deſerret Vicariatus glorioſus,ſed deſeret citò ſentiente & repugnãte etiam M. Span genbergio.

Iohan.P. hinc auffugit dèſignato inſigni flagitio in noſtrum omnium ignominiam, inuentus à lictoribus in Lupanari,potatus probè & laica veſte atq; etiam percuſſus aliqua parte, vt audio, ſed ego iſta reſciui tardè, poſt eius fugam. Ego quidem antea ei denunciaram, ſi quid denuò deſignaret poſt illud Zerbiſtenſe malum, ne ad meum conſpectum veniret,id ſeruauit. Sed ora pro miſerabili homine,quem noſti,quam miſer ſit poſt patrata ſua mala, ne deſperans,peiora attentet, nos ſedemus in turpitudine. Salutant te omnes noſtri & petunt vt aliquãdo nos viſites.

Vale in Domino & ora pro me. Moſen finiui transferendo, finita eſt & alia ædititio noui Teſtamenti, Iam Moſen aggredientur, mirum eſt quam te hic opus ſit in vernacula lingua. An Bibliopola veſter ſatisfecit ignoro, mihi ſanè nihil dedit, & iuſsi vt Lothero daret cui non poſſum certus fieri an dederit,ignorat enim & ipſe. Literas Mauſero datas ſcito, Vuitembergæ feria 6.ante Thomæ, M. D. XXII.

Tuus Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D.M. LVTHERI,
M. VVOLFGANGO STEIN AVLICO Theologo,& Ducali Eccleſiaſti Vinariæ.

Deteſtatur Aduerſariorum verbi blaſphemias & latratus, quod veritate victi tamen non deſinant maledicere.

GRatia & pax. Mihi non diſplicet,mi Vlpiane tua rapſodia,quanquam non ſit opus ædi eam,non tamen prohibemus, ſi ædere volueris. Nam quod hoc ſpectas, vt amici tui volunt, ſic eis reſpondere, vt non rideant, fruſtra ſpectas, Nihil loquatius vanitate, neq; enim tales ſunt homines iſti, qui tacere queant aut quieſcere, etiam manifeſtè victi, imo nec mortui tacebunt. Nunquid Phariſei victi quieuerunt? Nunquid Iudæi à Stephano deſiſtebant victi? Ita & hic facies, vt reddita ſemel ratione hac, deinceps ſinas eos latrare & blaſphemare, tu, contemptis Ranis, tuo pergas itinere. Nam nec ego meos aduerſarios eò poſsum redigere toties victos turpiſsimè vt deſinant? Dic ergo amicis tuis, vt talia non expectent ab his vaniſsimis hominibus, qui nihil niſi Sacci verborum, vel toti lingua ſunt. Vale & ora pro me, Finito Moſe iam reſpirans, ſermonem de vtraq; poteſtate in manus accipio,ſimul tamen effecturus tuum votum.

Aduerſariorum blaſphemiæ.

Vuitembergæ M.D.XXII. in vigilia S. Thomæ.

Tuus Martinus Lutherus.

NOBILI

NOBILI ET GENEROSO VIRO Domino Hartmanno à Cronberg Martinus Lutherus.

Gratulatur Cronbergio cognitionem Euangelicæ veritatis, eiuſdemq́; liberrimam Confeſsionem & propagationem, deſcribit autem in hac Epiſtola miſeram & adflictam ſortem Euangelii, quod vbiq; in mundo perſecutionem ac Sathanæ inſidias patiatur, & vberrimam conſolationem perponit adflictis, ſicuti econtra & perſecutoribus diras poenas comminatur.

GRatiam & pacem à DEO patre noſtro & Domino IHESV CHRISTO. Binas Generoſitatis tuæ literas, alteras quidem ad Cæſaream Maieſtatem, alteras ad ordines Mendicantium ſcriptas, auidiſsimè lectitaui, nec ſine ſingulari animi mei gaudio. Et gratias quidem ago DEO meo, pro fauore & munificentia, qua donatum te conſpicor in cognitione veritatis Euangelicæ, & in hac qua ardes charitate officioſa. Neq; enim difficulter deprehenduntur verba tua ex intimis cordis penetrabilibus, flagrãte amoris feruore eructata ebullire, eſſeq; indicio nequaquã tibi verbum DEI tantũ in canticum oris eſſe verſum (veluti nunc bona pars hominũ, quaſi ad Myrtũ canentes Euangelium, perinde vt vulgarẽ cantilenam frequenter verſant) vt aures demulceat, verũ ipſi cordi ſerio atq; inauulsè infixum te retinere mordicus: Adeo, vt etiam natura Verbi te conueſtitum eſſe non negem, cum ea te præditum audacia eſſe videam, vt qui non refugiat illud etiam liberæ confeſsionis ornare encomio, non ore ſolum.

Cronbergii binæ literæ.

Agnitio Euangelii.

Confeſsio liberæ Cronbergii

ſolum, verum longè magis calamo, vniuerſo mundo conſcio, tum præcipuè ſic ſublimibus ſpiritibus non ignaris. Quàm verò eximia ſit huiuſce muneris diuinitus dati magnitudo & præſtantia, nemo eſt qui ſatis æqua lance examinet aut rectè perpendat, niſi cui ſit tributus ſpiritus, qui nobis reuelet ea quæ nobis donata ſunt, doceatq; ſpiritualium rerum inter ſe collocationem conferre, ſicut Paulus inquit. 1. Corinth. 2. Quippe homini animali iſta cordi non ſunt.

Occaſio huius Epiſtolæ.

Atq; hanc mihi fuiſſe ſcribendi cauſam ad te planè tibi compertum ſit, quæ has à me extorſit literas, quibus palàm tibi facerem gaudium & gratulationem meam. Poſſum enim hoc liquidò nullius mendacij mihi conſcius gloriari, me non tam dolenter & iniquo ferre animo Pontificis Romani ac omnium penè hominum condemnationem, qua me meamq; doctrinam deuouerunt, & perſecutionis ſuſtinendæ moleſtiam, qua nobis indies faceſſunt improbi negotia, quàm me recreari conſolabiliter, lætitiaq; affici, vbi audiero, hominem quempiam amplexam veritatem fouere & efferre laudibus. Quanquam vberiorem hoc mihi præſtet conſolationē, vbi comperi à te tuiq; ſimilibus ſic amanter cognoſci, ſuſcipi, intrepideq; veritatem prędicari. Id quod haud dubiè pro animo meo leuando & addendo diuina mihi gratia facit, quo fides mea reddatur robuſtior, ne prorſus ærumnis & miſeria contabeſcens ſuccumbam deniq;. Præſertim cum videam Verbum eius non omnino temerè nullo

Lætitia Lutheri, ob incrementum Euangelii.

nullo fructu diſsipari, ſicut loquitur per Eſaiam capite 55.

Quod verò huic emergenti tantum non totus orbis repugnet, quemadmodum Matth. 24. à CHRISTO prædictum eſt, Et eritis inuiſi cunctis gentibus propter nomen meum, mirum non videri debet. Eſt enim hæc verbi diuini peculiaris indoles & natura, vt à non niſi paucisſimis ſuſcipiatur deuotiſsimè, plurimorum verò inſectationi crudeliſſimè ſemper expoſitum eſt & fuit. Lupi, Vrſi, Leones non inſectantur Euangelium, verum homines, & omnes homines dicit CHRISTVS. Proinde cui mirum videri debeat & inſolens, ſi Mundus hominibus, hoc eſt, CHRISTI perſecutoribus plenus eſt? Quid verò mundus eſt quàm æquè homines? Verbum autem DEI ipſos homines in Deos transformat, iuxta.71. Pſalmi teſtimonium, Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes: Quod CHRISTVS inſe interpretatur Iohan.10. dicens, Scriptura eos dixit Deos ad quos ſermo DEI factus eſt. Et Iohan.1. Dedit eis poteſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine eius. Sic itaq; comparatum eſt, quicquid homo eſt, perſecutionibus premit & inſectatur cum Verbum tum filios DEI. Fortuna verbi Dei.

Peculiariter tamen ſecum adfert delectabile Euangelij Verbum intolerabilem quandam famem, ac ſitim non extinguibilem, cuius cupidinem non facile exaciamus, etiamſi multas hominum myriades nobiſcum Euangelio fidem dare videamus. Quin magis atq; magis in optatis habemus vrgente hac ſiti, neminem non ſtantem ab Euangelio, CHRI- Fames & ſitis Euangelii.

d STI.

STI Verbiq; eſſe participem. Eiuſmodi inquam ſitis degeneri quieti ſe addicere neſcit, nunquam non impigra ad loquendum nos impellit, ſicuti Propheta verè Regius diu ante præſciuit Pſalm. 115. Credidi, propterea loquutus ſum. Et nos habentes eundem ſpiritum fidei (vt inquit Pau. 2. ad Corinth. 4.) & ideo loquimur, donec omnibus ad communionem Fidei noſtræ pertractis, vnum corpus conſtituerimus, ſi poſsibile factu foret. Verum hæc ſitis non raro nulla vtilitatis vſura loquitur, verum etiam felle & aceto ſedatur, non ſecus ac CHRITSVS iam cruci adfixus Myrrhatum vinum deguſtauerat. Hac ſiti premebatur Paulus ſiccis faucibus Acto. 26. vbi ardentibus votis deſyderabat, omnes eſſe tales, quales ipſe fuerat, exceptis vinculis. Rurſum Romanorum. 11. eadem ſiti vexatus, optat Anathema eſſe pro Iudæis fratribus. Hac inquam ſiti qua fratrum ſalutem ſitis, vir generosè, & te correptum eſſe quis neſciat, qua teſtatam perhibes fidem tuam argumento probatiſsimo. Quid igitur reliquum eſt, quàm quod expectes fellis & aceti poculum, hoc eſt, calumniæ aſpergines, ignominiæ labes, perſecutionum ingruentes procellas, quas cateruatim tuam in loquendo libertatem excepturas & ſequuturas eſſe ne dubites. Sic inquam comparatum eſt, vt CHRISTVS nuſquam ſit gentium, niſi adſint quoq; Iudas, Pilatus, Herodes, Caiphas, Annas, crux, perſecutio, tribulatio, anguſtia, aut non eſt verè CHRISTVS ille qui prædicatur.

Chriſti & Pauli ſitis.

Hinc

Hinc non tam ærumnæ noſtræ, quàm aduerſariorum indubitata pernicies nos habet ſolicitos, quorum exitium deflendum potius cenſemus, quàm adflictionis noſtræ moleſtiam dolendam. Cum certi ſimus nihil obeſſe nobis poſſe furorem illorum, verum quo impenſius aduerſus nos atra bile perciti inſaniuerint, hoc magis rei noſtræ conſultum iri certò ſperamus, ipſis interim pereuntibus. Veluti Paulus ſcribit ad Philip. 1. Siquidem quis adeò nobis incommodare poſſit, quibus eiuſmodi ſit Dominus, qui mortem & omnium aduerſariorum vitam in manu ſua ſolus retineat. Noſq; ſic conſolabiliter adflictos recreet hiſce verbis Iohan. 16. Confidite, quia ego vici Mundum. Mortem vobis intentant & minantur & præſens exitium, quod ſi tam præcellerent ornati ſapientia, quàm neminem non exuperant ſtultitia, profectò vitam nobis minari debebant. Ridiculum ſanè minarum & terriculamentorum genus, ſi CHRISTVM & ſuos Chriſtianos mortis formidine ab Inſtituto deterrere ſtatuerint, cum ipſi ſint mortis victores per CHRISTVM, qui de morte deuicta & triumphata omnibus ſuis trophæum fixerit. Nō ſecus, ita me DEVS benè amet, delirant illi, ac ſi quenpiam per hoc deterrere in animum induxiſſem, ſi equum eius inſtrato ephippio, adhibitiſq; habenis inſtructum equitandū ſibi producerem. Verum non credunt CHRISTVM ſurrexiſſe à mortuis, eundemq; mortis iuxta ac vitæ ex æquo Dominum eſſe. Conditus apud illos etiamnum ſepulchro detinetur, aut apud inferos conſtitutus obambulat.

Conſolatio adflictorum

obambulat. Nos verò certò ſcimus, ac per hoc audaces & animoſi, CHRISTVM ſurrexiſſe à mortuis ſubacta mortis potentia, quam nihil aliud eſſe dicimus quàm admiſſorum & ſui ipſius finem exoptatum. Siquidem hæc vita, quàm diu in carne viuimus, peccatis obnoxia eſt, quorum commertium & labem deuitare non poteſt, propter carnem coniunctam comitem. Propterea ſubinde clamat in nobis gemitibus inenarrabilibus cepti ſpiritus Renouatio: Accelera mors, maturato lux terris vltima, mortis peccandiq́; finem factura, Amen. Vt ſcribit Paulus Roma. ſeptimo & octauo. Quam quidem alacritatem & animi fortitudinem in CHRISTO inimici noſtri ignorantes, excandeſcunt in nos muliebri iracundiæ impotentia, mortem intentantes, niſi digito labellum preſſerimus. Atqui ô Deum immortalem, quanto maiorem CHRISTI ex mortuis reſurrectio præſtat fiduciam, quàm quæ aut deterreri poſsit incuſſo timore aut dimoueri ab officio Ollaris ac Ficulneę illorum tyrannidis fulminibus. E quorum albo non poſteriores fert Bulla illa ſuperbè inflata. N. quæ cœlum capitis vertice perrumpere ſtatuit, neſcio quid minarum ſpirans, Euangelio bellum indixit. Cuius inſtitutum eſt, CHRISTVM non ſecus ac Lupus culicem deglutire voraciſsimè. Atq; me Hercule opinatur iam nunc (ſi ſuperis placet) non vulgari obſtaculo remoratam ſe eſſe conatum noſtrum proſtrato & euerſo funditus Euangelio. Ita Furiarum œſtro percitus cæterorum Ante ſignanus præ omnibus inſaniæ palma prærepta furit atq; bacchatur.

bacchatur. Cuius quidem exitium auſumq́; temerarium miſeratus, ex corde DEO pro ſalute eius impetranda ſupplicaui. Verum qua eſt impietate, vereor, ne iudicio vrgeatur ſuo, cui iamdudum æratum obnoxius ſententiam experturus eſt grauiſsimam. Orabis & tu pro tua in hoſtes etiam charitate pro eo, quando iubeamur in inimicos quoq; noſtros fauore & humanitate propenſos eſſe debere, non ſimulatè, etiam inuitis tyrannis. Si quomodo fieri poſsit, vt hic è rictu Cerbereo ereptus, ſeruaretur, è Saulo turbulento Paulus redditus. Parum enim nos iuuat eiuſmodi hominum miſerandus interitus. Monerem te quoq;, vt eundem literis ſimilibus ad mentem ſaniorem pertraheres, niſi nolim adeò ſanctum non dari canibus, & margaritas immundis ſuibus obſpergi. Cum ibidem æquitatis & rationis ὀυδένα λόγον eſſe certum ſit, vt planè huic morbo alio pharmaco mederi neſciam, quam orationis Malagmate. Innumeras profectò animas dat neci & interitui, ſibiq́; theſaurum congerit in diem iræ & vltionis longè maximum. Verum hæc omnia ſpiritui tuo ſtatuenda relinquo. Nos verò nihilominus viuemus, tametſi morte & omnium tormentorum ſupplicio nos excarnificatos occiderint.

Preces pro Hoſtibus.

Atqui aliud eſt quiddam, quod grauiore ariete fidem noſtram concuſsit: Sathanas qui nunquam non etiam cum filijs DEI commertium habere contendit, Tragœdiam quandam nobis Vuitembergenſibus in Scenam induxit, quæ quàm aduerſarijs noſtris voluptati fuerit, & nobis dolori,

Sathanæ inſidiæ aduerſus doctrinam Lutheri.

verbis conſequi non poſſum. Certè Euangelij calumniandi anſam ex hac ſumpſerunt non ſimplicem. Atq;, vt ingenuè verum fatear, vſqueadeo huiuſce Tragœdiæ actus à noſtris oblatus mihi obfuit, vt haud ſciam, an omnes inimici mei vnà cum inferorum portis pernicioſius quiddam vnquam in me moliti ac machinati nobis conciliauerint. Neq; admodum negauerim fumum oculis meis nonnihil attuliſſe moleſtiæ. Hic hic cogitabat Sathanas Lutherum exanimatum, audaci diſpoliabo ſpiritu, quem huius technæ machinā nequaquam ſubodorari aut euincere poſſe bona ſpes me habet. Eſto ſanè, verum auguror hæc importuna nobis obijci non alio conſilio, quàm vt cum mihi, tum meis neceſſarijs pœna ſit in poſterū cautius agendi. Amicis quidem ob id, qui quanquā firmiter credant CHRISTVM ſolutis mortis doloribus reſurrexiſſe, attamen eundem etiamnū cum Magdalena in horto captantes, quæritant, nec adhuc illis ad patrem aſſumptus eſt. Mihi vero hanc ob noxā, quod Vormatiæ in amicorum nonnullorum gratiam, ne viderer reluctari pertinacius, ſpiritum meum preſſerim, nec tyrannis animoſius & obfirmatius Euangelio cōfitendo reſtiterim, quo nomine nō ſemel poſt à perfidis & impijs malè audire coactus ſum. Vt gentiles impij (vt ſunt) iudicare ſolent, & ipſi iudicant, qui nullius aut fidei, aut ſpiritus capaces vnquam fuerint. Eius tamen animi moderationis & habiti honoris ſæpenumero me & tęduit & piguit. Vtcunq; tamē actum ſit iuſtè an iniquè non ita multum moramur, quin hoc animoſiores maiori

Moderatio Lutheri in comitiis Vormatienſibus.

maiori ſumpta fiducia perhibebimus. Siquidẽ vt nobis de noſtra iuſtitia, quę nulla eſt, arroganter nõ placemus, ſic nec ob peccatorum noſtrorũ molem, quæ immenſa eſt, animum deſpondentes diffidimus. Verum Deo Opt. Max. gratias agimus ob fidem noſtram, longè noſtris rectè factis aut iniquè admiſsis ſuperiorem. Quippe DEVS, totius inquam miſerationis Pater nobis præſtitit, vt credamus non in ficulneum aut ligneum, ſed in CHRISTVM filium DEI viuentem, Dominum peccati iuxta ac innocentię, cui data eſt poteſtas nos erigendi & ſeruandi, tametſi per ſingulas horas ſubinde in peccatorum ſcopulos illiſi, naufragium innocentiæ noſtræ fecerimus, de cuius rei certitudine nulla me tenet hæſitatio. Quod ſi adhuc fortiori tentationis telo Veterator ille nos adortus fuerit, tamen non prius ſperet ſe nos laſsitudine fractos exuperare poſſe, niſi tale quiddam fuerit machinatus & commentus, quo CHRISTVM à dextà DEI patris omnipotentis deturbatum in imum vſq; præcipitet. Donec CHRISTVS in ſummo ſedem occupat, tamdiu & nos peccatis, morti, diabolo, inferis & rebus omnibus dominabimur potentiſsimè, vel reluctantibus & inuitis omnibus inferorum portis. Scimus planè nihil addubitantes eum potentem eſſe & fidelem qui CHRISTVM excitauit à mortuis, atq; ad dexteram ſuam collocauit, Regem fore & Dominum omnium creaturarum, procul dubio etiam peccati, mortis, diaboli, inferorum: Tantum vt abſit non etiam Papiſtica & Romanenſis colluuies huic ſubiecta ſit, quantumuis veſica ſua

Fides Lutheri.

Omnipotentia Christi.

ſua Fabis immiſsis puerilem ędat ſtrepitum. Quam quidem fiduciam non eſt quod illorum opera amittendam eſſe periculum ſit. Quam diu verò hæc fidentis animi magnitudo apud nos manens firma perdurauerit, quid dubitamus illos cõtemptim reiectos ſpernere, expectaturi, num CHRISTVM noſtrum perinde vt ſperant facilè deuorabunt, aliumq; in eius locum quem Pater cœleſtis ignoret ſufficere atq; ſubſtituere poſsint?

Chriſtus pro ſuis.

Quamobrem huius CHRISTI cura & opera, planè ſpero hunc ludum & ſiquando infelicior hoc peracto ſuboriretur, optimæ Cataſtrophæ finem ſortitum iri, nedum errore emendato, verum etiam omnibus ex ſententia noſtra ſuccedentibus, ſecundum inæſtimabilem ſapientiæ & bonitatis eius magnitudinem. Potiſsimum verò ſi & tu in partem orationum & fiduciæ noſtræ veneris. Nondum eò calamitatis res noſtræ collapſæ deuenere, quo CHRISTI tempore conciderant, vbi Petrus ipſe trina negatione impiè CHRISTVM reiecerat, Diſcipuli omnes fuga ſaluti ſuæ con ſulerant. Iudas acceptis nummis proditor fit. Tum ſi maximè eò nobiſcum deueniretur anguſtiæ, tamen non interibit funditus, aut CHRISTVS noſter detentus ſepulchro ſoluetur in cinerem. Nec dubium eſt, quin hæc & huiuſmodi Tragica diſcrimina non oriuntur niſi ob communis tentationis ſubeundum examen & periculum, quo fide robuſti probantur, infirmi confirmantur, probati laudantur, ſimulatè credentes manifeſtantur. Inimici verò impij, & qui di-

ni non

gni non ſunt vt hoc pro verbo DEI amplectantur,magis ac magis vt meruerunt indurati incurrunt offendiculum.

Et tu haud dubiè exploratum habes eius peccati ignominioſum ſcelus, per quod diuina veritas pueriliter adeò cõtempta,ſic præfractè indicta cauſa damnata eſt,ſcelus inquam eſſe communis Germaniæ,& quidem aliam ob cauſam nullam, quàm quod Primates nimirum populi Capita nemine reluctante hoc admiſſum deſignauerant. Qua quidem in re peccato ſic impio coram DEO tenemur obnoxij, adeoq; digni à quibus tam præcioſa Margarita, nimirum eius Verbum,tollatur planiſsimè,aut eiuſmodi ſinat exoriri offendicula, quibus adducti nemo Verbum diuinum eſſe credat. Et ſic pro meritis illorum etiam contumelioſè adfectum inſectarentur, non ſecus ac doctrinam diabolicam, quod prius perperam & temerè abnegantes damnauerant. Ad hunc modũ enimuero,generoſe Hartmanne, Germanica natio in gratiam Romani Pontificis in grandem noxiam incidit,miſerandis in comitijs Vormaciæ habitis.Quiq; iam omnibus Furiarum habenis inſaniunt & ſæuiunt,eius peccati authores fuere, dum omnia ſuo arbitratu digerunt, Comitiorum clauum manu tenentes. Nimirum in ea forſan erant opinione,iocando ſe animum fallere, & CHRISTUM oculis captum ad hæc facile conniuere. O terribilem,ô ſeuerum Iudicem, quam occulta & horrenda eſt iudicij eius ſententia?Quàm verò animo ſecuro agit ſemper Pharao,donec in ſinu Arabico ſuffocatus, non vidit ſecuritatem ſuam ſum-

mam fuiſſe iram DEI, qua oſcitanter comprehenſus interijt. Quàm autē eius generis iocos, quibus Verbum Euangelicū ridendum exponitur, DEVS impatienter ferat, cuius cōfirmandi gratia ne Filij quidem proprij ſanguinē dubitauit profundere, exitus oſtendet iuſti iudicij. Vtcunq; interim homines idem condemnantes pro delectamento habeant, molliter ſe curantes.

Pæna contemptus Verbi Dei apud Iudæos.

Ad hunc quidem modum Iudæis eueniſſe videmus, qui cum Filium DEI impio & crudeli iudicio condemnaſſent, ea poſt percuſsi ſunt cæcitate & amentia, vt etiamnum ſecuriſſimè Meſsiam ſuum expectantes CHRISTVM ſumma contumelia adficiendi finem facere neſciūt. Completa eſt itaq; Scriptura Pſal.108. Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Non aliter Papiſtis quoq; noſtris accidiſſe veriſimile eſt, qui cum Vormaciæ CHRISTVM odio proſequi, & probroſis appellationibus dehoneſtare decreuiſſent, factum eſt, vt eius nec calumniandi nec odio proſequendi finem vllum inuenire queant. Quorum veſana & virulenta blaſphemia nullis aut monitis aut obſecrationibus eſt ſanabilis, imò ſubinde ingraueſcente morbo fit deterior.

Rectiſsima ſunt iudicia tua cœleſtis Pater, & hoc eſt verè, niſi fallor, agitari furijs & intemperiebus. Teſtis eſt mihi Deus, ea animi ſolicitudine capto, quod niſi dies nouiſſimus huius fabulæ ludum interturbauerit, periculū eſſe breui futurum, vt Deus Verbo ſuo ſublato, Germaniā ea ſit flagellaturus cæcitate, & cordis duricia, quam mihi ſaltem animo reputanti

putanti terribilis horror oſſa concutit. Domine Deus pater cœleſtis obſecramus te pro tua inexhauſta bonitate, dignare nos potius nulla non peccatorũ ſentina immerſos labi multifariam, ſi peccandum nobis eſt, tantum à cæcitate & amentia, à compunctionis ſpiritu nos tutos retine, in eo, quem & peccatorum & innocentiæ Dominum conſtituiſti, quem ſi confitebimur in oculis ſemper circumlatum, nihil eſt quod vereamur, aut peccatorum iniuſtitiam, aut mortis potentiam, aut inferorum terrorem nobis obeſſe poſſe.

Quanquam ne ſic quidem Deo gratias agere deſinamus, ita ſe exhibenti, vt qui nolit adhuc adempto Verbo ſuo miſerabiliter nos deſerere, nimirum per hoc, quod tibi tuiq; permultis ſimilibus Spiritum largitus ſit, nulli offendiculo obnoxium, fidemq; per charitatem operantem & efficacem. Hoc enim eſſe indicio planè fateor, eoſdem non propter homines, verum ipſa Verbi certitudine indubitanter perſuaſos, ſoloq; verbo inductos credere. Non parum multi ſunt qui in mei gratiam credunt, verum hi ſoli demum tecta fide firmati ſunt, qui indiuulsè adhærent verbo, quanquam hi audierint etiam me ipſum (quod abſit) conceptis verbis negatione pronunciata à Verbo deſciuiſſe. Atq; hi ſunt quos parum mouet quàm ſceleſta, quàm improba, quàm pudenda de me deq; noſtris omnibus paſſim falsò confingantur, dicanturq; à Diuerſarijs. Quandoquidem non credunt in Lutherum, ſed in CHRISTVM IHESVM. Verbum habent, & ipſos verbum habet, Lutherum, ſanctus ſit an improbus nebulo, non morantur. Poteſt iuxta Deus loqui per

Balaam,atq; per Eſaiam, per Caipham perinde ac per Petrum, ſed & per Aſinam. Atq; horum quidem ſentẽtiæ neq; ego refragor, quippe cum ipſe Lutherum ignorem, atq; adeo ignorare volo. Neq; enim Lutherum, ſed CHRISTVM predico. Diabolus ſanè ſiquando poterit Lutherum auſerat, modo CHRISTVM miſſum faciat, & nobis facilè per hunc tranquillè agendi ſalua permanebit copia.

Gratitudo noſtra pro reuelata Euangeli doctrina.

Quopropter nobis poſthac curæ ſit potiſsimum, quo DEO immortali Gratiarumactione frequenter habita, nos nunquam non exhibeamus gratos & acceptorum beneficiorum memores. Hoc modo in poſterum vita inſtituta, vt fides noſtra non tantum ſit verborum & linguæ, ſed multo magis virtutis. Paulus enim inquit 1. Corint. 3. Regnum DEI non eſſe in ſermone, ſed in virtute. Nec ſatis eſt nos doctè aut diſertè loqui, aut ſcribere poſſe de Verbo, verum vita & virtute ipſa predicatæ veritati teſtimonium dare neceſſe eſt, qua charitas noſtra nullo habito diſcrimine cum amicis tum inimicis ex æquo iuxta officioſè inſeruiat. Orandum itaq; eſſe intelligimus, primum quidem animi fortitudinem à DEO præſtari nobis, & noſtris omnibus indies maiorem, vtq; CHRISTVM IHESVM filium eius dilectum in corde noſtro ſubinde magnificet, quo hunc ipſum præſenti animò coràm induratis & impiè excæcatis Paſtoribus huius præfractæ & damnoſiſsimæ Papiſtarum ſectæ ſtudioſis, audacter confiteamur, laudemus & predicemus. Deinde communi Germaniæ peccati commiſsi faſce leuando auxilio

xilio ſimus, orantes, ne perditæ Turbæ culpam & impietatem miſeris animabus ferendam eſſe iudicet. Neuè ſalutari verbo eius hactenus tanto tempore ſuppreſſo atq; ſubducto, nos Antichriſti legibus & tyrannidi rurſum affligendos obijciat. Verum vt ſaltem noſtro tempore, quemadmodum Ezechias orare ſolitus eſt, regnet pax, & triumphet veritas. Profecto maiorem in modum hac oratione opus eſſe videmus. Quippe periculum eſt, ne natio Germanica plus iuſto licentius peccet, poſtremoq; eum ſortiatur euentum, quem 4. Reg. vltimo literis proditum legimus, vbi eouſq; Prophetarum ſanguinem effundere non deſinebant, donec DEVS reiectos, inq; manus Chaldæorum traditos, omni auxilio ſublato deſtituit. Sic quoq; vereor, ne precium æquale Germania à DEO olim latura ſit. Quæ cum primum Conſtantiæ Euangelio damnato ſanguinem inculpatum profudit, in hoc quod Iohannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem crudeli exitio abſumpſerit neci traditos, eadem nunc poſtea hoc ipſum denuò fecit Vormatiæ, tum Haidelbergæ in Dranſdorffio & cæteris nonnullis. Monatiam & Coloniam tacebo. Quin totius Rheni fluenta ſanguine rubent, nondum etiamnum à cædibus repurgata. Sed & ad hunc vſq; diem religiosè & molliter Chriſtianicidas, & hæreticæ prauitatis Inquiſitores fouere, & tantum non in ſinu geſtare non deſinit, donec nos quoq; omni præſidio diſpoliatos iuſta DEI excandeſcentia obruat. Plus ſatis DEVS à nobis tentatus eſt. Iam denuò Vuormatiæ in me damnata

Periculum Germaniæ ob perſecutionẽ Euangelii.

Euangelica veritas, & quanquam ſanguinem meum non effuderint, tamen voluntati illorum nihil defuiſſe certo certius eſt, meq́; ſine fine adhuc occidunt corde maleuolo. Infelix verò Germanorum natio, quæ ſola adeo Antichriſti Lictor & Carnifex occidendis ſanctis Dei & Prophetis eſſe cogitur.

Prolixitas Epiſtolæ.

Vide verò generoſe Hartmanne, quàm verboſè expaciatus ſim tecum ſermone loquaciſsimo, ſic, vt Epiſtolaris anguſtiæ rationem non habuerim, atq; huius in ſcribendo prolixitatis fidem Chriſti, quam ex tua fide & confeſsione percepi, cauſſam eſſe ne dubites. Iohannes gaudio exilire cogitur in vtero materno veniente ad ſe Chriſto, quemadmodum vides & Chriſtum ſcriptis tuis ad me veniſſe. Atq; vtinam & is hac mea Epiſtola ad te viciſsim veniret, fieretq́; vt nedum Iohannes, ſed & Elizabetha, atq; adeo tota familia lætitia & exultatione & ſpiritu impleretur, maneretq; non ſaltem nobiſcum tres menſes, verum perpetuo, quod ille faciat Deus Pater totius miſerationis, Amen.

Reditus Lutheri verſus Vuitembergam.

Porrò quod reliquum eſt, aliud nouarum rerum de me referre non habeo, quàm quod iam iterum ad Vuitembergam me contulerim, ſiquomodo per me fieri poſsit, auxiliante Chriſto, quod ægrè eſſet Diabolo. Quantum temporis iſtic manſurus ſim, incertum eſt. Statui quoq; Vetus Teſtamentum in linguam Germanicam transfundere, qua re peropus eſſe mihi intelligo, fortaſſe alioqui vana ſcientiæ perſuaſione induta mortuus eſſem. Quem quidem laborem

rem obire debebant hi, qui ſibi ſtultè placentes nihil non ſcire videntur. Franciſco Sickingio, libellum de Confeſsione nominatim inſcripſi. Quæ interea temporis à me ſint ædita, ad te perlata eſſe reor, neq; enim mittendi facultas mihi dabatur. Iam ſub prælo eſt vna pars Poſtillarum in Euangelia & Epiſtolas, qua abſoluta, ſpes eſt hominem Chriſtianum, ea quæ ad vitam neceſſaria duxi abundè reperturum. Omnes amicos noſtros nomine meo ſalutabis officijs, nominatim vero Franciſcum & Vlrichum de Hutten Equitem, & ſiqui ſunt alij. Gratia Dei noſtri ſit tecum. Vuitembergæ Anno M. D. XXII.

GEORGIO SPALATINO.

Euangeliſtæ Aulico.

Reſpondet ad quasdam Spalatini quæſtiunculas.

IHESVS.

GRatia & pax in Domino. Supplicationem plebani Segrenenſis nuper oblitus nunc mitto. De ſautio illo in Reſen Quæſtori dictum eſt. Gemmæ quoq; vel redierunt, vel Lucas qui habet, referet. Ad quæſtiunculas, In Chriſti nomine petere, eſt non per nos ipſos, ſed per Chriſtum vt Mediatorem petere. Sic enim Paulus ſemper vrget. διὰ τοῦ Præſumptionem enim noſtri meriti excludit. Deinde omnia prorſus petenda ſunt, & omnia conceduntur, ſcilicet quia omnis petitio includit tres primas petitio-

I. Petere in nomine Chriſti.

petitiones in oratione Dominica. Ideo neq; petere neq; largiri eſt, vbi nomen Regnum voluntas DEI non præfert, &c. Deinde vbi dubium eſt, ſit ne pro nomine, regno, voluntate eius, committenda, illius ſapientiæ exauditio noſtri. Cæterum vbi pro nomine, regno, voluntate eius primo oratur, impoſsibile eſt, vt non exaudiatur per CHRISTVM quicquid petitur.

2. Chriſtum nõ tangere.

Noli me tangere Iohannes ſcribit, qui libenter myſteria ſectatur, cum alij tetigiſſe ſcribant. Tangitur autẽ CHRISTVS ſola fide, qua quia nondum erat imbuta Magdalena non patitur ſe tangi inſignum huius Incredulitatis: Hoc eſt, quod ipſe dicit, Nondum enim aſcendi, id eſt, ſicut nondum aſcendi, ita nec tu credis me alia vita iam viuere quam priori. Alibi verò vbi myſterium id non agitur, patitur ſeſe tangi.

3. Loqui Chriſtum per Prouerbia.

Tempus quo non loquitur in Prouerbijs, & quo petent, eſt tempus poſt Spiritus aduentum, ſi ſcopum obſerues facilè tu ipſe talia multa diſſolues. Eſt autem is ſcopus, quod Diſcipuli ante paſsionem & orauerunt & crediderunt, & omnia quæ poſtea egerunt experti, ſed reſurrectionis fidem nondum habuerunt, & tamen mortalem CHRISTVM cognouerunt. Sicut vides in mea cauſa contingere, multi crediderunt cum ſolas indulgentias tractarem, ignari, fore vt papatum, celibatũ, & omnia ſequentia tractarẽ, ideo multi offenſi ſunt in totam cauſam, quibus ſi prædicere potuiſſem futura, hoc feciſſem, quod Chriſtus facit ſuo iſto toto ſermone, de futura

de futura eorum fide, oratione, cognitione & opere, &c. De perficienda & perfecta fide & operibus eis loquitur, hoc eſt non de lacte (quod prius habebant) ſed de ſolido cibo.

Fuga Sabbathi & Hyemis nobis prouerbialiter dici putatur, ne non importunè fugiant, ſicut illis in Sabbatho non licuit, & Hyeme non benè fit. 4. Fuga in Sabbatho & Hyeme.

Per hoc iam ſoluitur, quod Diſcipuli credunt ante paſsionem eum à Patre exiuiſſe, ſcilicet fide lactis, ſed reſurrectionis gloriam nondum credunt. 5.

Exire à Patre, eſt Filium carne indui, & in mundo apparere. 6. Exire a Patre.

Credentibus ſigna ſequi, &c. certum eſt ſi opus ſit. Neq; enim Apoſtoli faciebant paſsim & temerè ſigna, ſed in neceſsitate Euangelij fundandi, Et nunc quoque ſi verè credimus ſignorum poteſtatem habemus. Nam poſſe ſigna facere ille textus ſolum dat, non iubet facere. 7. Signa credentes ſequi.

Sic & Spiritum ſanctum acceperunt ante paſsionem & poſt reſurrectionem, vt ſupra de fide & oratione dixi, etiam de hac re antea reſpondi. 8.

Euangelion omni Creaturæ predicare, eſt palàm predicare toti Mundo. Vide meam Poſtillam Epiſtola prima in Natiuitate CHRISTI. Vale occupatiſsimus enim ſum. M.D.XXII. 9.

T. Martinus Lutherus.

Obſecro, iuues quod hic Venceslaus petit, vt in Grymmis arceatur libido malorum Chriſtianorum noſtrorum, qui ſolo contemptu ſuperſtitionis volunt Chriſtiani eſſe.

GEORGIO SPALATINO.

Accuſat negligentiam Magiſtratus politici in vrbe Vuitemberga, & vult Bethauen Vuitembergen: aboleri ne iſta idolatria redundet in principem. Tandem de Abbatia Doctoris Staupitii quædam narrat cuius defectionem deplorat.

GRatia & pax in Domino. Nihil neq; vidi neque audiui literarum Serrani ad me datarum, aliundè ergo quam à me illas pete. Obſecro autem has literas cures reddi Præfecto minerario in Bucholtz Matthes poſch, cum ad eũ niſi per vos nõ poſsint pertingere, & neceſſe eſt breui eas ad illũ venire. Pro Sibuto agam quod poſſum, quanquam me & tędeat & pigeat adminiſtrationis Vuitembergicæ, adeò nihil eſt quod agunt & vident, niſi omnia ſimulent fortaſſe. Scorta ſatis libera, & aliorum nihil eſt quod curetur, & omnium Sanctorum Bethauen quid eſt niſi lupanar? Atq; vtinam Lupanar tantum eſſet. Sed peccatum, ſeu vt Amazias apud Amos ait, ſanctificatio regis eſt, vtinam Princeps ibi quoq; manum apponeret. Certè hæc peccata eum grauabunt, quod ſuo ſumptu & inſtituta ſunt & fouentur maximè. Poſtquam veritas rem oſtenderit, ſcribam de hoc ad eum aliâs,

Bethauen Vuittembergenſe.

aliâs, vale & ora pro me. Staupitius ſcripſit Venceslao, ſe ſuam ſtultitiam deinceps deploraturum, & ſe nudiorem egreſſum ordinem S. Auguſtini, quam intrauerit, ſeſe ſubiiſſe labores, licet canonicè creatum & vocatũ. Ego nihil horum intelligo quid velint. Anno M. D. XXII. Staupitius factus Abbas in Saltzburgenſi Epiſcopatu

Tuus Martinus Lutherus.

ANNVS CHRISTI M.D.XXIII.

GEORGIO SPALATINO.

Oſtendit conſilium quod Monachis Hertzbergenſibus dederit derelinquentibus monaſterium.

GRatia & pax. Remitto ad te iſtos Emonachatos Hertzbergenſes, cum conſilio meo, quod eos iuſsiſti ex me petere. Mihi certum eſt Principem non accepturum ex eis quicquam boni, tamen ſi reliquerint, cogetur certè ea committere ſuo Quæſtori. Conſului ergo, vt adhibitis duobus bonis fidelibus viris diſpartiant anathemata Sacrarij, Vnicuiq; commodam partem, quo ſi volet vtatur ad coniugium vel artificium. Sic enim res illæ per impietatem partæ in pietatem vertentur, nec melius mihi locari poſſe videntur. In cæteris reſpondi tibi, puto eos ad te veniſſe. Vale in Domino. Die Natiuitatis Chriſti, M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

GEORGIO SPALATINO.

Pollicetur colloquium cum Serrano, pro quo petit Viaticum aliquod a Principe impetrari, vt eius fides & pietas exploretur.

GRatia & pax. Habes hic Serrani & aliorum ad me ex Iſenaco literas. Ego ſanè hominem ſi venerit ad me admittam, vt mihi loquatur coram, ſed ſicut omnia de omnibus optima præſumere iubet Charitas 1. Cor.13. ita omnia de omnibus peſsima timere iubet Fides, Iohan. 3. & Matth.10. Cauete ab hominibus. Sunt qui mihi hominem commendent, ſunt quæ ſuſpicionem ſi non mouent, certè non quietent. Optimum igitur fuerit, vt Princeps aliquid viatici in eum perdat, & illic ſiſtere vel ſinat vel iubeat, vt videamus, quis ſit futurus. Veriſimile eſt Sathanam omnia ſimulare, omnia tentare, omnia verſare, ideo donec certa res eſt nulli fidendum. Si CHRISTVS ad nos aliquem mittere voluerit Euangeliſtam, certè nos vel præcedentibus vel ſequentibus ſignis certos faciet. Hæc ſatis. Vale & ora pro me M. D. XXIII. die S. Stephani.

Charitatis & fidei præcepta.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Flagitat per Principem aboleri Bethauen Vuitembergenſem, propter Sacrificulorum impuriſsimam vitam. Petit etiam per Spalatinum impetrari a Principe carnes ferinas ad feſtiuitatem Doctoratus Theologici duorum Canditatorum, & decerni Stipendium Pomerano, cum is ob paupertatem ſuam gratis docere non poſsit.

Gratia

GRatia & pax. Quomodo Bethauen noſtra queat citra ſcandalum proximorum & offenſionem viuentium mutari, quis facile dixerit mi Spalatine? præſertim ſi tu id ſcandalum voces aut offenſionem, quo Papiſtæ impij offenduntur. Si nondum noſti, Sacerdotes fermè omnes non modo impiè ibi agunt, ſed præfracto corde Dei & hominum contemptores, ſingulis noctibus penè ſcortantur, & impudenti indurataq; fronte mane Miſſas celebrant. Teſtis eſt vel ipſe Amsdorffius, exceptis forſan tribus, omnes eſſe palàm ſcortatores. Tu nunc cogita, quid hæc abominatio Principi & populo ſuo apud Deum mereatur, cuius ſumptu alitur. Quis ſcit, ſi propter ipſos Euangelium noſtrum minus proſperetur? diu toleramus non modo impios, ſed palàm ſceleratos, diuinis & metuendis ſacris, ob ſolum turpem quæſtum ſeruire. Ego ſanè predicaui, & ſi ſint in impietate ſua ſinendi, tamen Magiſtratus officij ſit, ſcortationes eorum prohibere, vel ad Matrimonia cogere. Nemo ſiquidem ad pietatem & fidem cogi poteſt nec debet, ſcelera tamen publica tollenda ſunt. Vtinam iſtas Miſſas ſaltem Princeps intermitteret, quas quotidie è Camera ſtipendio alit, vt fieret exordium aliquod rerum nouandarum, loquar autem de hac re cum Amſdorffio plura.

Sacrificulorum Vuitembergenſem abolitio.

Abrogatio Miſſarum.

Cæterum dum nuper pro Ioanne Pomerano ſcriberem propter ferinam ad ſuas nuptias, metuebas ne Princeps fauere palàm Sacerdotibus vxoratis poſſit argui, & tu eam mihi donabas. Nunc aliud præ manibus eſt, duo Patres

Caro Ferina Doctorandis.

optimi apud nos Ioannes Vueſterman & Gottſeligius de Heruordia, intra menſem papiſticum Doctoratum in Theologia accipient, honoraturi caudam iſtius pompæ, ſi tu nobis pro ferina apud principem patronus fueris. Quanquam enim rem probè ſciant, tamen maioribus ſuis cedunt & ſtulti fiunt, quis ſcit quo tandem fructu ſapientiæ? Igitur hic nullum eſt iam periculum ſi Princeps donet, imò occaſio Hypocriſis eſt, qua tollat ſuſpitionem priorem. Fac igitur officium hic charitatis, & ſeruito nobiſcum ſtultitiæ iſti. Nec hoc te volo latere, hactenus noſtræ Academiæ fuiſſe laudem, gratis lectiones audiri munificentia Principis. At nunc Pomeranus ſua lectione hanc famam minuit, neceſsitate quadam fatali, ſcilicet, quod gratis docere non queat, & tamen Auditores grauentur emere, qua carere non volunt. Interim ijs qui ſtipendia habent vel non legentibus, vel Pomerano nulla parte comparandis. Murmurant itaq; non quidem contra Pomeranum, cui illorum porcorum ſtipendia deberi ſciunt, ſed quod gratuitas lectiones non habeant, qua ſpe huc acceſſerint, qui facultate tenuiores ſunt. Tu itaq; Principi ſi potes hæc ſuggere, ſi placet fortè conſule iſtis rebus quoq;. Quanquam Philippi & Carlſtadij lectiones vt ſunt optimæ ita & abundent, tamen & Pomerano nolim abeſſe, quod Carlſtadij ſit incerti temporis. Hæc in tuum ſinum, vale & ora pro me. Obſecro de ferina reſponde, vt ſciamus quid tentandum illis ſit, Vuitembergæ octaua Stephani, Anno M. D. XXIII.

Stipendium pro Pomerano.

Tuus Martinus Lutherus.

VVEN-

VVENCESLAO LINCO.

Intercedit pro pauperibus Monaſterio egreſsis, vt parte aliqua bonorum iſtius Coenobii eis ſuccurratur, Principe ab eo præſertim conſenſum requirente, Refert etiam quædam de literis diſputatoriis ducis Georgii & de ſuo reſponſo.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Veniunt ad te hi duo fratres cum literis & cauſis, vt vides optime Vuenceslae, petentes & meam ad te intercesſionem. Ego ſi in tuo loco eſſem quando abominationem iſtam finiri oportet, auderem & darem Principi licentiam & conſenſum, vt iſtis pauperibus ſuccurri poſsit parte aliqua perditorum bonorum. Nec hic ſpectarem quid Vicariatus in futurum eſſet cauſaturus, maximè cum reliqui ex eodem conuentu vel cenſus retineant vel auferant abſq; conſenſu tuo aut Vicariatus. Vides enim hic charitati, illic verò meræ impietati ſeruiri, vt taceam iſtorum penuriam & illorum ſacrilegam prodigalitatem. Fac igitur vt audeas & facias quod Domino placet & hominibus diſplicet, Confirmare te dicent fratrum diſceſſum. Quid inde? Animum fortè adhuc habent dicendi & iudicandi, et tu ſic occaſione merita ab illis abſolueris propter bonum opus. Ego enim omnino cenſeo non prætereundam hanc Principis oportunam voluntatem, qua tuum petit conſenſum. Erit fortè hoc initium

Aulæ conſilium de conſenſu Vicarii Linci.

initium ad alia, & nemo poſtea audebit Principem repetundarum arguere,& interim ab Egyptijs ad Ebreos tranſtuleris quæ illis debentur. De his ſatis, Princeps Georgius ad me ſcripſit iniurias expoſtulans magnifica bucca,à me interrogans de Epiſtola ad Hartmannum Cronenbergenſem. Et ego reſpondi quæ vix placitura ſint, ſuo tempore videbis vtriuſq; exemplar. Nurmbergæ nouo edicto libelli mei vetiti ſunt ſed parum curatur, Vale & ora pro me. Vuittembergæ die altera Epiphaniæ,M. D. XXIII.

T.Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

De Nuptiis duorum Monachorum & abolitione Diocæſis Vuitembergenſis agit, & vult vtramq; ſpeciem Sacramenti imposterum adminiſtrandam eſſe, Tandem de reſponſo ad literas Ducis Georgii ſcribit

GRatia & Pax. Aula noſtrorum Patrum erit altera die purificationis Marianæ, ita expectamus tuam promiſſionem. Rationem mutandæ ſanctificationis Amaziæ, ex prioribus literis didiciſti, aliam non habeo: Vtramq; ſpeciem liberè dandam & accipiendam deinceps cenſeo. Satis enim hactenus infirmis indultum eſt, & vbiq; res iſta iam cantata & nota, cum fermè aſſueti ſint & maiora ferre. Tempus eſt, vt Euangelio locus fiat, & fermè iam non infirmi, ſed potius pertinaces qui rei tam notæ & cantatæ vſu offen-

offenduntur. Itaq; libertate vtamur in hac cauſa. Literas meas ad Ducem Georgium fortè iam vidiſti, Vix enim credo, eas ab ipſo non ſparſum iri palàm, præſertim ad noſtrum Principem & Senatum Cæſaris. Nam ego caueo, ne primum à me vulgentur. Mitto autem ipſius ad me literas, miſſurus & meas ſi nondum habueris. Vale & Ora pro me, Vuitembergæ Feria 4. poſt Octauam Epiphaniæ, M. D. XXIII.

Literæ Lutheri ad D: Georgium

T. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Interpretatur Monſtrum Vitulinum Fribergæ inuentum, quo Monachorum euerſionem portendi ait. Reddit etiam eum certiorem de die Nuptiarum duorum Fratrum,&c.

GRatiam & Pacem. Vnum Monſtrorum ego interpretor, modo omiſſa generali interpretatione Monſtrorum, quæ ſignificant certò Republicarum mutationem per bella potiſsimum. Quo & mihi non eſt dubium Germaniæ portendi vel ſummam belli calamitatem vel extremum diem: Ego tantum verſor in particulari interpretatione, quæ ad Monachos pertinet. De Melchiore Miriſch ſum contentus,expugnauit & ipſe ſeſe vtcunq; Aulam habebunt. Pater Ioannes Lip & Gottſeligius proxima poſt purificationem ſuas celebrabunt,vbi te intereſſe volumus, ſi præ tuis nuptijs potes. Nam tuis nuptijs omnia præferemus &

Interpretatio Monſtri vitul.

Nuptiæ duorum Monachorum.

aderimus omnes huic quoque Monſtro in oculis Papiſtarum, hic ſcilicet eſt modus, quo à Vicariatu libereris, Vale & ora pro me, Die Marcelli, Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI BRISMANNO.

Exhortatur Briſmannum vt quod rogarat antea, pergat publico Scripto confutare inſulſum libellum Caſparis Schatzgeyr Monachi Minoritæ, quem contra Lutheri libellum de votis ædiderat, & aliquibus argumentis ipſum inſtruit.

IHESVS.

Caſpar Schatzgeyer patronus miſſarum & votorum monaſt.

GRatia & pax in CHRISTO. Prodijt nuper tuæ profeſsionis homo Caſpar Schatzgeyer, libello contra me ædito, ſuper votis & Miſsis, qui & antea contemptum illum librum & inſulſum, quem Scrutinitum appellauit ædiderat, conatus Chriſtum & Belial conciliare, nempe, ſacrilegam Scholaſticen & literas Sacras. Quod vbi malè ceſsit, alia via gloriam affectat, & nunc Indagines & Conatus, ac neſcio quæ portenta verborum & rerum parturit. Noſti autem & tu, quam ſit iſti hominum generi gentile imò fatale (de ijs loquor, qui Minoritæ tantum ſunt & non Chriſtiani) nouis & ſingularibus vocibus vti, quemadmodum & nouis moribus viuunt. Sic alius ſcribit Gladios, alius Syrupos, alius Malagmata. Iſtę verò, vt dixi, Indagines & conatus,

Indagines Schatzgeyer.

natus, ne ſcilicet quicquam commune vel in verbis vel rebus cum hominibus habeant. Accedit ad hæc propria quædam ac minoritica phraſis, quæ talis eſt, vt nullo alio vocabulo nominare queas, quam vt minoriticam dicas, in qua illud potiſsimum valet, quòd eſt tædioſiſsima, dum cupit noua videri, & fit neq; vetus neq; noua, ſed nec media quædam inter nouam & veterem.

Sed vt ad rem veniam, rogaui te, vt munus reſpondendi obires, non quod dignum ducerem te, qui dono Dei melioribus rebus ſeruire potes, cũ his Laruis pugnare, ſed quod ego occupatior ſim quam vt ipſe reſpondeam. Nam etſi hominem indoctum in re ſacra contemnerem atq; cogitarem, nec reſponſione mea millies iterata firmari eos poſse, qui tam vanis ſcriptis mouentur ad diſſentiendum libello meo de votis, omnium quos ſcripſi etiam me teſte munitiſsimo, & quod auſim gloriari inuicto, tamen amicis quibuſdam ſic inſtantibus & vrgentibus ceſsi, vt reſpondendum illi eſſe cenſerem. Cenſura Lutheri de libello ſuo de Votis.

Tu ergo proſperè procede in CHRISTO, vt qui Minoriticam ſectã egregiè callens, probe intelligas, quot locis Theſauriuora ille Indagator & Conator mentitur, dum nobis perſuadere conatur vt credamus, tam vulgarem eſſe apud Religioſos fidem & caſtitatem, quam vulgares ſunt ipſi Monachi præſertim Minoritæ, cum ſua ipſius Conſcientia, tum experientia, eum longè aliter doceant, niſi quod purum Minoritam oportet eſſe purum Hypocritam. Encomium Minoritarum.

Sic enim loquitur, ſicut hactenus vixerunt, credens tam neminem fore, qui mentientem intelligat, quam hactenus nemo fuit, qui putaret eos eſſe meras Perſonas, & vt Paulus ait, Species pietatis, cuius virtutem abnegant.

Capita confutanda aduerſus Scatzgeierum.

Quamuis autem non egeas vt indicem tibi, quid potiſsimum in illo confutatum oporteat, tamen vt vno ſenſu, nos idem damnare videat, volo & ipſe hoc monere, quod proculdubio CHRISTVS qui te docet, in te monebit. Hoc autem eſt, quod homo ille perpetuo libro, multa certe ſatis è Scriptura adducit, & in margine glorioſius quam deceat Minoritam (niſi hypocriſis faceret) oſtentat. Et non videt interim cæcus & inſipiens indagator, quam illa omnia, prorſus nihil ad rem faciant, quod adeò manifeſtum, vt ipſemet cogatur confiteri, modo ei digito craſsiore oſtendatur, hoc modo:

Verba ſcripturæ eſſe noſtra documenta.

Nonne omnia verba & facta Scripturæ ſunt prorſus omnium Chriſtianorum documenta? ſicut Paulus Roma. 15. dicit, Quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quis eſt ergo furor, ea quæ ſunt omnibus Chriſtianis communiter dicta, vni ſingulari ſectæ aptare? Quid enim etiam Morio aliquis ad vniuerſum illum magnificum librum indagatoris inferet, niſi hoc Corollarium? Quandoquidem tu communibns Scripturis ſingularem tuam ſectam aſtruis, fiet profecto, vt aut omnes Chriſtiani ſint Minoritæ, aut ſi non ſint, non ſint quoq; Chriſtiani, ad quos ſolos dicta ſunt, quæ tu pro Minoritis adducis.

Quid hic Theſauriuora ille faciet? Nonne ſi vel vncia pudoris in ipſo fuerit, pudebit ſeſe vnquam mutiuiſſe coram hominibus, vt qui & ſacris Scripturis & Chriſtianis impius & blaſphemus, tantam vim & iniuriam intulit? Si ſua ſint vera, neceſſe ſit, aut Chriſtianos non eſſe Chriſtianos, aut Scripturas non eſſe Scripturas. En tibi mercedem erroris, quam oportuit accipere illos, qui contra agnitam veritatem pugnant.

Ne autem garriat hoc ſolnm à me dici, & nullo exemplo probari, quanquam extent libelli, & non poſsit tergiuerſari, tamen vel illud, quod tu quoq; in Præfatione illius ſentis, tecum adduco. Eſt ne igitur bellè & planè Minoriticè aſſerta Monaſtice per illud Lucæ, quo Dominus intraſſe ſcribitur Domum Marthæ & Mariæ? Hoc eſt, vt Schatzgeyr ait, Monaſteria in quibus vrgetur vita actiua & contemplatiua? &c. Sed vt iſtas ruditates Monachorum prætercam quas ferè nullus intelligit (Deinde pauci etiam hæc vocabula audiunt, Actiuæ & contemplatiuæ vitæ, tantum abeſt, vt talis domus vlla apud eos ſit) nonne certum eſt omnibus Chriſtianis hanc doctrinam oportere eſſe communem, quæcunq; tandem eſt quam Dominus docuit intrando domum Marthæ? niſi forte non ſit iſte introitus pars Euangelij, aut Euangelion non ſit omnibus Chriſtianis commune.

Schatzgeieri confirmatio Monaſtices.

Obſecro, iſte Schatzgeyr miſerabilis dum Scripturas allegat pro Monaſtice, quid aliud facit, quam quod ipſo

Teſtimonia Sch: pro Monaſtica exibilanda.

facto dicit, obſecro videte, ſibilate, inſultate mihi inepto & inſulſo, qui dicta Chriſtianis omnibus communia, ad meum pediculoſum cucullum aptaui. Nam & ipſemet planè fatetur, nihil in ſacris literis de Monaſtice dici, ſolumq; ſe hoc vno ſolatur, quod non videatur Monaſtice contraria ſacris literis eſſe. Et nihilominus huius ſui dicti perpetuo oblitus aliud nihil facit, quàm quod ſacras literas pro Monaſtice adducit, donec etiam è CHRISTO faciat Monachum & ex Maria Monialem, quæ tamen coniunx fuit ſaltem deſponſata, quod ſacrilegium eſt Monialibus Conatoris tanti.

Schatzgeyerus ex Ariſtotele & Porphyrio conuincendus.

Oro autem te mi Briſman, ne vincaris tædio tot monſtrorũ ſtolidæ temeritatis, perge ſicut cepiſti, & oſtende cæco iſti Indagatori, ſi capere poſsit, etiam ex ipſo Ariſtotele ſuo, aliud eſſe communia & propria dicere. Vel Porphyrium ei in memoriam reuoca, qui accidens commune & proprium tam diuerſum facit. Ego ſanè fateor, me victum tædio & nauſea legendo, adeò non ſolum latinitas, ſeu potius illatinitas, verum & ipſa hominis rudiſsima temeritas me fregit, nullo verſu, non ſtolidiſsimè ſibi ipſi contradicit. Tamen ne ſolus hoc tædium deuores, vna aut altera parte te leuabo, ne inſignis ille Conator, indignè ferat, tot libris nihil potuiſſe ex me extorqueri reſponſionis, cupit forte & ipſe fieri vir famoſus.

I. Schatz. gloriatio, monaſticen non eſse contra Scripturas.

Primum illud accipio capitale totius ſui libelli, quod gloriatur Monaſticen non eſſe contra Scripturas, ne iota quidem, ideo ſentiendum eſſe ſecundum illud CHRISTI, Qui non eſt

non eſt contra nos pro nobis eſt. Hæc ille, vide quæſo, quam diligenter iſte Conator meum libellum legerit, in quo hoc vnicum egi, vt probarem ipſum Monaſticum inſtitutum, ex natura ſua eſſe contrarium ſacris literis, quæ argumenta omnia ſic ſoluit, non eſt contra, ergo eſt pro. Hoc ſic intelligere me cogit, Scriptura ſancta non nominat Monachos ſuis nominibus, & ne vna quidem iota meminit huius vocabuli, Minoritæ, Auguſtinen:, Carthuſien: &c. ergo non ſunt contra. Sic nec Arrius, nec Pelagius, nec vllus Hæreticus contra Scripturas ſed omnes pro Scripturis ſunt.

Tamen vt cum ceraſſo crebro craſſè loquar, partior vitam hominis in duo, vel enim agit cum inferioribus, vel cum ſuperioribus ſeſe. Cum inferioribus agere permittit Deus etiam ea, quæ ipſe non ordinat ſacris literis, vt ædificare, paſcere pecus, emere, & vt Petrus vocat creaturas humanas, id eſt, ordinationes facere. In his non eſt opus, vt Verbum Dei expectes, ſed poteſt hæc etiam Iethro gentilis Moſen ſanctum docere, eò quod Gene. 1. Homo poſitus ſit rerum Dominus, vt per rationem ea diſponat, quæ ſunt ſeſe inferiora, pro ſuo arbitrio. Nam in his non eſt ſitus cultus Dei, & fiunt tam ab impijs quam pijs. Diſperſa ſunt hæc omnibus gratuitò bonis & malis, vt dicit Matth. 6.

Partitio vitæ hominis.

Actio hominis in inferiora.

Sed cum ſuperioribus agere, id eſt cum Deo, non permiſit Deus vnquam aut permittit, ſed quicquid hic fieri debet, hoc debet non niſi certo & expreſſo mandato Dei fieri, eò quod neſciat homo per ſe ea quæ ſupra ſe ſunt.

Actio hominis in ſuperiora.

Hoc

Sine Verbo & mandato Dei nihil tentandum

Hoc eſt, quid Deus velit, niſi ſuo verbo ſeſe reuelarit, ſicut inferiora homine, neſciunt quid homo velit, niſi ſigno ſeſe oſtenderit eis, vt percutiendo, frenando, leuando, &c. Ideo hic non ſatis eſt dicere, non eſt prohibitum in ſacris literis, ſed oportet dicere hoc eſt mandatum, imo hoc ipſo quo non eſt mandatum, verè eſt prohibitum. Quia non licet hominem ſeſe regere ſupra ſe, vbi ſolius Dei eſt regere, hoc enim ipſo arrogat ſibi ſedem Dei cum Lucifero, & cum Adam vult æqualis eſſe Deo. Hoc eſt, quod in Moſe vbi ea fieri debent, quæ ad Deum pertinent, toties verboſiſsimè, ſed ſumma neceſsitate repetuntur: Locutus eſt Dominus, dixit Dominus, ſic præcepit Dominus, ſic mandauit Dominus. Et prorſus nihil ibi geritur, niſi verbo Domini præuio. Quin Deuterono. 12. dicitur. Non facias Domino Deo tuo, quod tibi rectum videtur. Sic Nadab & Abihu exuſti ſunt igne Domini, nullo prorſus peccato, niſi quod optimum opus non præcipiente Domino, vt Moſe ſcribit, fecerunt.

Monaſtice eſt contra Verbũ Dei

Et quid eſt vniuerſa Prophetia, ſed & tota Scriptura, quàm ne quicquam boni faciamus coram Deo, ſine certo mandato Dei? Deſinat ergo Schatzgeyr miſerabilis gloriari, non eſſe contra Deum Monaſticen, ſi non eſt contra Deum fatemur & nos eſſe pro Deo. Nunc autem eo ipſo contra Deum eſt, quod ſine verbo Dei eſt. Proinde non debuit hoc probare, quod nihil in Sacris literis de Monaſtice propriè diceretur, ſed quod aliquid de ea diceretur, affirmatiuam non negatiuam probari debuit. Si enim Monaſticen-

tale quid

tale quid eſſe permitterent, qualia ſunt ea, quæ hominibus inferiora diximus, tolerabilem eſſe dixi, non vno loco, etiam in libello de Votis. Nunc autem eam inter ea numerant, quæ ſuperiora ſunt, tanquam cultum DEI ſingularem, hoc ſacrilegum, & abominabile & tota peruerſitas eſt, ſicut abundè dixi.

Si autem id verbi adeo Schatzgeyerum in ſpem erigit, quod CHRISTVS dicit, Qui non eſt contra nos, pro nobis eſt, cur non deijcit eum illud eiuſdem CHRISTI, Qui non eſt mecum contra me eſt? CHRISTVS autem ipſe prorſus nihil geſsit erga DEVM, quod non mandaſſet Pater, ſicut dicit, Sicut mandatum mihi dedit Pater ſic facio. Ergo contra eum eſt, qui ſine Patre mandante quicquam facit. Nam ſi Schatzgeyerus rectè interpretatur. Non eſt contra nos, id eſt, non eſt prohibitum, rectè quoq; ego interpretor, Non eſt mecum, id eſt, non eſt præceptum. At illud non eſſe mecum, CHRISTVS vocat contra me eſſe, id eſt vt non præceptum idem ſit, quod prohibitum. Alia Confutatio Schatzgeieri.

Et ille ſanè de quo CHRISTVS dicit. Pro nobis eſt, non ſuo arbitrio, ſed vocante DEO dæmonia deiecerat. Id quod CHRISTVS ex fructu illius probat, dum dicit, neminem poſſe malè loqui de ſe, qui in nomine eius virtutem aliquam fecerit. Sic enim & multi alij ſancti multa fecerunt mirabilia, ſed nullus vnquam quicquam ſine vocante DEO, vel intus, vel foras, quæ tamen vocatio probabatur ſigno aliquo. Vide ergo quàm apertè Conator ille Scripturas tra- Diuinitus præcepta non applicanda eſſe pro electitiis cultubus

ctet, vt ea quæ de præceptis ac diuinitus geſta ſunt, applicet ijs, quæ humana temeritate ſine præceptis Dei eliguntur.

Nam & illud quod de eijciente dæmonia CHRISTVS dicit. Pro vobis eſt, ad omnes prorſus Chriſtianos pertinet. Neq; enim pro vobis idem eſt quod pro Religioſis & Monachis, ſed pro omnibus: Scilicet quod omnes Chriſtianos oporteat illum imitari, non quidem ſimile opus patrando, ſed eadem fide, eadem obedientia, eodem ſpiritu operando. Non enim omnia membra eundem actum habent, omnia tamen eundem animum, eundem ſpiritum, eandem vitam habent. Vt iterum videas ſtoliditatem Indagatoris, qui communia Chriſtianorum facit propria Monachorum. Nam & ipſe planè eò trahit, illud pro vobis, vt pro exemplo imitabili velit accipi. Si autem imitationem non refert ad fidem & Spiritum, ſed ad externum opus, tunc multo magis inſanit, cum nullus vnquam Monachorum dæmonia eiecerit. Atq; fieri oporteret, vt Monaſtice nihil niſi externa dæmonum eiectio eſſet, vt illum imitarentur de quo gloriatur, pro vobis eſt,

Communia Chriſtianorum nõ facienda propria Monachorum.

Quod ſi pro vobis dictum eſt, non de imitationis exemplo (ſicut ego credo) ſed de operationis conſortio, vt ſit pro vobis, idem quod cooperator, quomodo Paulus dicit, Rom. 8. Si Deus pro nobis quis contra nos? Et iterum, Omnia cooperantur electis ad bonum. Iterum ſequitur, ſolum de ijs intelligi, qui ſub eodem præcepto, eodemq; Spiritu aguntur, & non poſsit intelligi de ijs, qui ſuo arbitrio ſine verbo DEI

bo DEI fuerunt. Quare inepto iſti & cæco Indagatori non docendum erat, eſſe quædam contra nos, quædam pro nobis, id quod ſine ſuis ſcrutinijs, Indaginibus, Conaminibus pulchrè ſciebamus, ſed probandū Monaſticen eſſe pro nobis, & non cōtra nos, quod pro cultu & obſequo Dei haberetur. Tolerabilem verò, ſi pro libero quodam corporis exercitio temporaliter vel perpetuo teneretur. Hæc de primo ſatis.

2. Rechabitarum abſtinentia a Vino.

Alterum quoq; tractabo, quod inducit ex Hieremia Rechabitas, qui mandāte patre Ionadab, perpetuo abſtinebant à vino & agricultura & domibus ædificandis. Quare hoc exemplo licet Monaſticen vouere perpetuam, cum illos eximiè laudarit & munerarit Dominus. Vide quæſo & Minoriticam Theologiam, quæ in Scripturis nihil videt, niſi cucullos & calopodia ſua, ſed videamus eum locum. Commendatur enim ibi parentum authoritas, & filiorum obedientia, atq; hanc laudat DEVS, quam & tanto rigore præceperat in Decalogo. Sed quid hæc rogo ad monaſticen ſacrilegam, quæ ferè ſemper contra parentum authoritatem filios attrahit, & prorſus extinguit obedientiam illam diuinitus ſtatutam, ſua abominabili, execrabili & electitia obedientia?

Cōmendatio authoritatis parentum & obedientiæ filiorum.

Tu impia Cuculla, quis te docuit diuinas voces ſic interpretari, vt oculos in opera ſola figens, obedientiam & DEI Verbum omittens, id quod de diuinis præceptis dictum eſt, torqueas perpetuo ad Monachorum temeraria ſtudia & inuentiones? Da parentem præcipientem filijs, & adhuc dicā, oportere ei obediri. Non quia parens homo ſic præcipit & ordinat, ſed quia DEVS præcepto ſuo illius præceptū inſtituit,

 & obe-

& obedientiam exigit. Si verò Schatzgeyerus rectè hoc exemplum tractat, neceſſe eſt, Monachos eſſe carnales parentes ſuorum Monachorum, ſi parentes non ſunt, quam dignis modis ſeipſum ridet, eam ſtupidus Conator transferens exemplum paternalis authoritatis, & filialis obedientiæ vtriuſq; à DEO inſtitutæ, ad laruatam illam hominum & ſomnijs excogitatam, ſine verbo DEI authoritatem & obedientiam, ò Monachos idiotas & truncos inſenſatos. Vos audetis ſcribere libros?

Authoritatis parentũ præſtantia.

Certè parentum authoritas, maior eſt omni authoritate, quæ ſub DEO eſt. Nam nulli dubium eſt, quin Iſaac rectè fecerit, obediens patri ſuo Abraham ad mortem, cum tamen nihil à Deo dictum eſſet Iſaac, niſi hoc vnum, Honora Patrem, &c. Proinde ſi paterna authoritas vbi res poſcat, in Vitam & Corpus quoq; filij dominatur, vt & occidere & vendere poſsit. Vt Exodi 22. ſcribitur, Quid noui eſt, in eſcam & veſtem quoq; dominari? Sed non mox talia exempla parentibus etiam ipſis imitanda ſunt, ſicut fecerunt Reges Iſrael, ſacrificantes exemplo Abrahæ filios ſuos Idolo Moloch, arbitrati ſe Deo obſequium præſtare. Quanto minus licet homini cuiquam, qui parens non eſt, ſine ſingulari DEI mandato alienos filios attrahere, & ſibi ſubdere, & parentes authoritate, & filios obedientia ſpoliando? Hoc eſt DEVM ipſum cum ſuo præcepto negando, ô feſtiuam Monaſticen, pulchrè ſcilicet per exemplum Rechabitarum probatam, & inuentam ſacrilegam, aduerſariam exempli

Imitatio exemplorũ.

Recha-

Rechabitici, & execrabilem vaſtitatem Diuini mandati, paternalis authoritatis, & filialis obedientiæ.

Sunt præterea & adhuc alia in Monaſtice, quæ pugnant exemplo Rechabitico. Et quid non pugnaret, quando ſumma ipſa pugnat? Primo DEVS non laudat opera ſed obedientiam. Nam etſi alia opera mandaſſet, æquè laudaſſet obedientiam eorum, Monaſtice verò tota in certis operibus merſa eſt. Deinde certum eſt Rechabitis, non ſic eſſe talia præcepta à patre ſuo, quod his operibus quendam cultum DEI ſingularem erigerent, hoc enim fuiſſet impium, nec hoc dicit Ieremias (Nam nihil prorſus geri debet in cultu DEI, ſine certo Verbo DEI vt diximus) ſed vſi ſunt eo exercitio liberè, pro corpore ſuo, ſicut alius agricultura. Hac modeſtia non incedit Monaſtice noſtra, ſed Sathana vehente ambulat ſupra ſe in mirabilibus & magnis, faciens ſuis ſtudijs non modo cultum DEI, ſed ferè vnicum & ſummum cultum DEI, abſq; vllo mandato DEI. Nam niſi cultum DEI prætexerent, nullus accederet, nulluſq; maneret. Hic eſt ille Baal Peor impudentiſsimus, ſtatuere temeritate propria altare nouum, & cultum DEI erigere ſingularem.

Rechabitarum abſtinentia corporis exercitium.

Monaſtice cultus Dei ſummus.

Adde quod Rechabitarum libera illa & corporalis ſanctio, non ferebatur ſuper res ſpirituales, quæ in manu noſtra non ſunt. Non enim illis mandabatur continentia, aut quicquam quod ad animam pertinet, ſed ſuper vinum & fruges, & ædes, quorum nihil non eſt in manu noſtra. At

noſtra Monaſtice planè furioſa ad ea vrget,quæ in noſtra manu non ſunt,nempe ad caſtitatem.Nam neq; Ionadab licuiſſet filijs ſuis imperare, quod in manu eorum non eſſet, etſi paterna potiretur authoritate. Et iſti inſani & alieni, ſuper filios non ſuos imponunt impoſsibilia illis abſq; vlla authoritate, ò furor & abominatio. Et adhuc Theſauriuora iſte audet comparare Monaſticen cum œconomice, cum differant ſicut infernus & cœlum, quod facit, quia cæcus in operum ſimilitudinem fertur, & rationem ac formam operum negligit,ſicut eſt mos Simiarum iſtarum, vt ſatisfaciat nomini ſuo, & ſic verè Schatzgeyer,id eſt,qui nobiliſsimos theſauros vorare ſtudet, ſcilicet fideles conſcientias iuuentutis.

Præceptum Ionadab nō rigidū fuit.

Quin & hoc certum eſt, non fuiſſe Præceptum Ionadab tam rigidum, vt ſi caſus tuliſſet non potuerit diſſolui aut diſpenſari, quemadmodum CHRISTVS de Sabbatho docet, Matth. 12. Abſit vt Ionadab vir Sanctus, rigidius voluerit ſuum præceptum ſeruari, quam Deus ſuum, ac non potius, vbi periculum corporis aut animæ ingruiſſet, iuſſerit omitti. Satis erat quod hoc inſigni exemplo probaretur, quam grata ſit obedientia parentum, ſcilicet præuidente DEO futuras illas Monachorum abominationes, quibus contrariam obedientiam erant tradituri. Hæc duo ſunt fermè omnium robuſtiſsima in ſpeciem totius iſtius libri, quibus ruentibus, nihil aliorum ſteterit.

Votum Hānæ, Matris Samuelis.

Sed in fine miror, cur non illud exemplum Samuelis magis vrgeat,vbi Hanna filium vouet Domino,Breuiter &

illud

illud tranſeamus, ne cuiquam infirmo ſcrupulum faciat. Primum & hic Parentis eſt authoritas, ſicut in Rechabitis, & ſolum ſuper corpus & rem externam, quæ in manu Samuelis eſſent. Non enim caſtitas, quæ in nullius manu eſt, vouebatur à matre, vt ſic iterum duplici forma ſit longè contrariarum votum monaſticis votis. Tertio, votum huiusmodi diuinitus præſcriptum & inſtitutum erat Leuitici vltimo, quod DEVS ſic curauerat, vt ſi quis vouere vellet, hoc ritu voueret, ne vota eorum eſſent temeritatis humanæ figmenta ſine verbo, qualia ſunt Monachorum. Nunc verò cum Ceremoniæ illæ ceſſarint, nullum eſt reliquum votum diuinitus præſcriptum, quam Baptiſmi.

Votum baptiſmi ſolum nunc reliquum.

Hæc volui, mi Briſman tecum parare, ne ſolus tædio afficereris in libello iſto, planè longè minoritiſsimo, in quo homo iſte miſerabilis ſic omnia diuina & humana confundit, vt videatur à Sathana ipſo obſeſſus. Obſecro, quis hoc non ſoli Sathanæ tribuat, tanta audacia torquere & deprauare diuinas voces, quæ omnibus Chriſtianis dictæ ſunt, ad ſectas non Chriſtianas, & ex ijs quæ præcepta ſunt, ſtatuere quæ præcepta non ſunt? Nonne hoc eſt os in Cœlum ponere, Sanctum DEI blaſphemare, & totam Scripturam negare? Ah, diſcite miſerabiles & infœlices monachi aliquando cum timore, & reuerentia diuina tractare, moniti tot exemplis, qui hactenus ſummis ludibrijs ſeipſos traduxerūt, præſertim huius Schatzgeyeri, qui nō potuit ante quieſcere, quam ſua inſipientia manifeſta fieret omnibus. Scilicet ſic oſtendit ſemper mendaces ſapientia, qui ſeſe maculāt, & ta-

Sathanica audatia.

& tamen illi inphryniti, nec maculare nec mentiri vnquam ceſsant. Gratia ſit tecum in qua benè vale. Anno M. D. XXIII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Cupit certior fieri de literis quas miſit Mattheo Poſch reddendas, Remittit Poſitioes Serranas, & ſpem facit Spalatino videndi literas ducis Georgii ad ſe datas, & ſuum reſponſum ad illas. In ſolitudinem ſeſe rurſus occultare recuſat, terræmotus in Hiſpania mentionem facit, & intercedit pro duobus Monachis.

GRatia & Pax. Dedi ad te literas Mattheo Poſch reddendas, qui & literis & verbis heri à me poſtulauit reſponſum, vnde conijcio nondum à te redditas, vel certè interceptas eſſe, ſi quid ergo certi habes certum & me facito. Remitto poſitiones Serranas, Literas Ducis Gèorgij ad me, & meas ad illum ſtatim videbis, mallem enim apud ipſos primum vulgari. Ne præſumas me denuo in angulum reuerſurum eſſe, Inſaniant Behemoth aut ſquamæ eius. Monſtra quotidie crebreſcunt, nam te audiſſe credo de terræ motu in Hiſpania. Fatigarunt me iſti duo ſupplices, vt eorum ſupplicationem per te Principi inſinuarem, Ego etſi ſpem non habeo impetrandi cum fuerint Monachi, quibus Princeps nondum vult palàm patrocinari, miſi tamen, vt

per te

per te habeam, quod eis reſpondeam, ne putent me potuiſſe & non voluiſſe eis ſeruire in hac re. Tu ergo fac quod noſti & reſponde, alias literas puto te accepiſſe. Vale 12. Ianuarij, Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.
Aulico Eccleſiaſti, Chriſti Seruo.

Spalatini interceſsione vult a Principe vel exiguum impetrari Stipendium Franciſco Lamberto exuli, Theologica ſincere docenti Vuitembergæ. A Marggrauio Georgio ſe purgatorias accepiſſe literas de quadam contumelia ab ipſo ſibi illata. In Liuonia Euangelium doceri indicat. Quid Princeps Anhaldinus, ob atrocem accuſationem Ferdinandi, ab ipſo fieri velit, & quid faciendum ſit monet.

GRatia & pax. Adeſt Ioannes ille Serranus, vero nomine Franciſcus Lambertus Imaginibus quoq; nobilis, inter Minoritas 20. annos verſatus et generali verbi officio functus, ob perſecutionem exul & pauper factus. De integritate viri nulla eſt dubitatio, teſtes ſunt apud nos qui illum & in Francia & in Baſilea audierunt, tum Baſilienſis Suffraganeus ille Tripolitanus cum Pelicano dant illi pulchrum teſtimonium. Et quanquam nos abundemus Lectoribus optimis, tamen ſi quid poterit non abijciemus, mihi per omnia placet vir, & ſatis ſpectatus mihi eſt, quantum homo ſpectari poteſt, vt dignus ſit quem in exilio paululum feramus & iuuemus. Sed

Franciſcus Lambertus.

tu meam noſti facultatem, vt non ſit opis meæ illum alere, qui ipſe alienis viuo, videretur mihi Principi perſuadendum, vt iam non perdat, ſed in charitate CHRISTO fœneret, 20. aut 30. florenos in eum collocandos, donec vel à ſuis tribulibus, vel proprio Stipendio ſeſe ſuſtentet de labore ſuo. Er wird nicht lang hie bleiben/acht ich wol/ denn er ſeins gleichen oder Meiſter hie wolfinden wird / Tantum vt exulis miſereamur. Vale in Domino.

Marggraffius Georgius ex Praga ſcripſit ad me, excuſans ſe de quadam contumelia ſuo nomine mihi illata, addens & Principi quoq; noſtro de eadem ſcripſiſſe. Magiſter Liuoniæ quoq; ex me petijt per nuntium & per Cancellarium eruditum virum, vt libellum ad ſuos populos ſcriberem de re Chriſtiana, aluntq; ibi verbi prædicatorem, & gaudent ſe Euangelion habere. Sic à Iudeis tranſit CHRISTVS ad gentes, & de lapidibus fiunt filij Abrahæ, quem ſui nepotes perſequuntur. Etiam Princeps Anhaltinus Ioannes per Doctorem Hieronymum & Franciſcanum quendam monuit, vt purgarem me ab ignominia, quod Ferdinandus Nurmbergę palam me arguerit nouo quodam Articulo, nempe, CHRISTVM eſſe ſemen Abrahæ à me doceri. Ego freneſin primum ioco accepi, verum ſic aſſerentibus, verum eſſe credere coactus ſum, vide monſtra & dignos rerum Chriſtianarum vindices. Vuitembergæ feria 5. poſt Hagnem, Anno M. D. XXIII.

Literæ Magiſtri Liuoniæ ad Lutherum.

Martinus Lutherus.

D. NICO-

SCRIPTÆ ANNO XXIII.

D. NICOLAO GERBELLIO.

Hortatur Gerbellium,vt conſtans in profeſsione purioris doctrinæ permaneat,nec ſcandalorum multitudine frangatur.

GRatia & pax.Cum nihil haberem quod ſcriberem optime Gerbelli,occurrit illud,quod omnium maximè ſcribendum erat, nempè,vt te viciſsim monerem, ne in tanto ſcandalorum tumultu diſsimilis tui fieres. In quam rem tibi reſtituo Sponſam illam,quam tu mihi olim exhibuiſti,adhuc certè integram & inuiolatam. Deinde quod mirum & nouum in ea muliere eſt, riualium infinitorū appetentiſsimam & pacientiſsimā,eoq; caſtiorem quò pluribus deſponſata ſit, vbi nec timida riualis cruciat, ſed maximè cōfœderat, hanc quæſo vel nobiſcum habeas communem. Salutat te riualis noſter Philippus Nigra terra. Vale bene cum vxore adoleſcentiæ tuæ.M. D. XXIII.Feria 5.poſt Hagnetem.

Martinus Lutherus.

ELECTIS DEI, ET DILECTIS IN Chriſto amicis & Fratribus Rigæ,Reuellæ & Tarbtæ, in Liuonia agentibus.

Gratulatur Liuonienſibus patefactam Euangelii Chriſti doctrinam, cuius oppreſsionem pleroſq; in Germania Tyrannos pertinaciter moliri quæritur, eiuſdemq; generis perſecutiones atrociſsimas ipſis quoq; expectandas præmonet,ad quas ſuſtinendas vt ſeſe præparent,animumq; obfirmatum habeant,atq; in agnita veritate Euangelica fortiter perſeuerent, grauiter ac pie cohortatur, de fide iuſtificante,& tandem vera ratione bonorum operum,breuiter & perſpicue eos erudiens.

Lux Euangelii apud Liuonienſes

GRatiam & pacem in Chriſto. Significatum eſt mihi per literas & coram, fratres in CHRISTO chariſs. vt DEVS Pater Domini & Seruatoris noſtri IHESV CHRISTI, etiam apud vos ſuo mirabili incepto opere, corda veſtra gratioſo veritatis ſuæ lumine cœlitus de miſſo illuſtrauerit, & ea vos benedictione conſecrauerit, qua adducti ex animo promptè & alacriter prædicatum vobis Euangelium ſuſcepiſtis, ceu viuum & veraciſsimum DEI Verbum, pro quo haberi & æſtimari debet ab omnibus. Quod tamen apud noſtrates locum non habet, adeò vt maior hominum pars illud nec audire, nec alijs audiendi copiam vult permittere.

Perſecutio Euangelii apud Germanos.

Verùm quanto maiorem DEVS nobis offert gratiam, tanto furioſius & crudelius Principes noſtri, Epiſcopi & omnes latæ ſquamæ Behemoth aduerſus DEI munificentiam obnituntur & furiunt blaſphemijs, condemnationibus, proſcriptionibus, inſectationibus, igne, ferro, vinculis, donec multis in carcerem coniectis, poſtremo quoq; nos paucos flammis combuſſerint. Quo flagitio id ætatis nouos CHRISTO Martyres in cœlum miſerunt. Quamobrem non iniuria beatos vos predico, qui penè à toto orbe, ceu alteri Britanni, diuiſi, in extremis terræ finibus, vt Gentes Acto. 14. ſalutiferum CHRISTI Euangelium omni cum voluptate exoſculati eſtis atq; amplexi, quod à Iudæis noſtris in hac Ieruſalem, imò Babylone potius ne dum ſuperbè contemnitur, ſed eius etiam audiendi copia omnibus ab ijs ipſis magna inuidentia intercluditur. Ira DEI venit ſuper eos, vt Paulus inquit, ſuper vos verò regnat pax & gratia DEI.

Quam-

Quamobrem amici chariſs. diuinæ miſericordiæ gratias agentes, tempus viſitationis veſtræ cognoſcite, ne gratiam DEI in vanum receperitis. Principio opera danda eſt vobis, ne mutemini in Galatas, à vero Euangelio translati, qui adeò ſplendidè & Chriſtianè vita inſtituta piè & vnicè in CHRISTVM credebant, mox tamen à Pſeudoapoſtolis in erroneam viam operum, hoc eſt, à vera fide in Iudaiſmum retracti ſunt. Venient enim haud dubiè mentita pietate lupi, ſublatis veris Paſtoribus à DEO vobis iam datis, quorum opera via veritatis blaſphemabitur, & vos iterum in Ægyptum ducemini, vt falſa & euicta DEI latria Diabolum viuentis DEI loco impiè colatis, à quo iam CHRISTVS ſuo cœleſti lumine vos miſericorditer redemptos adſeruit, inq; ſui cognitionem perduxit, vt crederetis firmiter, ipſum adeò ſolum eſſe noſtrum Dominum, Sacerdotem, Pontificem, Magiſtrum, Patrem, Seruatorem, Auxiliatorem, Conſolatorem & Patronum in perpetuum, in omnibus peccatis, morte, omni neceſsitate & defectu tam corporis quam animæ. Sic enim audiſtis & docti eſtis, vt, qui crediderit IHESVM CHRISTVM per ſanguinem ſuum citra noſtri meriti reſpectum, ſecundum miſericordem Patris omnipotentis voluntatem, animarum noſtrarum ſeruatorem & Epiſcopum eſſe factum, ea fides nudè, & ſine omnium operum acceſsione CHRISTVM nobis donet gratuito, cum omnibus quæ ſunt in CHRISTO bonis. CHRISTI enim ſanguis haud dubiè propterea nec tuus nec meus eſt, quod ieiunamus, multa

Agnitio viſitationis Lituonienſium

Galatarum defectio.

Vſus fidei in Chriſtum.

legimus,aut certas quaſdam preculas demurmuramus, ſed quia ſic credimus. Cui rei teſtimonio eſt Paulus Rom.3. Arbitramur,inquit,fide iuſtificari hominē absq; operibus legis.

Fidei effecatia.

Hæc fides tranquillum, lætum & pacatum nobis erga DEVM facit animum, ita vt cogatur eundem ex intimis viſceribus diligere,videns hanc eſſe fauoris DEI propenſam in nos voluntatem & miſericordiam, quod CHRISTVS ita nobiſcum egerit. Atq; hoc tandem eſt per CHRISTVM venire ad patrem,& â patre ad CHRITSVM trahi, & pacem cum DEO habere & agere,ſecuro & otioſo animo,mortem & omnia neceſsitatis diſcrimina expectare.Vbi nunc hæc fides præſto non eſt, ibi regnat cæcitas, ibi nullus eſt Chriſtianus, nec vlla diuina operis aut voluntatis mica aut ſcntilla.

Blaſphema doctrina Papæ de bonis operibus.

Ex hoc didiciſtis amplius omnem doctrinam hactenus nobis traditam, de nobis per opera iuſtificandis & ſaluandis, de abolendis & pro peccatis ſatisfaciendis, cuius generis ſunt inſtituta ieiunia, certæ præcationes, Peregrinationes ad ſanctos. Vigiliæ pro mortuis,fundare quod vocant Eccleſias aut Altaria.Monachorum & Monialiū ſtatus,Sacerdotum vita, impiam eſſe & diabolicam,& ſummam DEI blaſphemiam. Non aliam certè ob cauſam,quam quod falſo præſumit per nos ipſos hoc effectum reddere,quod ſolus adeò CHRISTVS ſuo ſanguine effecit & potuit, Qua quidem blaſphemia hoc impijs tribuitur & adſcribitur hominum operibus,quod DEI verbo & operi adeo ſolum fuerat imputandum. Porrò qui lumine Euangelico iam ſunt illuminati, perſpicuè vident &

liquido talia nugamenta Sacerdotum eſſe meras craſsiſsimorum errorum tenebras, quibus contemptis diuinæ gratiæ adhærens in CHRISTO manet, nulla ſuorum mæritorum habita coram DEO ratione. Et hæc eſt vnica ad cœlum via, & totius Chriſtianæ vitæ ſumma.

Poſthæc audiſtis hominem ſic credentem nulli quicquam debere, quam charitatis officia. Sicut docet Paulus Rom.13. & CHRISTVS Iohan.15. Hoc eſt præceptũ meum, vt diligatis vos inuicem, ſicut dilexi vos. Vbi enim ſunt CHRISTI Diſcipuli, illis opus non eſt, vt quicquam pro impetranda iuſtitia & ſalute faciant, quam ante CHRISTI ſanguine lucratam & paratam fidem in ſpe poſsident. Sic à CHRISTO adamati, opus non habent, vt ſeipſos ament, ſed quicquid pro ſe velint, aut quærere aut facere, hoc totum ſubleuando & beneficijs iuuando impendendum eſt, & ea bona opera, quæ illis non ſunt vſui aut etiam ſuperuacanea, in alium conferenda ſunt. Quemadmodum nobis CHRISTVM feciſſe videmus, qui ſanguinem ſuum paſſus eſt nõ pro ſe, ſed pro nobis peccatoribus fundi. Et hoc verum ſymbolũ & genuina teſſera, qua Chriſtianus non fucatus cognoſcitur, veluti CHRISTVS ipſe teſtatur. In hoc cognoſcent omnes, inquiens, quod Diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter vos mutuam. Et hæc ſecunda Chriſtianæ doctrinæ & Principalis pars eſt.

Officia charitatis.

Ita facite amici in CHRISTO chariſs. nec cõcedite, vt præterea quouis doctrinæ vento cõmoueamini, ſiue flante à Roma ſiue à Ieruſalẽ. Caput totius Chriſtianę doctrinę eſt fides in CHRISTVM & dilectio.

Summa doctrinæ Chriſtianæ fides

in CHRISTVM, & deinceps erga proximum dilectio: Indulgentiarum nundinationes, ſanctorum cultum, & quicquid præterea operum ad animarum noſtrarum vſum pertrahitur, vt venenum lethale & præſentiſsimum defugite & deuitate. Quod ſi verò huic doctrinæ Chriſtianæ adhærentes in fide perſeueraueritis, non eſt quod cogitetis aut ſperetis crucem vna cum innumeris perſecutionum procellis emanſuram eſſe. Veterator enim Diabolus ſanctitatem ſuam probro & riſui exponi ferre non poteſt, quam certis operibus per totum orbem erexit. Vos verò conſtantes eſtote, hoc reputantes animo vobiſcum, non melius debere agi, aut ſuauius victuros vos aut mollius, quam CHRISTVS Epiſcopus veſter vixerit, de quo, huius doctrinę gratia, vbi Phariſæorum ſimulatam iuſtitiam & fictam ſanctitatem reprehendiſſet acrius, ſupplicium ſumptū eſt. Eius Crucis ſarcina multum vobis erit neceſſaria, nec parum fructus & vtilitatis allatura qua præcipuè in ſpem firmam erecti, hanc præſentem vitam faſtidientes futuræ immortalitatis cupidi reddimini. Quo per hoc in his tribus, fide, ſpe & charitate parati ſitis & perfecti.

Crux & perſequutio.

Perſeuerantia in confeſsione Chriſti.

Sacramenta & res externæ.

Porrò quid dè Sacramentis & rebus externis dicendum ſit, abundè vos Concionatores veſtri docebunt. Vbi enim fidei, ſpei & charitatis rectus eſt vſus, ibi Chriſtianæ charitatis abuſum eſſe incredibile non eſt. Dominus verò noſter IHESVS CHRISTVS dignetur vos præparare, fortificare & cōfirmare idoneos regno ſuo cœleſti in omni ſapientiæ & cogni-

cognitionis ſuæ plenitudine, cui ſit honor & gloria, Amen. Has literas dilecti fratres boni conſulite, tametſi fortaſſe benè memores monuerim actum agens, tamen diligentiæ noſtræ erga vos cura eſt & ſtudium, etiam in rebus non neceſſarijs & tutis, eſſe ſolicitum. Verbi diuini miniſtros vobis commendo. Orate vos quoq; pro nobis, Amen Vuitembergæ, &c.

Martinus Lutherus.

EPISTOLA D. M. LVTHERI IN MEditationes Pſalmi 51. Fratris Hieronymi Sauanorolæ à Papa exuſti.

IHESVS.

GRatia & pax in CHRISTO. Meditationes ſanctas huius ſancti viri Hieronymi Sauanorolæ, tibi lector optime, exhibemus, quo & hoc exemplo videas, quales viros perdere ſoleat, perditionis illa ſedes abominabilis, vipera enim quædam ex eorum numero, qui titulo Franciſci inflantur & turgent, hunc virum perdidiſſe dicitur, nulla culpa, niſi quod Lernæ Romanæ optabat purgatorem. Et auſus quidem tum fuit Antichriſtus ille ſperare memoriam tanti viri extinctam iri, etiam ſub maledictione, ſed ecce viuit, & memoria eius in benedictione eſt. Canoniſat eum (quod aiunt) CHRISTVS per nos, rumpantur etiam Papæ & Papiſtæ ſimul. Deinde & hoc obſeruabis in iſtis lucubrationibus,

Cauſa mortis Sauanorolæ.

quam nulla ſit gloria operum in conſpectu DEI, & quam neceſſaria ſola & ſolida fides Miſericordiæ DEI, ſine omnibus operibus (quibus fidi poſsit) in iudicio & morte, quando hîc & ipſam fidem cernis luctari & ægrè ſuperare per verbum DEI, tantum abeſt, vt opera quicquã hîc poſſe confidas. Et quamuis aliquando humanæ Theologiæ lutum adhuc in pedibus eius hæreat, in qua multum videtur temporis perdidiſſe (quis enim per id tempus ab iſtis ſordibus ſatis purus eſſe potuiſſet?) tamen credendi, fidendi, ſperandi, in DEI Miſericordiam, diffidendi verò & deſperandi de nobis & noſtris viribus, hoc eſt Euangelicæ doctrinæ & Chriſtianæ pietatis, purum & pulchrum exemplum tibi monſtrat. Non enim per vota ſua ſubſtantialia, non per ſtatuta, cucullam, miſſas & opera ſui ordinis, eum incedere vides, ſed in præparatione Euangelij pacis, indutum lorica iuſtitiæ & armatum ſcuto fidei & galea ſalutis ſtare, non de ordine prædicatorum, ſed de communi ordine Chriſtianorum, Vale & imitare, Anno M. D. XXIII.

GEORGIO SPALATINO.

Rurſus intercedit pro Franciſco Lamperto, vt aliquid ſubſidij a Principe accipiat, & conſtantiam Cronbergii laudat.

GRatia & pax. Remitto tibi literas Melberinnæ, mi Spalatine,

latine, ſed tu nihil reſpondes pro Domino Franciſco Lamperto Gallo, quid apud Principem effeceris, certè vir bonus eſt & exul, nobis autem graue eſt eum alere in totum, grauius autem deſerere. Nam abſq; dubio CHRISTVS in ipſo pauper eſt nobis exhibitus, quanquam ſi nihil tu impetrabis, non deerit CHRISTVS aliundè ſuis. Stipendium non peto pro eo, ſed vt aliquando iuuetur, vel ſemel adhuc 10. aut circiter aureis, ſic vides me pro alijs fieri mendicum, qui pro me nihil egeo, ſed & Staupitius nihil nobis pendet forte neq; pendebit. D. Hartmannus Cronbergius iunctus Alberto Comiti à Mansfeld nobiſcum eſt, & vtrumq; in monaſterio prandio excepimus, vir tanta paſſus adhuc ſatis firmus in fide ſtat, vale & reſponde, feria 4. poſt Inuocauit, Anno M. D. XXIII.

Elemoſina pro Franc. Lamberto.

Martinus Lutherus.

EPISTOLA D. M. LVTHERI AD Præpoſitum & Canonicos Eccleſiæ omnium Sanctorum Vuitembergæ.

Grauiter cohortatur Sacrificulos Collegii omnium Sanctorum, vt ceſſent ab impiis ſuis cultibus, & aboleant ceremonias ſuperſtitioſas, & minatur ſe diutius ipſorum abominationes non toleraturum, cum ſatis ſuperq́;, & viua voce & ſcriptis de Euangelio ſint edocti, vt ignorantia errare non queant.

GRatiam & Pacem. Egregij venerabilesq; Domini, cogit me Euangelij cauſa, quo nos CHRISTVS magnificè in hoc loco donauit his meis literis (quando coram quid facere congruum non erat) V.D. humilem meam precationem offerre, quam rogo per CHRISTVM dignentur D.V. benigniter admittere. Sublatus eſt de medio vnus & alter, & is præſertim, cuius cauſa pluſquam per annum tolerauimus ea, quæ in templo & cultu veſtro pugnant cum Euangelio noſtro. Satis datum eſt infirmitati amicorum, & video multorum hanc tolerantiam fieri occaſionem pertinaciæ & ludibrij aduerſus Euangelion, vt ipſa neceſsitas & tempus poſtulent, vt aliquando offitium meum ſuſcitem. Quare ad Euangelicam normam primò priuatim D.V. in CHRISTO moneo, ac requiro vt communi opera curent aboleri, quicquid abominationis intolerabilis Euangelio hactenus toleratum eſt. Nam deinceps V.D. latere neq; decet neq; poteſt, quid Chriſtianum aut non Chriſtianum palam in loco iſto faciat, quando tot ſermonibus & libris vulgatum eſt Euangelion, vt id pueri & puellæ & penè inſenſati ſciant & conſcientia mea ob creditum mihi miniſterium amplius me tacere non eſt paſſura. Faciant ergo D.V. id ſponte, quod faciendum pulchrè norunt, ne mihi neceſſe ſit vos publicè offendere, participes ſunt D.V. huius loci, aëris & omnium rerum, ideò cogitare debent, nobis diutius non eſſe faciendum, vt cõmunicemus vobiſcum ſolitis abominationibus, deditis aduerſus Euangelion, quod iubet vitare fratres, qui non acquieſcunt

Priuata admonitio Lutheri, ad Canonicos Vuitemb.

quieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri. Aut ergo publicum iſtud ſcandalum tollendum eſt, aut Chriſtiano nomine carendum, gratia Domini noſtri vobiſcum, Amen. Ex Cœnobio noſtro M. D. X X I I I. Dominica Reminiſcere.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Narrat ſe Schuueinitzii compatrem factum fuiſſe, vna cum Doctore Iona, & vinum optimum ex cella Principis bibiſſe, & quædam refert de Principum decretis in conuentu Nurmbergenſi, ad prolata Papæ Legatorum.

GRatia & pax. Non potui tam propè conſiſtens, vt etiam Locham viderem, ad te non ſcribere, vt ſcires certè, me hic eſſe ſeu fuiſſe, mi Spalatine. Fui autem hic & è Bernhardo natum nouum CHRISTO fratruelem baptiſari vidi. Cecinimus & ipſi cum Eſaia, Canticum fratrueli in cornu & filio olei dilecto noſtro. Certè è Principali cella bibimus vinum bonum & purum, & futuri eſſemus pulchri Euangelici, ſi ſic Euangelion nos ſaginaret. Vuitembergæ habemus decreta Nurmbergæ per imperijProceres ædita, ad legationes Papę, mirè libera & placentia, excuſa autem habemus & latina & vernacula, quæ, niſi & tu habes, ad te ibunt. Maurus ille Vormacienſis cantor, quem noſti, cum alio quodam erudito Canonico Friderico nos acceſsit, literis ſacris operam daturus aliquandiu apud nos. Optimum virum eſſe tu noſti.

Decreta Principum ad Papæ Legatum Nurmbergæ.

Vale & excuſa nos apud Principem, quod tantum vini Corn bergici linxerimus. Ionas te ſalutat ſimul cum vxore ſua compatres & commatres mecum, & ſteterunt ibi tres iſtæ virgines certè ſaltem Ionas, qui virgo nobis dicitur, quod nihil gignat, E. Schuueinitzio, Dominica Oculi, Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Petit vt Spalatinus ipſe vel Principis vel ſuo nomine quendam Pictorem homicidii reum conſoletur, vt de promiſſo tuto receptu nihil dubitet.

GRatia & pax. Libera quæſo me à moleſtia iſta, mi Spalatine, eſt apud Lucam Mercenarius Pictor, Hans Schmal: qui ante annos forſitan duos apud Principem vel obtinuit, vel ſupplicauit, vt ſub ſua ditione tutus ageret donec cauſa homicidij ſui componetur: Nunc quantum video, conſcientia vexatur, & vt dicit, verbis domeſticorum punctus, metuit omnia periculoſa & proditionem ac captionem ſuſpicatur, petit ergo miſer per me, vt reſcire poſsit, an Princeps ſit mutatus, & deſinat ei tutam præſtare terram. Meis verbis & aliorum non ſatis credit, quantumuis ei inculcem non eſſe talem Principis animum, nec Lucam paſſurum proditionis aut captionis dolum, niſi prius indicet aut moneat. Sic eſt enim miſera conſcientia cuiuſq; Rei. Tu

Rea con-
ſcientia.

Tu ergo & me liberabis & illum quietabis, ſi vel Principis nomine, vel tuo (cum certum ſit à Principe nihil tale metuendum) ſcribas, & nos certos feceris, vt ſic officium fraternæ conſolationis impleamus. Nihil enim tenerius tractari debet, quam rea conſcientia, quæ ſibi ipſi ſatis eſt pœnarum. Vale & ora pro me. Vuitembergæ, Anno M.D.XXIII. feria 3. poſt Oculi.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Commendat Spalatino Puellæ cuiuſdam Torgenſis cauſam matrimonialem.

GRatia & pax. Puella eſt è Torgau, quæ poſtulat ſponſum ſuum, nempe Principis noſtri Barbætonſorem, oſtentans annulum & fractum numiſma pro arra ſibi datum, dicitq; per Principis Senatores quoq; Torgæ eſſe definitũ, hic præſentibus D. Schuuertfeger & Chriſtanno cum Præceptore pro vero & legitimo matrimonio, illum vero alijs ſuadentibus nunc detractare promiſſum, rogat igitur ne Princeps patiatur ſic illudi promiſsionem. Tu verò noſti quam nos ferre non debeamus ſexum illum per ſeſe miſerũ opprimi, tum quod multis paſsim exemplis peſſimis illuditur puellis, per inphrynitos illos & indiſciplinatos. Cura ergo apud Principem pro tuo officio, ne leſæ fidei huius quærela latius aut diutius audiatur, Vale & ora pro me, Anno M.D.XXIII. Vuitembergæ, ſabbatho Paſchatis.

Martinus Lutherus.

PRÆFA-

PRAEFATIO D. M. LVTHERI IN MInoritarum Regulam Franciſci Lamberti Galli Theologi.

GRatiam & pacem. Vide quæſo Lector chariſsime, quam verum nimis factum ſit, quod CHRISTVS ait, FILIVS HOMINIS CVM VENERIT, PVTAS, FIDEM INVENIET IN TERRA? En tot hic Sectarum genera (vt ſpecies & indiuidua taceam) quarum quælibet, proprio furore, ſingularem ſalutis viam, vltra & præter CHRISTVM inuenit. Quid reliquum quæſo vel CHRISTI vel fidei in terra relinquerent? Planè iocum dixeris diluuium ſub Noe fuiſſe, ſi has cataractas, nubes, & tempeſtates hypocritarum ſpectes. Inter has tamen perditiones, primum locum, multiceps illa, & multipes, ac multicolor peſtis Minoritica ſecta merito obtinet. In qua non Franciſci exemplar nobis (vt iactant) referunt, ſed mendacijs & fucis maiorem orbis partem ſecum perdunt, vt quando Euangelion, cõtra totum iſtarum laruarum cahos impetum facere cepit, meritò in hos primum & maximum facere debeat. Id oneris ſubijt Franciſcus Lambertus, vt qui probè eos intus & in cute noſcens, myſteria pulchrè poſsit prodere, quæ magna ſui pernicie & didicit apud eos, & nunc miſerante CHRISTO ceu extremum auriculæ ex ore lupi ereptus eſt ab iſtorum perditione. Lege igitur felix, ac vide CHRISTVM non ſolum in Luthero, ſed & in multis alijs ſuis vaſis iraſci

& vlciſci

& vlciſci ſeſe,de purpurata illa & ebria meretrice,fornicatio num matre,ſimulq́; nobiſcum ora, vt quod cepit in nobis perficiat,Amen Vuitembergæ, M.D. XXIII.

D. IVSTO IONÆ, PRÆPOSITO Vuitembergenſi.

Exhortatur D.Ionam maritũ,vt reſponſum ædat contra libellum Ioannis Fabri de cælibatu, & cur ipſe non reſpondeat cauſas exponit.

GRatia & pax. Tibi relinquo Iuſte Iona, miſerum hunc Compilatorem,& coniugij ſacri criminatorem,Ioannem Fabrum Conſtantienſem Vicarium, vt & tu præludia Theologiæ tuæ in illum exerceas, & à me iam olim profligatum hunc Hectora ſagittis confodias.Neq; enim hic opus eſt confutatore,vbi palàm blaſphemus ſcriptor eſt, vide autem vt afficiare & caleas in aſſerendo ſacro Matrimonio. Quandoquidem ille tam miſerè friget & ſordet planè in aſſerendo miſerrimo ac prophano cælibatu. Habet ille cauſas, cur frigeat, nempe quod Sacrilegus humanis figmentis nititur aduerſus verbum & opus DEI. Tu autem niſi totus arſeris per ignem illum maximum qui montes exurit, imprecabor tibi certè, vt vxorcula tua parum te amet, vt ſcias quanto periculo tibi conſtarę debeat hic ludus. Lude ergo, & ſerio lude,nam ſpectat & vxor, cuius calculum tu videris quanti facere te deceat, primo coniugij anno, niſi & hunc ignem non ſentis. Ioannes Faber criminator Coniugii.

Rationes Lutheri cur ipſe Fabro non reſpon deat.

Quod autem ipſe non reſpondeo, primùm ea cauſa eſt, quod nihil affert, quod non ſit antea, non vno libro à me con futatum, victum atq; triumphatũ. Totus enim Faber nihil eſt niſi Patres, patres, patres, Concilia, concilia, concilia, quæ fabula iamdudum mihi ſurdo, etiam à noſtris Lipſenſibus Theologiſtis imò Aſinis deruditur. Deinde quod tanta collu uie tot dictorum, ab hominibus ſumptorũ, non videatur Pa pam ac Papiſtas voluiſſe defendere, aut Lutherũ impugnare, ſed oſtentare, ſeſe multos libros vidiſſe, quam gloriã planè nõ inuideo tam inquieto Ardelioni. Neq; enim mihi vnquã ſuſcepta cauſa aduerſus Romaniſtas, de libellis viſis vel nõ viſis, (nam & canis meus multos libros quotidie videt) ſed de Scriptura ſacra, neq; lecta benè, neq; ſanè intellecta. Hanc ca ueã cum ille ne attingat quidẽ, in tam grandi toto libro (tan tũ abeſt vt agat) quid reſponderẽ? cõmunis & perpetuus furor hactenus fuit omniũ Papiſtarũ in me ſcribentiũ, vt cõtra Lutherũ ſcribant omnes, cõtra Luth. cauſam ſcribat nullus.

Sed iuuabo & ego glorioſum ardeliunculũ iſtum (quandoquidẽ magna pars in Luthero immortalitatẽ ſolum nominis quærunt) & nomen eius calamo meo celebrabo. Meo ſanè iudicio vtiliſsimus foret hic Faber Magiſtris noſtralibus Colonien. qui ſi denuò aliquod copulatũ nouum congerere vellent, hunc Fabrum conducerent, Certè in hac re tenui, tali præſertim viro, non tenuis ſurgeret gloria, tum illis non malè eſſet conſultũ, tam diligenti ſcilicet compilatore & copulatore. Nec video ſi in eum vſum non locetur hoc ingenium,

qua

qua ratione tam ardentis voti ſui, in gloriam immortalem, compos fieri poſsit, cum intelligat nihil, & facile cōpilet omnia. Verum, iocus ceſſet, ego neq; Fabrum, neq; alium quemuis Papiſticorum bellatorū ſic ineptire admiror, Satanam in illis regnantem admiror, quid nam potens, ſapiens, callidiſsimus & malignus ille ſpiritus cogitet, vt nihil aliud per hæc organa ſua quam inſulſa & ridicula moliatur, qui hactenus non ſic ineptire viſus eſt. Niſi id monſtri in me alat, quod vbi cernit rem factam eſſe ſeriam, nec ſe poſſe verbo DEI in nobis reſiſtere, incipiat inſano & ſtulto multiloquio nos morari, tempusq; furari, ac melioribus impeditis, tædio vincere. Nequam ille certè, ſed nec ſic proficiet, nō dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael, fallet eum ſpes ſua. Ego enim Patriſtas, Concilijſtas, Copulatiſtas iſtos cōtemnam, ac præterire ſinam, ſicut Cato ſuos vitiligatores, Vobis autem maritis Thelogis relinquam, quibus eſt otium, vt & vos habeatis, in quibus periculum veſtri ſine periculo faciatis. Nam in victorijs meis vos pugnabitis, & victos meos vincetis, ne & ipſi fruſtra in harenā prodijſſe ſe quærulari poſsint. Dono igitur Patriſtis & Copulatiſtis illis ſine inuidia, vt mecū immortales fiant, ſicut Iudas cum CHRISTO, Et Chore cum Moſe. Fabrū autem præterea ſeorſum Thuregum mitto ad Huldricum Zuuinglium, illic Stratagemata ſua cōſummaturū, ego alios expecto Antagoniſtas. Vale mi Iona, & ora pro me, etiam pro iſto Fabro, Amen, Vuitembergæ, Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, VVENCESLAO LINCO.

Recenſet conuiuas, qui ad eius nuptias ſint venturi, & indicat illi nouem Moniales e Monaſterio Nimpſchen aufugiſſe & Vuitembergam veniſſe.

Nuptiæ Vuenceslai Linci.

GRatia & pax. Ego, Philippus, prępoſitus, D. Hieronymus Pomeranus, Prior noſter & Iacobus, Ioachimusq́; certiſſimè veniemus, niſi Dominus ſingulariter impedierit, quod nollemus. Carlſtadius non eſt domi. Deinde Hieronymus Crappe & Meſter Lucas. Deinde an vxores Præpoſiti & Hieronymi ſimul veniant, adhuc fluctuat definitio. Ego heri ex Nimpſchen Monaſterio nouem moniales ex captiuitate accepi, inter quas ambæ Zeſſatienſes & Staupitia. Vale cum Sponſa in Domino, feria 4. Paſchatis, M. D. XXIII.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Rogat Spalatinū, vt a ditioribus in aula aliquid elemoſynæ colligat pro aliquot virginibus veſtalibus, quæ Monaſteria deſeruerunt, vt Vuitembergæ inde alantur, donec alia ratione honeſte ipſis proſpiciatur. Sordes & duritiem Vuitembergenſium in hoc genere officii accuſat. Sebaſtianum a Kotteritz propter eius pietatē ac dexteritatem adminiſtrationi Aulæ Ducis Ioannis præficiendum cenſet.

GRatia & pax. Ad me venerunt nouem iſtæ apoſtatæ Moniales. Vulgus miſerabile, ſed per honeſtos ciues Torgauien-

Torgauienſes aduectæ, nempe per Leonhardum Coppe & fratruelem ſuum, & Vuolffium Tomitzſch, vt nihil ibi ſit ſuſpitionis iniquæ. Miſeret me illarum valde, maximè autem & aliarum, quæ vbiq; in tanto numero pereunt maledicta & inceſta illa caſtitate. Sexus iſte per ſeſe longè infirmiſsimus & ad virum natura imo diuinitus coniunctus, tanta crudelitate ſeparatus perditur. O Tyrannos, ô crudeles parentes & cognatos in Germania. Sed te Papa & vos Epiſcopi quis dignè maledicat? Quis veſtram cæcitatem & furorem talia docentem & exigentem ſatis execretur? Sed hic nõ eſt locus. Quæris quid cum illis agam? Primùm cognatis ſignificabo vt eas ſuſcipiant, qui ſi nolint, curabo eas alibi ſuſcipi. Nam eſt mihi promiſsio facta ab aliquibus, aliquas etiam matrimonio iungam vbi potero. Sunt autẽ hęc earũ nomina, Magdalena Staupitz, Elſa de Canitz, Aue Groſsin, Aue ſchonfeld, & Soror eius Margaris Schonfeld, Laneta de Golis, Margaris Zeſſchau, & Soror eius Catharina Zeſſchau, & Catharina de Bora. Tales ſunt quibus opus eſt miſericordia verè, in quibus CHRISTO ſeruitur, ſatis autem mirabiliter euaſerunt. Te autem oro vt & tu opus charitatis facias, & pro me mendices apud aulicos tuos diuites aliquid pecuniæ, qua eas ad octiduum, vel quindenam aliquam alam, donec eas commodè ſuis cognatis aut meis promiſſoribus tradam. Nam mei Caparnaenſes ſic proficiunt ex tanta opulentia quotidiani verbi, vt nuper ipſe in meam perſonam pro quodam paupere ciue decem florenos mutuò inuenire non poſ-

Nomina Veſtalium virginum.

ſem, pauperes non habent qui libenter darent, & ditiores aut negant, aut ſic difficulter cædunt, vt aut neceſſe ſit eos amittere gratiam dati apud DEVM, aut me perdere meam libertatem, ſed nihil alienum hoc à mundo & ſuo ingenio. Deniq; ego pro meo ſtipendio annuo tantum 9. antiquas ſexagenas habeo, præter has ne obulus quidem aut mihi aut fratribus é ciuitate accedit. Sed nec poſtulo ab eis, vt gloriam Pauli æmuler, vtcunq; alias Eccleſias ſpolians, vt Corinthijs meis gratis ſeruiam. Eſt & aliud quod toties volui ad te ſcribere, toties oblitus, Miror cur Princeps noſter, cum ſciat apud Ducem Germanum Iohannem eſſe tales patresfamiliâs, vt quotidie peſſum magis eat res, non illuc aſſumat Baſtianum illum Kotteritzium virum, vt quotidie factis & exempiis probat, mirê dextrum in rebus adminiſtrandis. Etenim & ipſi Kotteritio velim equidem conſultum, ſed multo magis curiæ iſti Principali, præſertim vt optimus Iuuenis Princeps Ioannes Fridericus futurus rector, aliquo egregio exemplo diſceret rem curare & hominum fraudes melius intelligere. Nam ij qui modo illic regnant, me malè habent, ſic diteſcentes & Principe decreſcente, ſuggeras quæſo hoc nomine meo Principi. Nam adiutum valdè velim eum locum tali viro, qui & pius ſit & dexter ſimul. Vale & ora pro me, Vuitembergæ,

Sebaſtianus a Kotteritz.

Anno M. D. XXIII. feria 6.
Paſchatis.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Mittit exemplar Epiſtolæ irati Ducis Georgii, & oſtendit quid ſtolidiſſimum in ea ſibi videatur, ſe Febri correptum & mortem optare ſignificat.

GRatia & pax in Domino. Mitto exemplar irati viri ad me ſub fide datum, lege ergo & remitte. Optimū quod in tanta ira vidi hoc eſt quod ſtolidum caput dicit, Ego, ego, ego faciam, nihil de DEI primum voluntate ſolicitum. Dominus miſereatur eius, ſi tamen vnquam ſtultos & fatuos (vt dicitur) curare ſolet DEVS. Noua alia nulla, niſi quod febrim è balneo contraxi, DEO gratia, vtinam & mortem alicunde mittat Dominus, & liberet me miſerum de his malis mundi, Vale & ora pro me die Martij, Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Commendat Spalatino Præpoſitum noui operis Hallenſis, qui ex monaſterio iſto aufugerat, ac iram Cardinalis metuebat, ac mittit ſupplicationem Electori offerendam.

GRatia & pax in Domino. Petit hic præpoſitus noui operis Hallenſis, vt ſeſe tibi commendem. Metuit enim ne Cardinalis Moguntinenſis eum acrius apud Principem deferat in cauſa ſua, quæ talis eſt, vt bono fine ſperem componendam. Fugit quidem, vt homo Principis ſui indignationem formidans, ſed iuri ſeſe ſtare offert, & rationem reddere

Fuga præpoſiti noui operis Hall.

reddere impetrata fide & tuto loco. Fac ergo ſi opus ſit, homini proſis vbi poteris. Neq; malus vir eſt, neq; indignus cui adſis. Accuſatur etiam ſublatæ alicuius ſummæ, quod verum eſſe vellem, modò occultum eſſet, ſed facilis eſt res iſta excuſatu. Deinde ſupplicationem hanc pauperrimi Sacerdotis Friderici & ſenio & penuria valde preſsi, tibi ſtudioſè commendo, vt Principi porrigas. Opus bonum eſt, quod illi præſtatur. Vale & ora pro me Vuitembergæ, feria 3. poſt Miſericordias Domini M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Agit de literis ad Nobilem virum Ioannem de Plaunitz Aſſeſſorem Cameræ Imperialis a ſe ſcriptis, & de fuga Præpoſiti noui operis Hallenſis.

Hæ Literæ Lutheri in Tomo 2. Germanico Ihenenſi habentur folio 207.

GRatia & pax. En Literas Plaunitij, ſed ſcribit mihi Ioannes Aureus non eſſe ei redditas priores literas Plaunitij ad me datas, quas ad te miſi vt illi redderes, è quibus diſceret, quid ſibi in cauſa ſua ſit faciendum, id ſi nondum monui adhuc moneo, vt eas ad illum mittas, miſerè expectantem reſponſum eiusmodi. Apud nos eſt profugus Præpoſitus noui operis Hallenſis, longæ ambages, longa eſt hiſtoria, ſed ſpero cum pace omnia componeda breui. Nam in hoc & Doctor Aurbach heri hic fuit. Parturit hic annus perpetuò monſtra noua. Vale & cura quod rogaui, feria 3. poſt Miſericordias Domini. M.D.XXIII. Martinus Luther.

NICOLAO

NICOLAO HAVSMANNO.

Exponit ſuam ſententiam de Pighardis & Bohemis, & pollicetur ſe æditurum in lucem formulam Miſſandi & communicandi, ac omnes vtraq; ſpetie eſſe communicandos aſſerit.

GRatia & pax. Cætera latius cum tuus ad te redibit nuntius optime Nicolae. Nunc fortuito iſti baiulo has mandaui ad te. De Pighardis iam non malè ſentio, audita eorum præſentibus ipſis fide circa Sacramentum Euchariſtiæ. Bohemos qui paruulos communicant non probo, quanquam non in hoc hæreticos cenſeo. Ego diu meditatus ſum formam Miſſandi & communicandi præſcribere, nec potui hactenus abſoluere. Propoſitum tamen eſt, futuris diebus communicationis, nullum admittettere niſi auditum, & dextrè pro fide ſua reſpondentem, cæteros excludemus. Arbitrorq; ſatis eſſe indultum infirmis hactenus, eſſeq; integrum Sacramentum reuocandum, & omnes vtraq; ſpecie communicandos, qui volunt & intelligunt, nihil prorſus ſcandali ratione habita, ſiue vicinorum ſiue aliorum. Sed ecce feſtinat nuncius, aliâs latius. Vale & ora pro me. Vuitembergæ.

Pighardi. Ratio Miſſandi. Communio ſub vtraq; ſpecie.

Tuus Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Narrat Præpoſitum Hallenſem ex Vuitemberga ablegatum eſſe, vt effugeret inſidias Cardinalis.

GRatia & pax. En vt voluiſti Præpoſitum mox acceptis tuis literis curauimus abſcedere, vt indices quid ſcri-

bat Princeps Cardinali, quanquam ô cardinales & Principes. Nam gratioſas ad Præpoſitum dedit Cardinalis literas, blandè inuitans eum, & ego humilimè pro eo ſcripſi, omnia vtriusq; partis optimè interpretatus, ſed fortè nondum peruenerunt literæ, & hæc in tergum molitur illius Cardinalis. Cæterum differri etiam vellem reſponſum Principis ad Cardinalem, quo Præpoſitus latius & remotius tutiusq́; abire queat. Vale & ora pro me, 4. feria poſt Miſericordias Domini, Anno M.D.XXIII.

Interceſsio Lutheri apud Cardinalem pro Præpoſito.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Expoſtulat cum Spalatino ob dimiſſam mulierem pauperem, non data aliqua liberali Elemoſyna, pro qua ſua Epiſtola interceſſerat. Inſtat poſtea, vt aliquid a Principe emendicet aliquot virginibus monaſterio egreſsis, vnde alantur.

GRatiam & pacem, &c. Mi Magiſter Spalatine. Miror quare mulierem hanc remiſeris, cum meam manum egregiè noris, & ſolum id ſis cauſatus, non eſſe ſignatas literas. Sed eſto aliqua hic cauſa, quam nec ſcire deſidero, nunc ſaltem rogo nomine meo & illius mulieris ora Principem, vt aliquid vel 10. illos florenos & Tunicam vel nouam vel veterem donet, vel aliud. Si non fui aut non ſum ebrius, certè ſororem eam eſſe intellexi Patris legitimi non naturalis Præceptoris Lichtenbergæ, ſed quid hoc ad rem? Fac ergo officium tuum, ſedes enim eo in loco vexationis. Ego in meo quoq;. Cæterum & collectæ noſtræ non obliuiſcaris, ſimul & Prin-

& Principem volo moneas meo nomine, vt contribuat, o ich wils ſein heimlich halten / vnd niemands ſagen / quod ipſe dederit quippiam pro Apoſtatis iſtis virginibus inuitò dictis & ſeruatis. Vale & ora pro me, Vuitembergæ, feria 4. poſt Miſericordias Domini, Anno M. D. XXIII.

Elemoſyna pro Veſtalibus virginibus.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Rurſus flagitat Bethauen Vuitembergenſem demoliendam eſſe, & alios pios viros ſubrogandos qui impietatem deteſtentur, & ritus laudabiles reſtituant.

GRatia & pax. Iterum ſcribo, mi Spalatine, motus & mea & aliorum ratione. Nunc enim tempus eſt Bethauen iſtam infirmandi, quæ hactenus magno ſcandalo tolerata eſt aduerſus tantam puritatem verbi nobis è cœlo dati. Tentandus amplius DEVS non eſt, igitur adiuua ſicut te velle ſcio & ſicut potes. Si nihil aliud fieri poteſt, vt ſaltem tales viri inſtituantur, qui contemnant iſtas abominationes, tum demum ſpes erit, vt abſq; Principe inter ſeſe laudabilem ritum pſallendi eo loco erigant exemplo Corinth. 14. Quod ſi nec hoc fieri poteſt, ſanctum eſt differre inſtituendos potius, quàm denuò Sacerdotes Ieroboam reſuſcitare. Dandum eſt hoc gloriæ verbi quod apud nos eſt, ſicut tu ipſe omnia melius & noſti & optas, Vale in Domino M.D.XXIII.

Bethauen Vuitembergenſis.

Martinus Lutherus.

NICOLAO HAVSMANNO.

Conquæritur de multitudine ſuorum negotiorum, & petit pro ſua valetudine fieri preces.

GRatia & pax. Redit ad te adoleſcens hic, optime Nicolae, acceptis â me, quæ habui & potui, voluit autem & ad te literas meas. Tu ergo fac quod CHRISTVS docet. Cæterum ego corpore ſatis benè valeo, ſed tot diſtrahor externis actibus, vt ſpiritus propè extinguatur, raroq; ſui curam habeat. Ora pro me, ne carne conſumar, Saluta omnes domeſticos fidei, ac vale in Domino. Vuitembergæ die Pentecoſtes M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Reſpondet an nomine Ducis Saxoniæ Georgii aliquid cum eo actum ſit, & quid Comes Albertus Mansfeldenſis apud ipſum tentarit. Tandem de literis ſuis ad Epiſcopum Magdeburgenſem & de nuptiis Vuenceslai Linci agit.

GRatia & pax. Miror quid velis ijs verbis, vbi dicis, ſi velim recordari, eſſe aliquid nomine Ducis Georgij mecum actum, præter illam primam Epiſtolam. Aut tu aliquid futurum diuinas aut erras, niſi illud putes, quod Comes Albertus non quidem nomine Ducis Georgij, ſed ſuo ſolius nomine mecum egit in eadem cauſa. Aliud prorſus nihil neq; ſcio neq; memini. Comes Albertus hoc egit, vt ſi qua fieri poſsit ſalua Euangelij gloria, vt Tyranni amentiam leniori aliquo reſponſo mitigarem: Tum ego reſpondi, ſi ſalua ſit gloria Euangelij, velle me non ſolum illi ſed omni hoſti eſſe deditum ſeruum, ſicut decet Chriſtianũ, permiſiq; vt Duci Georgio de me nihil non polliceretur, ſi ceſſet furere in verbum

Actio Comitis Alberti Mansfeldenſis cum Luthero, nomine Ducis Georgii

bum DEI. Rurſus ſi pergat furere, nihil minus me facturum, quam quæ furenti miſeriæ & cæcitati placerent. Non putaſſem caput iſtud tam ſtolidum & inſanum eſſe. Sed hæc omnia credo iamdudum tibi nota. Aut etiam illud ſuſpicaris, quod Epiſcopo Magdeburgenſi ſcripſi humiles & exhortatorias literas, qui per Præpoſitum noui Operis egregiè reſpondit, ſed nunc iterum mutatum audio per libellum de poteſtate gladij. Vuenceslai noſtri nuptias miraculo exceperamus ante tuas literas. Quam pulchrè prodit Sacrilegus ille cælibatus, per vim & metum hactenus infeliciter exactus? Gaudeo tamen tanti viri nomen ſtultum fieri in confuſionem falſæ iſtius continentiæ. Vincet hoc ſcandalum gloria Euangelij, Vale & ora pro me. Vuitembergæ M. D. XXIII.

Nuptiæ Vuenceslai Linci.

Martinus Luther.

GEORGIO SPALATINO.

Interpretatur locum Matthei 18. de Remiſsione peccatorum. Intercedit etiam pro D. Nicolao Amsdorffio, vt conſtituatur Decanus in Templo omnium ſanctorum apud Vuitembergenſes.

GRatia & pax. Nihil mecum actum eſt nomine Ducis Georgij. Mira enim & hæc de me & in me mentiuntur vanæ linguæ. Locum Matthei 18. accipio vulgata ſententia ſeptuagies ſepties, id eſt, toties quoties, numero certo pro incerto, ſicut fermè vtitur Scriptura vocabulo ſeptem in Leuitico & aliàs. Porrò ipſa res non pertinet ad ſolam priuatam remiſsionem, ſed ad publicam. Quia Euangelium eſt vox

Locus Matth. 18. de publica remiſsione.

remiſsionis, & vox remiſsionis eſt Euangelium, ideò nullo loco, tempore, perſonis, cauſis, debet circumſcribi, ſed libero vſu, vbiq; & ſemper & omnibus impendi. Gratias agit Prior & ego pro mandato Principis contra Staupitium, Vale & ora pro me. Feria 6. eligentur Decani & Canonicus, quàm vellem autem vel Amsdorffium vel ſimilem fieri Decanum authoritate Principis, & Pomerano interim cedere Amsdorffij cenſum, & ſimiliter Rachaelis cenſum alicui in Collegio legenti, quo leuaretur Principis camera, & ſimularetur interim differri Canonicorum inſtitutio, donec res per ſeſe cadat. Vale, M. D. XXIII.

Electio Decani in Diocæſi Vuitembergenſi.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Illuſtriſsimo Principi & Prioris & ſuo nomine gratias agere iubet de ſolutione Brauii, Gemmas Lucæ Pictori redditas indicat, & de dicto Chriſti, Multa habeo vobis dicere, ſed iam non poteſtis portare, & ad aliquot quæſtiunculas diſerte reſpondet.

GRatia & pax in CHRISTO. De ſolutione Brauij rogat Prior noſter & ego, vt gratias pro nobis agas Principi Illuſtriſsimo, ſic tamen vt locus ei ſaluus ſit diuinæ retributionis, quanquã & hæc gratis donetur, & nos gratis omnia debeamus. Gemmas redditas ſcito Lucæ Pictori vnde accepi.

Reſponſio ad primum quæſtionem

Ad Quæſtiunculas, 1. Multa habeo vobis dicere, &c. quod pauca deinde loquutus eſt cum Diſcipulis, hæc ipſa cauſa

cauſa eſt, quod non poſſent portare. Loquutus eſt ea autem poſtea per Spiritum ſanctum in cordibus eorum, quæ ipſe præſens non dixit, nec illi tum portare potuerunt. Et impletum eſt illud, Spiritus annuntiabit vobis quæ ventura ſunt, vbi Apoſtoli de nouiſsimis temporibus prædixerunt, & de iudicio & vita æterna, vt habes in Epiſtolis Pauli & Petri. Nec eſt dubium quin plura dixerunt, quam ſcriptum ſit, vt indicat 2. Theſſal. 2. non retinetis, cum eſſem vobiſcum quod hæc dicebam vobis. Quod autem Petrus & Paulus dixerunt, abſq; dubio & alij dixerunt omnes, licet CHRISTVS eadem dixerit tunc, quæ poſtea Apoſtoli tum ante ſpiritum prorſus non intellexerunt, ſed ſicut dicit, Ille ſuggeret vobis omnia quæ dixi. Et iterum, ille me clarificabit, &c. Erant enim rudes, vt regnum eius putarent fore temporale Acto. 1. & Lucæ vltimo, alioqui non fuiſſent ſic in paſsione eius ſcandaliſati & confuſi. Neſciebant enim adhuc Scripturas ait Ioannes. 20. Ipſe autem ideo hæc eadem prædixit, vt poſtea recordantes firmius & certius crederent, cum viderent idem à Spiritu doceri, quod ille docuiſſet, ſicut dicit, Hæc loquutus ſum, vt cum facta fuerint, credatis. Sic ergo Spiritus ea quæ CHRISTVS breuiter & obſcurè, poſtea clarè & copiosè docuit, quo modo & Moſen & Prophetas prius obſcuros, deinde apertos habet ſpiritualis homo.

2. Expedit vobis, vt vadam, &c. Quia Carnalis illa & rudis opinio de regno CHRISTI non potuit tolli, nec potuit fides CHRISTI fieri omnipotens, niſi ad dexteram

Reſponſio ad 2. quæſtionem.

teram Patris iret, vt impleret omnia, & ſciretur quod in omnibus ſeruare poſſet. Illi enim tum ſolum gladio & in carne ſeruari regnum Iſrael voluerunt, exemplo antiquorum Regum, quod nihil profuiſſet ad ſalutem. At nunc in æternum ſpiritu & carne regnat & ſeruat.

Reſponſio ad 3. quæſtionem.

3. Sic & illud, Nemo interrogabat eum de iſto tranſitu quo iret, quia non cupiebant. Interrogabant autem ruditer quo vaderet, quia putabant eum per loca aliqua ire in mundo corporaliter, in quo præſumebant ſeſe ſequi velle.

Reſponſio ad 4. quæſtionem.

4. Quia inſufflauit ſpiritum, etiam pertinet ad promiſſionem ſpiritus dandi, quod nondum intellexerunt niſi veniente ſpiritu, ſicut ſupra 3. Quæſtione de verbis diximus, vt certi & firmi eſſent, hunc eſſe ſpiritũ, quem CHRISTVS tunc etiam ſigno viſibili promiſit & obtulit.

Reſponſio ad 5. quæſtionem.

5. Per hoc ad vltimum, poſt reſurrectionem plenam ſpiritus & omnium noticiam in verbo & ſigno promiſſionemq; acceperant. Et erat neceſſarium, vt in initio Eccleſiæ daretur ſpiritus manifeſto ſigno & magno miraculo, cum tot in lege abroganda, tot innouanda per orbem eſſent, ne humana ſed diuina authoritate res geri crederetur. Nunc cum perſeueret illa innouatio, & Euangelium idem ſit quod tunc, nullaq; ſit innouatio futura ante iudicium, ſtatur in illa prima Spiritus manifeſtatione corporali, nec eſt neceſſariò perpetua in omnia tempora. Hæc habui inter occupationes plurimas, Tu iudicabis ea. Literas Cronbergij inter chartas nondum quæſiui. Habebis autem eas excuſas

ex Argen-

ex Argentina,ſic enim mihi ipſe ſimul ſcribebat. Vale & ora pro me, Anno M.D.XXIII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Suam ſententiam de dicto Sanguis Sanguinem tetigit breuiter & perſpicue exponit. Melchiorem Miriſch Magdeburgi concionari nuntiat, & rogat Spalatini operam in dandis vernaculis vocabulis nonnullarum Hebraicarum vocum,& Deuteronomion ſe abſoluiſſe indicat.

GRatia & pax. Illud Oſeæ, Sanguis Sanguinem tetigit, ſic intelligo, quod homicidia crebuerint & continuò ſecuta ſibi ſint, vt nondū vno ſopito alia ſuperuenerint. Ein Mord auff den andern,Prouerbialiter enim dicitur diluuium homicidiorum ſignificante vſu. Melchior Miriſch Magdeburgi eſt Concionator apud Auguſt. vel etiam prior, vt audio, DEVS mitiget hæc monſtra,Amen. Rurſus & tu nobis Germanica miniſtra, Gene.1. creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem DEI,Hebraicè ſic, creauit in imagine, ſeu in ſimilitudinem DEI, Senſus verò eſt proprior, hominem eſſe factum imaginem ſimilem DEO. Hoc tu nobis trade vernaculè.Rurſus in 5.capite verſis verbis ſic dicitur, Adam genuit in ſimilitudine ſecundum imaginem ſuam, tamen idem ſenſus eſt Gene.3. Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos, ſenſus eſt mulieri multas moleſtias imponi in ferendo vtero & fœtui,ſicut fit.Non enim de concipiendi,ſed de con-

cepti ferendi fœtus periculis & malis ſentit, dic ergo quid hic conceptus vernacula ſit, nam ærumnas habemus, capite 4.

2. Faciamus ei adiutorium coram eo. Senſus eſt, vt mulierem ſic viro ſotiatam velit, vt verſo vultu ad virum, & vir ad mulierem conuerſetur, ſitq́; coram oculis eius poſita pro ſuo libito. Simul indicat hominis concubitum verſis vultibus fieri pro fœtu ſuſcipiendo, quo mulierem ab alijs animalibus diſtinguit, inter quæ Adam non inueniebat tale adiutorium generationis, &c. Nos, neben jm, für jn, vmb jn, finximus, & nullum ſatisfacit. Ego hac Hebdomada Deuteronomium abſoluam, & iam in recognoſcendo ſumus, vt tradatur Typis. Vale & adiuua nos, Vuitembergæ, Anno M. D. XXIII.

Tuus Martinus Lutherus.

PVDICISSIMIS AC OPTIME MOratis virginibus Hannæ à Draſuuitz, Miliæ ab Olſnitz, & Vrſulæ à Feylitzin ſororibus ſuis in Chriſto, Martinus Lutherus.

Conſolatur nobiles virgines ex Aula Ducis Saxoniæ Heinrici ob lectionem librorum Lutheri eiectas.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Quam ob librorum meorum lectionem in Aula Friburgenſi, ſuauiſsimæ virgines,

virgines, paſſæ eſtis contumeliam, Nicolaus Amſdorffius nobis expoſuit, eademq; opera petijt, vt Epiſtolio conſolatorio vos recrearem. Quanquam ego opinor mea conſolatione vobis opus non eſſe, egoq; ad ignotas non ita libenter ſcribam, tamen tantopere flagitantem ſuperbè reijcere non potui. Occaſio huius conſolatoriæ Epiſtolæ.

Principio quidem obſecro vos per miſericordiam DEI, vt cor veſtrum animi tranquillitate conſtabiliatis, illisq; quorum conſilio & maleuolentia hoc vobis euenit malè velle aut peius imprecari ne velitis, ſed potius iuxta Pauli doctrinam, Affectæ ignominia benedicite. Et quemadmodum CHRISTVS ipſe Mat. 5. docet, Benè precemini deuouentibus vos: Benefacite ijs, qui vos odio proſequuntur, orate pro ijs, qui lædunt & inſectantur vos. Et hoc quidem eam ob rem, quod vos gratia DEI illuminatæ eſtis, aduerſarij verò veſtri oculis capti & indurati. Adhæc quod grauiori diſpendio animas ſuas degrauarunt, quàm illis vniuerſus mundus incommodare potuiſſet. Eſtq; proh dolor iniuria quam pertuliſtis iam plus ſatis ab illis animaduerſa, in hoc quod parum iuſtè inſectantur vos, qua quidem in re DEVM ipſum cupiunt inimicum & inſectantur, ac planè iuxta prouerbium aduerſum ſtimulum calces iactant. Vt prorſus illorum veluti canina rabie percitorum atq; furentium, non iniuria miſerendum ſit, ceu non videntium miſerabilem perniciem, in quam ipſi ſe vltro coniecerunt, præſertim cum in ea ſint opinione illorum opera vos grandi moleſtia eſſe oneratas. Quod Petitio Lutheri.

ſi patienti animo ſuſtinueritis hæc omnia, CHRISTO diſcernenda reſeruantes, breui futurum ſpero, vt veſtra per hunc ignominia cumulatè penſetur, altius euehendo quàm vnquam votis veſtris eratis exoptaturæ. Præcipuè vero ſi cauſæ vltionem ipſi DEO integram demandaueritis.

Et quanquam conſcientia veſtra teſtaretur à vobis hanc inſectandi cauſam eſſe ſubminiſtratam aduerſarijs, putarim tamen ne ſic quidem animum vobis abijciendũ eſſe. Quod enim CHRISTVS quantotius vos in pœnitentiam adduxerit illud abundè argumento eſt. Quinetiam hoc acuratè perpendite, nihil effectum reddituras eſſe vos, quantumuis multa in aduerſarios molientes, cum DEI res agatur hîc, cuius gratia vos eſtis afflictæ, quam DEVS iudicare aut vlciſci permittit nemini, nimirum ſibijpſi hanc cenſuram reſeruaturus quemadmodum dixit per Prophetam, Qui vos læſerit, pupillam oculi mei læſerit. Facilè mihi perſuaſerim huiuſce malignitatis autorem fuiſſe excæcatum & perditum illud capitulum Volſgangum Stelinum Doctorculum, beſtiam piſtrino & antyciris digniſsimam. Verum huius nomen alibi forſan plenioribus, quod aiunt, buccis celebrabitur, id quod breui ſenſurus eſt. Sic inquam agite Sorores Chariſs. & gratiam pacemq; DEI nobſtri vobiſcum manſuram confidite.

Volſgangus Stelinus D.

Quod ſupereſt, literas meas inconditas boni conſulite. Vuitembergæ, die Iouis poſt Feſtum Viti, Anno M.D.XXIII.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

De nuptiis Præpoſiti Kembergenſis tecte aliquid ſignificat. Et quid fiat de Monialibus 16. quæ Monaſteria deſeruerunt in Comitatu Mansfeldenſi, quam præterea inſtituerit deambulationem cum ſuis amicis nuntiat.

GRatia & pax in Domino. Ecce monſtrum nouum in his literis, mi Spalatine, Quid tandem fiet vltra, quod mirari queas obſecro? Niſi tu quoq; nouiſsimè incipias & ſponſus inauditus fias. DEVS & conſilia & opera ſua ita mirificat, vt qui prius videbar mihi rerum DEI peritus, cogar ad rudimenta redire, at fiat, fiat voluntas ſua ſancta & beata, Amen. Exiuere Moniales ſedecim è Monaſterio Vuidderſtetten, ſub Comitibus Mansfeldenſibus, quarum vndecim ad Quæſtorem Alſtetenſem venerunt. Vnde recepit quinq; Comes Albertus. Agitur igitur inter eos, an ſint ſeruandæ vel eijciendæ. Nondum autem finis, Fertiliſsimus hic annus rerum nouarum eſt & erit, vt video. Vale & ora pro me, ſimul eſtote cauti. Conuenit inter nos vt proficiſcentes animi cauſa Principem & Aulam eius & è Schuueinitz & Locha fugemus pro pediem, Vuitembergæ die S. Ioannis, Anno M.D.XXIII.

16. Veſtales egreſſæ Monaſterio Vuiderſtedten.

GEORGIO SPALATINO.

Exponit ſuam ſententiam de dicto CHRISTI, Surgite eamus hinc, ac conquæritur ſe obrui multitudine Monachorum qui coenobia deſe-

runt. Poſtea agit de quibusdam ſuis Epiſtolis per alios in lucem æditis, ac de declaratione mandati Cæſarei. Mittit etiam Adriani Papæ bullam contra Electorem Fridericum ipſi legendam.

GRatia & pax. Diu eſt quod tibi reſpondi, mi Spalatine, ad locum Ioannis, SVRGITE EAMVS HINC, miror te non accepiſſe. Ego Myſteria parum curo, tamen videtur mihi ſignificare exitum de cogente lege in libertatem Gratiæ, ſicut cænaculum fuit in domo clauſa, clauſaq; ciuitate, ſed hortus ſub libero cœlo. At libertas hæc parit perſecutionem, & patitur CHRISTVS ob libertatis verbum.

Nullum Cellenſem Monachumnoui, niſi Thomam Apotecarium qui Iſennacum iam diu abijt. Nec video cur fugere debeant, ſi ſe iuri offerant, ſicut ego quoq; facio, ſi præterea per vim me vel illos tulerint, fiat voluntas Domini. Mihi ſanè moleſtiſsimum eſt huc tanto numero volare defectores Monachos, & quod magis mouet, ſtatim vxores, ducere, cum ſit genus hominum ad res gerendas ineptiſsimum. Ego quotidie cogito de conſilio, vt modus iſti rei figatur. Epiſtolæ meæ vernaculè æditæ, abſq; mea culpa exierunt. Ego clauſas ſignatasq; mittere volui, ſed D. Hieron: alteram ſcilicet ad virgines ædidit, alteram Amsdorffius. Ego planè nihil æquè opto quam nihil ædere, feſſus enim ſum, talia ſcribendo. Sed Lucæ prælum indiget ſumptu, ideo Cæſaris mandatum declaraui, & iam 7. caput Corinthiorum expono, Seruus factus ſum lucri alieni vel etiam auaritiæ, quod quam libens faciam tam occupatus facilè potes credere,

Declaratio mandati Cæſaris in 2. Tomo Germanico Ihen. folio 234.

credere. Ego planè adhuc nihil ædidi nec ædam, niſi perſpectum per alios, vt mandatum ſeruem. Mitto Bullam Adriani contra Principem Fridericum, ſed ſtatim remitte. Putatur eſſe ipſius Adriani ſtylus & ſapientia, ſed propter minas à Cardinalibus cohibitam, & interim clanculum emiſſam. Vale, & ſaluta noſtros omnes, curſim Sabbatho poſt Kiliani, Anno M. D. XXIII. Tomo 2: Germ. folio 284.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Intercedit pro inopia Pfaffenbecii, & commendat pietatem Abbatis Hirsfeldenſis, narrat etiam Turegi in Heluetia inſtitutam eſſe diſputationem a Zuinglio, & perſecutionem in vrbe Friburgo.

GRatia & pax. Non ceſſo te moleſtare, quia dignus es moleſtia multa, poſtquã factus es ſyncerus Euangeliſta. Pfaffenbeck iterum me ſolicitat literis, antea ſolicitauit verbis coràm, quod voraui vt parcerem tibi. Nunc quæſo Principi meo nomine ſupplices pro miſero, aut ſi mihi ſupplicatio facienda eſt, ſignifica, vt faciam. Dura premitur egeſtate, & video principem aſſuetum audiendo illius clamorẽ, & illum fruſtra pulſando Principẽ. Noua ex Iſennaco lege, inſuper Hoſpes meus ſpeculatiuus ſcribit, Abbatẽ Hirſfeldium permittere quibuſuis liberũ exitum, tam Monachis quam Monialibus, & Paſtorem Hirsfeldenſem defuncta vxore prima duxiſſe ſecundam. Turegi in Heluetia inſtituit Zuuinglius diſputationem publicam, impetrantibus Heluetijs, Pietas Abbatis Hirſfeldenſis. Diſputatio Zuuinglii in Heluetia

Heluetijs, Epiſcopus Conſtantienſis vocauit Carthuſen: illum Reiſch hoſtiliſsimum Euangelij, ſed recuſat, deinde plebanum Tubingen: quid futurum ſit audiemus. Friburgi Brisgoiæ nomen meum ne per viam quidem licet meminiſſe. Scribit Ioannes Sichardus, vir eruditus, ſenatum Euangeliſtis interdicentem dixiſſe, mores noſtros non conuenire cum Euangelio, vide portenta? Doctor Iohan. Ruhel iuſsit aureum hunc ad te mittere & promiſsionis tuæ te commone facere, vt illi procures groſſum illum maiuſculum. Nam mihi & alterum illum extorſere mei Mansfeldenſes. Nec volo alium habere, ne rurſus extorqueatur mihi, nihil debeo ego habere, M. D. XXIII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Mittit cauſæ Leimbachiorum capita, & Principis Electoris neglientiam accuſat, conquerens de Principum & Aularum peccatis exemplo Dauidis, commendat etiam rurſus ei Sebaſtianum Kotteritzium.

GRatia & pax. Ecce habeo capita fratrum Leimbachiorum de quibus toties ſcripſiſti, non quod ego in his rebus velim vel iudex vel cauſidicus eſſe, quid enim ad me iſta? ſed quod re vera timeam, Principem in talibus aliquando nimium facere, ſicut eſt fatum Principum omnium, vt ferè neceſsitate quadam in vtramq; partem peccent exaltando indignos & opprimẽdo aliter meritos. Id mali noſtris quoq; adhærere Principibus multa valdè arguunt, & ſi nihil argueret, quid

Peccata bonorum Principum.

ret, quid non concluderet vnus Dauid, omnium Principum vnicum exemplar, qui iniquum Seba tandem audiuit, & iniquus factus eſt in Mephiboſeth, idq; tum cum eſſet in media virtute clementiæ ſummæ, vt alia prætercam eius delicta. Scripſi etiam tibi de Baſtiano Kotteritio, vt eum Principi commendares, nec dum reſpondiſti, reſponde quid feceris, ſi nihil tentaſti, ego tentabo per me ipſum. Video & ipſum ægerrimè ferre, ſic differri ſeſe, quanquam à gratioſo Principe. Nam alibi pateret officium, ſi Principis fauore liceret obire. Nunc autem Princeps eo non vtitur, & ſimul ſuſpenditur, an alteri ſeſe vtendum præbere audeat, quæ mora tali viro damnum eſt, vt qui tandem creſcentibus liberis dum adhuc valet, illis mereri debeat, & ſeruitute paterna prouidere. Inuitiſs: his rebus inuoluor, alijs longè occupatiſsimus, & tamen lege charitatis captus, non video locum effugij. Faciunt hæc cum alijs, vt publicum nauſeem, & deſertum mirè ſuſpirem. Vale & ora pro me, die 3. feriæ poſt Bonifacij M. D. XXIII.

Dauidis peccatum.

Sebaſtianus Kottericius.

Martinus Lutherus.

IOANNI CROTO.

De Apologia Apelli typis excuſa, quam Croto remittit, quid ſentiat ſcribit, eumq; confirmat contra Tyrannidem Cæſaris in Inferiori Germania in Euangeliſtas, & de ſcandalo accepto ipſum docet.

IHESVS.

o Gratia

Defenſio & Apologia Apelli.

GRatia & pax. Remitto ad te, optime Crote, defenſionem Apelli noſtri excuſam, ſcilicet id merebatur tam pia, libera & erudita Apologia, vt CHRITSVM in luce quoq; & publico predicaret, fruſtra frendentibus & tabeſcentibus impijs. Dominatur enim CHRISTVS noſter, non in cœlo duntaxat, nec tantum ab inimicis procul, ſed in medio inimicorum ſuorum, neq; alia virtute quam virgæ ſuæ emiſſæ ex Syon, id quod & in Apello & ſotio fratre ſuo declarat ſatis hoc die. Tu miraris & indignaris Epiſcopos ſic ſæuire, At niſi ſic agerent, tales Epiſcopi non eſſent, & niſi tales Epiſcopi eſſent, Sic non agerent.

Exuſtio duorum Monachorum Bruxellæ.

Exuſti ſunt iam duo Fratres Bruxellæ, tertius ſimul (vt vocant) degradatus, neſcitur in Aſsyrios aut Babylonios per Sophiſtas translatus ſit, multi in carceribus ſeruantur ſimili victimæ deuoti. Et incredibili inſania ſęuiunt in CHRISTVM miniſtri Pontificum: Alij ſcribunt maledicta & blaſphemias, ſcilicet illa eſt obedientia Cæſarei ædicti de referenda cauſa noſtra ad Concilium futurum. Nos adhuc quietius agimus, ſed ſi ſic perrexerint, nos quoq; tandem valefaciemus edicto Cæſaris, non quidem exuſturi (ſicut illi) aut vincturi, aut vi quippiam acturi (hoc enim non eſt Chriſtianorum) ſed verbis & Scripturis gloriam verbi defenſuri, & Papiſtarum portenta latius caſtigaturi.

Importuni Euangeliſtæ

Quod verò hortaris, vt & noſtros caſtigem Clamatores, quod magno videlicet ſint ſcandalo ſuis incompoſitis, tum verbis tum moribus, certè conſcientia illis ſua teſtis eſt, ex me

ex me non habere ſeſe,id quod te offendit. At mi Crote,quis ſcit,ſi altiſsimo conſilio tam importunos Euangeliſtas CHRISTVS velit ſic deſipere,non quidem propter nos, quibus nihil poſſunt nocere, ſed propter hoſtes verbi Epiſcopos & Sophiſtas? vt qui hactenus toties omni humilitate & modeſtia petiti, rationem reddere volentes nunquam admittere voluerunt,ſed occluſis auribus & oculis, ceu furioſi & amentes ad ſolum ſtrepitũ Euangelij omnia damnarunt & perſequuti ſunt,digni nõ ſint modeſtũ videre aut audire Euangeliſtam.

Tyrannum Apelli cum ſuis Lenunculis vide, An non digniſsimi ſunt te ipſo iudice, vt qui tam piam & ſolidam defenſionem contempſerunt, & CHRISTVM ſapienter loquentem crucifixerunt, non modo ſua mendatia & perditiones libenter audiant, ſed & Euangelion ſalutis,non alia ratione predicari videant, quam qua bis,quater, qua ſepties qua ſine fine in illo ſcandaliſentur, & pereant? Et qui per ſapientem CHRISTVM molliri noluerunt, per ſtultum CHRISTVM indurentur in finem vſq;, ô incomprehenſibilia iudicia eius.

Itaq; mi Crote,feramus noſtrorum ſcandala,& orationibus apud Dominum ijs rebus medeamur. Mihi ſanè non omnino diſplicet, aliquot noſtrum ſic labi (quantum ad ipſam rem pertinet) Nam hac infirmitate noſtra fiet, vt Aduerſarij ſpem concipiant triumphi, & animentur ad blaſphemandum.Hæc illorum ſpes,noſtra erit ſalus & illorum ruina, ſicut ſcriptum eſt, Deieciſti eos dum alleuarentur.

Scandala a Deo precibus deprecanda.

Modicum qui venturus eſt veniet & non tardabit, in quo benè vale, Gratia tecum, Amen, Vuitembergæ M.D.XXIII.

Martinus Luther.

HISTORIA DE DVOBVS AVGVSTInenſibus, ob Euangelij doctrinam exuſtis Bruxellæ, die trigeſima Iunij Anno Domini M. D. XXIII.

Articuli LXII. per eoſdem aſſerti:

EXhibitum fuit nobis hiſce diebus ſpectaculum, miſerabile dicerem, ſi ij quorum miſerebat, ſpectatores miſeri ſibi & non beatiſsimi viſi fuiſſent. Si vacat & libitum eſt audire, accipe paucis rei ſummam. Ex cætu illo Auguſtinenſium, qui ex ciuitate Hantuerpia Vilfordiam captiui perducti fuerunt, tres numero in hæreſi ſua perſtiterunt, cæteris palinodiam canentibus. Nihil non tentatum eſt, vt ij eandem quam fratres cecinerant, canerent cantionem, vbi viderunt ſe, quibus id negotij datum erat, cum omnia agerent, nihil agere, decreuere nimium pertinaces extremo tradere ſupplicio. Tranſportantur Bruxellam, aſſeruantur in carcere diligenter, Conueniunt eodem M. N. Louanienſes. Fama quia nulla ferè diem ſupplicij præceſſerat, paucos alios aliunde huc pertraxit, pridie viſitationis DEiparæ virginis concurritur in forum: Conueniunt ordines mendicantium tres, neq; enim plures, vti noſti, hic ſunt, præeunte vexillo crucis, veluti ſolent cum ſolenni pompa incedunt. Conſidentibus

ordine

ordine iam ſacræ Theologiæ profeſſoribus, Abbatibus mitris & gemmatis pedis conſpicuis, qui loco Epiſcoporum aderant, & alijs nonnullis in pulpito. Nam pulpitum erectum erat peramplum ante Baſilicam, quam vulgo Senatoriam domum vocant. Sub horam vndecimam ducitur per forum è tribus natu minimus, qui vt annis ab alijs ſuperabatur, ita doctrina & facundia præſtabat. Ductus intrò inibiq; paululum moratus, prodit in pulpitum indutus Sacerdotali panoplia. In medio collocata erat menſa inſtar altaris ornata & inſtrata, ante hanc flexis genibus procumbit, ibi omnes veluti ſtupentes oculos defixere in eum. Nullam trepidationis aut perturbati animi ſignificationem cernere licuit. A tergo conſiſtens concionem incipit Minoritarum Gardianus, ex aduerſo ceremonias aperto codice auſpicatur Epiſcopus. Horam totam, dum hic ceremonias peragit, ille concionatur, eodem corporis habitu vultuq; eodem iuuenis durabat. Ego quum concionatorem præ turba intelligere nequirem, quod & alijs accidebat, totus intendebam in reum. Quod verum eſſe conſtat, quorſum diſsimulemus? Vultus compoſitus & placidus, non modo mortis contemptum, verum etiam ſummam modeſtiam ac manſuetudinem præ ſe ferebat, precationibus & ſacris contemplationibus intento aſsimilis videbatur. Poſtea iuſſus nunc hoc nunc illud facere, mirum quam promptè, quam non grauatè paruerit. Ferunt dixiſſe obiter, ſe fore obedientem vſq; ad mortem, ijs peractis ceremonijs, vbi ex Sacerdote factus fuiſſet, quem vulgus Laicum

 aut

aut ſecularem vocat, mutato veſtitu intrò abit. Poſt prodeunt duo reliqui ſanè horridiores, nimirum barbati, cum iuuenis ille, quem memoraui, mento non eſſet hirſuto, ſed forma mirum in modum decenti & ſatis venuſta: Sed prodeunt, vultu eandem conſtantiam & alacritatem atteſtante. Quid multis? Et his adimitur Sacerdotium ac monachatus Sacramentum, ex ſacris prophani effecti relinquunt pulpitum. Poſt paulum educuntur duo, primus ille & alter è poſterioribus, itur ad ignem, qui in eodem vbi hæc acta ſunt, foro parabatur. Interea dum ducuntur, dum exuunt ſeſe veſtibus, multa audiebantur ex illis, quæ argumenta clariſsima omnibus fuiſſent ſanarum & piarum mentium, & veluti geſtientium cum CHRISTO coniungi ſoluto corpore, niſi perſuaſum fuiſſet hæreſeos eſſe coniunctos: Subinde teſtificati ſunt ſe mori Chriſtianos, ſe credere ſanctam Eccleſiam catholicam. Aiebant hunc eſſe diem quem diu expectaſſent. Iam veſtibus nudati, relicto tantum induſio, ſtetere diu, magis ipſi palos amplectentes, quam alligati. Ignis lentius ſuccendebatur, id conſilio factum ſit an caſu, equidem affirmare non auſim. Quid inquis? non langueſcebant tam diuturna mora vexati? non dimittebant animos iam fumo ſubuolante, mox flamma ſubſequutura? Quod ſi ex geſtibus, fronte, oculis, deniq; ex toto vultu iudicare conuenit, quæ omnia veluti loquuntur, & non rarò certius & meliori fide animum aperiunt quam lingua, fiducia, conſtantia atq; alacritas, quæ ſummæ fuerant, ſemper incre-

mentum

mentum ſumere videbantur: Tum potiſsimum emicabat neſcio quæ hilaritas, adeò vt multis ridere viderentur. Præter alia recitabant Symbolum fidei & canticum Eccleſiaſticum Te Deum laudamus, idq; alternis dicebant, alter dum ignem ſuccēdi ſub pedibus aſpiceret, aiebat videri ſibi Roſas ſubſterni, tandem exorta flamma vocem vtriuſq; intercepit. Ego ſemper ab eiuſmodi ſpectaculis natura abhorrui & lubēter abſtinui, neq; hic ſpectator eſſe potuiſſem, niſi de quorum capite agebatur, mihi, qui otioſus in tuto ſpectabam, ſcrupulum omnem ſua Magnanimitate & vultus Hilaritate eieciſſent. Tertius productus non fuit, id quare factum ſit, compertum non habeo. Quidam hunc reſipuiſſe narrant, verum quando ad populū reductus nō fuerit publicè recantaturus, omnibus id perſuaderi non poteſt. Quidā ſuſpicantur clàm necatū. Vt vt ſeſe res habet, diu latere nō poterit. Poſtridie cum dies eſſet ſacer Diuæ virgini, Minorita hic in cōcione populū admonuit, vt ſi fortè rogaretur ex ipſis, quis fuit exitus eorū, quos cōcremari vidiſſent? diceret obijſſe in fide erronea Lutheri: accepiſſe ex quibuſdā dictitans ſe, in extremo momento defeciſſe eos ab erroribus, quod quidē precibus quorundā & diuę Virginis beneficio, quę miraculū ædidiſſet, factū aiebat. Idem ferè aſſeuerabat Louanij, nam redierat eo M. N. Nicolaus Egmondanus, narrans à prādio in cōcione, ſe hora vndecima literas accepiſſe à probo & optimo viro Franciſco ab Hulſt, cui prouincia à Cæſare demādata eſt inueſtigandi & perſequēdi hæreticos, quib. ſignificari aiebat Auguſt. illos

hæreſeos

hæreſeos damnatos & exuſtos, redijſſe, cum iam flamma ſubmoueretur, reiectis erroribus, ad ſaniorē mentem. Quod quia conſtanter hoc negant, quotquot proximè ignem aſtiterunt, tacuiſſe fortaſsis præſtiterat, niſi ſi quis id ex abundantia charitatis, quæ omnia ſperat, factum exiſtimet. Benè vale Bruxellæ ſexto Idus Iulij, Anno M. D. XXIII.

EX ALIA EPISTOLA.

DE exuſtis hîc Bruxellæ duobus Auguſtinenſibus credo ab alijs perſcriptum. Incredibili conſtantia aut pertinacia mortem acerbiſsimam pertulerunt. Cancellarius affirmabat, ſe nihil vnquam ſimile vidiſſe, inter tam multos ſuo tempore condemnatos ac ſupplicio affectos. In medio flāmæ Symbolū recitabant, atq; IHESVM identidem inclamabant. Iudices erant Hochſtratus, Egmondanus, Godſcalcus, Lathomus, Ruardus. Aderat & Paſcha Carmelita Mechlinienſis. Franciſco Hulſt cōmiſſum eſt diplomate pontif: vt ipſe nominet inquiſitorē, modo Prælatum aut Theologum. Is nominauit continuò Egmondanū. Hi omnes dicuntur ituri in Hollandiā, ad Hoen & Ludungnum Delſenſem, pridem in carcerem coniectum. Cæterum valde metuunt, ne quis illic tumultus exoriatur, vt ſunt homines, quanquam exemplum plurimos abſterrebit, vt ſperant. Nondum concordant, an velint omnes ire, alij alias cauſas nectunt. Saluta meis verbis Ioannem Zuuinglium, & Huttenum. Rebus hîc ſatis exploratis ad vos reuolabo, ibi in Hypocauſtis omnia cōmentabimur. Ex Bruxella pridie Idus Iulias, &c.

ARTICVLI ASSERTI PER FRAtrem Henricum, &c.

NEmo obligatur ex mandato Pontificis ſeu Imperatoris abſtinere à legendis libris Lutheri.

2. Præcipientes abſtinere à legendis libris Lutheri, plus præcipiunt quam Spiritus DEI exigat.

3. Præcipientes abſtinere,&c. faciunt contra Scripturas, omnia probate,& probate ſpiritus ſi ex DEO ſint.

4. Iniuriando Commiſſariũ, dicit illi,quod blandis verbis vellet ſe decipere.

5. Libri Lutheri præbuerunt ſibi lumen maius ſacræ Scripturæ,quam alij Doctores quos ipſe legit.

6. Propinquius eum adduxit ad Euangelium CHRISTI Luthetus,quam Auguſtinus vel Hieronymus.

7. Ex Scriptura ſacra non poteſt probari, quod Papa vel quicunq; Prælatus habeat plus quàm ſolum miniſterium verbi CHRISTI.

8. Nec Papa, nec quicunq; alius Prælatus poteſt aliud præcipere vel prohibere, quod ſacra Scriptura non continet, vel quod DEVS non præcepit, vel prohibuit, quo læderetur conſcientia.

9. Secularis pòteſtas poteſt talia præcipere & prohibere quo ad corpora, ſed non quo ad conſcientiam.

10. Eccleſia nondum prohibuit libros Lutheri, & poſt ſolutionem textuum, omnia probate, & probate ſpiritus ſi

ex DEO ſint, iterauit eundem articulum, dicens, Eccleſia non reprobauit libros Lutheri.

11. Aliqui articuli in bulla Leonis Papæ decimi reperiuntur damnati, qui tamen ſunt veri, & per hoc malè damnati, donec melius inſtruatur, & exemplificauit de illo.

12. Omnes homines ſunt Sacerdotes coram DEO.

13. Omnes homines poſſunt remittere peccata cuiuslibet Chriſtiani, qui ſciunt corripere fraternaliter proximum.

14. Mulieres poſſunt abſoluere homines à peccatis, quod intelligit de Euangelica abſolutione, quæ continetur ibi, Si peccauerit in te frater tuus, &c.

15. Poteſtas Euangelica contenta ibi, quorum remiſeritis peccata, eſt poteſtas communis omnibus hominibus.

16. In Miſſa non offertur corpus CHRISTI ab homine, quia quod ſibi eſt datum in remedium & commemorationem, non offertur.

17. Interrogatus, an verba Canonis Miſſæ ſint falſa? quicquid ſit, inquit, de verbis Canonis, non offertur corpus CHRISTI in Miſſa, ſed ſolum ſumitur in memoriam eius.

18. Ignorat an maneat panis in ſacramento Euchariſtiæ poſt conſecrationem CHRISTI, & cum adductus eſſet textus C. damnamus, de ſum tri. & fi. ca. reſpondit, Si habeatur in ſacris literis, tunc credo hoc, & aliâs non.

19. Nihil debere credi ſub periculo cõſcientię niſi quod verbis diuinis eſt proditũ, vel quod ex verbis diuinis illici poteſt.

20. Si conciliũ diffiniret aliquid quod in ſacra Scriptura non continetur, hoc debet ſuſpectũ haberi. 21. Nec

21. Nec voluit vltra reſpondere, vtrum deberet credere, vel non credere ſæpius tamen interrogatus, quicquid ſit de Martino Luthero? ſcit & dicit per ſcripta illius veniſſe ad cognitionem Euangelij. Interrogatus an Martinus ipſe Luther habuerit ſpiritum DEI? noluit reſpondere.

22. Dixit ſe non intelligere, interrogatus, ſi putet eſſe differentiam inter Sacerdotes & Laicos in conſecratione Euchariſtiæ, & an conſecrare pertineat ad Sacerdotium CHRISTI & ad Sacerdotium noui Teſtamenti?

23. Iniuriosè dixit, CHRISTVS benè reſpiciet in minas veſtras, &c.

24. Si hactenus omnes benè reputaſſent, omnes Laici reputati fuiſſent Sacerdotes ſicut conſecrati ab ipſis.

25. Non intellexit, an Epiſcopus conſecrans aliquem in Sacerdotem, aliquam nouam poteſtatē conſecrandi tribuat.

26. Maius eſt ſumere corpus CHRISTI, quod omnibus fidelibus competit, quam cōſecrare, quod duntaxat in miniſterium ipſius Sacramenti. Non tamen intellexit, vtrum, ſi Epiſcopus diceret Laico, conſecretis Laice, ſine alia ordinatione conſecraret corpus CHRISTI.

27. Non eſt iuris diuini, neq; à DEO præceptum, omnia peccata mortalia confiteri homini. Quia nemo hominū poteſt ſua peccata cognoſcere, multò minus confiteri.

28. Baptiſmus, Euchariſtia, & pœnitentia nituntur promiſsionibus CHRISTI, quæ fidem excitant, ideò credit ea fidem & gratiam conferre.

29. Reliqua quatuor Sacramenta, videlicet confirma-

tionis,ordinis,matrimonij, & extremæ vnctionis,nõ verbum promiſsionis, ſed ſunt potius ritus antiquitus obſeruati, & ideo non conferunt gratiam, & poſſunt relinqui vt non Sacramenta.

30. Prædicta Sacramenta non plus conferunt gratiam quam alij ritus Eccleſiæ, quos Eccleſia non reputat Sacramenta. Quia ſolo verbo DEI confertur gratia.

31. Sacerdotum non eſt Sacramentum, nihilominus eſt miniſterium neceſſarium.

32. Extrema vnctio non habet promiſsionem.

33. Nec Papa nec Epiſcopus aut alius quilibet Prælatus ſpiritualis poteſt hominem obligare ad ea quæ non ſunt iuris diuini,ita vt tranſgrediendo peccet mortaliter, vtputa ad ieiunium Quadrageſimæ, ad confitendum ſemel in anno, ad celebrationem feſtorum, &c. ſecluſo fratris ſcandalo, donec melius inſtructus fuerit.

34. CHRISTVS operatur in hominibus & per homines omne opus bonum,ita vt homines nihil agant actiuê,ſed patiantur duntaxat CHRISTVM operantem in ſe tanquam in inſtrumento.

35. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor,non CHRISTI vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo CHRISTO in beato Petro inſtitutus,qui CHRISTVS non vicarium, ſed miniſtrum inſtituit ſummum Pontificem.

36. Omnia vota perpetua,extra CHRISTI præceptum emiſſa,vt ſunt vota Religioſorũ,ſunt imprudenter emiſſa per

ignorantiam Chriſtianæ libertatis, & ſic non obligatoria.

37. Poſtquam expertus eſt Chriſtianam libertatem, con ſcientiam ſuam vinciri votis non putat.

38. Vera & Chriſtiana & catholica fides non poteſt ſeparari à charitate, quia charitas eſt fructus fidei, & fides Chriſtiana ſine dilectione mortua eſt.

39. Sacramentum in Miſſa prodeſt duntaxat ſumenti.

40. Quando DEVS dimittit peccatori peccata, tunc per mortem CHRISTI & peccatorum dimittit omnem pœnam, & hoc piè credit.

41. Neſcit vtrum ſit purgatorium, an non ſit.

42. Dixit, Domini mei iniquè egiſtis nobiſcum, & non ſecundum Euangelium.

43. Sacramentum Euchariſtiæ non habet in altari oblationem, ſed in cruce tantum ſemel oblatio facta eſt.

44. Poſtquam peccator eſt confeſſus & abſolutus, non obligatur iure diuino ad aliquam pœnam, dummodo non offendat fratrem ſcandalizando, aut Eccleſiam aliquo crimine publico, vel priuato, & ergo ſunt ſolum duæ partes pœnitentiæ.

45 Neſcit an aliqua ſuffragia viuorũ proſint defunctis.

46. Præſtat ſeruare modum celebrandi miſſam, quam ſeruauit primitiua Eccleſia, quam inuolui ſtatutis iſtis citra DEI præceptum æditis.

47. Iſta ſtatuta per Eccleſiam circa Miſſam ſunt inſtituta contra præceptum DEI & CHRISTI.

48. Si prædicta ſtatuta vel ceremoniæ ſint ex ordinatione humana,& non ex diuino præcepto, tunc ſunt contra ius diuinum.

49. Non obligamur legere horas Canonicas ſub pœna mortalis peccati.

50. Ipſe legendo horas Canonicas ſemper fecit contra ius diuinum, quia nunquam orauit Patrem in ſpiritu & veritate.

51. Mallet quod collum ſuum amputaretur, etiamſi haberet decem colla, quam quod reſponderet quæſtionibus propoſitis.

52. Si peccator ſe credit verè abſolutum, peccata ſunt ei dimiſſa.

53. Præſtat non negare Laicis, quod CHRISTVS omnibus tradendum reliquit, id eſt, Communionem ſub vtraq; ſpecie.

54. Prohibentes Laicos communicari ſub vtraq; ſpecie faciunt contra intentionem diuinam.

55. Verba conſecrationis debent altè proferri.

56. Interrogatus an liceat ſanctos adorare? dixit ſe nolle amplius reſpondere.

57. Interrogatus an eſſet ſeductus à Luthero? (& quia timetur eſſe ſeductus à Luthero, ideo proponuntur ei talia interrogatoria) Ego ſum,inquit, ſeductus ſicut CHRISTVS ſeduxit Apoſtolos ſuos.

58. Contra ius diuinum eſt,quod Clerici ſunt exempti à iuriſdictione Imperatoris.

59. Papa

59. Papa non habet aliam poteſtatem, quam predicandi verbum DEI, & paſcendi Oues ſuas predicatione verbi DEI.

60. Benè videt, quod verbum DEI non eſt in Dominis Commiſſarijs.

61. De vita parum curat, animam ſuam commendat DEO.

62. Non intellexit abiurare omnes & ſingulos errores per ipſum confeſſos, & requiſitus & iuſſus diſtulit abiurare.

GEORGIO SPALATINO.

Commendat Sacerdotem quendam Aldenburgenſem, vt Parochiæ in Schoneuualt præficiatur, ac recenſet exuſtionem duorum Monachorum Auguſtinenſium. Poſtea narrat de obitu M. Ioannis Feldkirchij, ac de pecunia ſibi concredita, & Principi Electori reſtituenda.

GRatia & pax. Hunc Mauritium defectorem Aldenburgenſis Sodomæ tibi commendo, optime Spalatine, vt ſi poſsis eum iuuare, pro obtinenda Parochia, in Schoneuualt propè Hertzbergam nunc vacantē, facias, in charitate Chriſti, vt inopiæ eius ſolatium daretur. Arbitror hominem ſatis idoneū fore. Cæterū, prima Iulij ſunt exuſti duo fratres noſtri Auguſtinenſes, è captiuis Antuerpien. conſtanterq; mortui in CHRISTO, quorum vnus, vocatur Ioannes Neſſe, nondū triginta annorū. Quarta poſt exuſtus eſt tertius frater Lampertus, ſucceſſor in verbo Iacobi noſtri præpoſiti. Facta eſt hæc res

Monachi Auguſtinenſes exuſti.

Bruxellæ

Bruſſellæ in publico foro. Gratia CHRISTO, qui tandem cœpit fructum aliquem verbi noſtri, imò ſui oſtendere, & nouos martyres fortè primos in iſta regione creare. Ipſe Iacobus abijt vocatus in Phryſiam à Comite de Embden, DEVS det, vt fructificet in multa millia, Amen. D. Ioannes Feldkirchen extinctus eſt, neſcio quo mortis genere, metuo ne iudicium DEI incipiat Bethauen iſtam viſitare ſatis pertinacem verbi contemptricem. Traditi mihi ſunt plus quam Triginta aurei Principi reddendi reſtitutionis forma, quos quidam in negotio Principi ſubtraxerat, & nunc conſcientia duce, per me ſub confeſsionis ſigillo reſignat, hominem neſcio, ſed offitium negare non potui. Lucæ volui tradere, vt ferret, ſed is iam nõ abit ad Principem, nec tu mihi ſignificas, per quem tutò & ſecretò reddi poſsint. Nam eſt mihi moleſtum aurum alienum penes me, ſed hæc ſecretò doce quæſo. Nec ſciat niſi Princeps & tu & ego, vt ſeruem promiſſa. Nam hac ratione ſtatui, imò ille conſuluit & placuit, per te rem expediri. Vale Vuitembergæ, & diſcerpe literas M.D.XXIII.

Obitus M. Ioannis Feldtkirchẽ

Martinus Lutherus.

OMNIBVS IN CHRISTO FRATRIBVS qui ſunt in Hollandia, Brabancia, Flandria,

Gratulatur piis in Inferiori Germania, exortam eſſe Euangelii lucem apud ipſos, & celebrat Martiria duorum Monachorum Bruxellæ exuſtorum.

GRatiam & pacem à DEO patre noſtro, & Domino IHESV CHRISTO. Laus & gratiarum actio ſit DEO Patri totius

tius miſerationis, qui nobis hoc temporis rurſum viſendum reuexit lumen illud mirabile, quo hactenus peccatorum noſtrorum caligine obnubilato, paſſus eſt nos miſeros, horrendis tenebrarum poteſtatibus ſubiectos turpiter cæcutire & hallucinari fœdiſsimè, ſub Antichriſti vexillis & ſtipendijs militantes. Sed redijt deſiderabile, & multis modis amabile tempus, quo denuò Turturis vox audiri cepta eſt, & flores apparuerunt in terra noſtra vernantes. Cuius quidem gaudij Fratres Chariſs. vos nedum participes ſed prioribus occupatis omnium eſtis præcipui, in quibus huiuſmodi gaudium & exultationem emerſiſſe videmus. Quandoquidem vobis præ omnibus cæteris non ſolum data eſt Euangelij audiendi copia, & CHRISTI cognoſcendi facultas, verum etiam vos primos eſſe voluit, qui ob eius nomen & Euangelium acceptis iniurijs, ignominiam, anguſtias, tribulationes, carcerem, pericula, mortem deniq; ſufferrent. At nunc quidem tanto fructu & animi magnitudine repleti eſtis, vt qua etiam proprij ſanguinis effuſione conſperſi, Euangelium CHRISTI infracto & maſculo animo confirmare non dubitaretis. Ad hæc duæ illæ fœlices, nec minus præcioſæ animæ Henricus & Iohannes, Bruxellæ vitam ſuam vilem æſtimauerunt, quo CHRISTVS Verbo ſuo ſolus adeò plenioribus præconiorum tibijs ebuccinaretur. O quàm contemptim & ignominioſo ſupplicij genere damnatæ ſunt illorum animæ: Verum quàm ineffabili gloria & inæſtimabili gaudio reuertentur olim verè iudicaturæ eos à quibus hic iniquè latam ſenten-

Exuſtio duorum Monachorum.

tiam audiuerim. Quàm verò leuicula imò nullius prorſus momenti res ſit, à mundo ignominioſè tractari occidi & calumniari, his præſertim qui certò perſuaſum habent, ſanguinemq́; celebrem & mortem eorum fore præcioſam in con ſpectu Domini, perinde vt eſt in Pſalmis? Quid verò eſt mun dus ad Deum collatus? Quantum voluptatis, quantum tripudij & læticiæ omnes Angelos ex hoc ſpectaculo cepiſſe putatis? Quam non illibenter credendum eſt, ignem horum perpetuitati inſeruiuiſſe auxilioq́; fuiſſe migrantibus è vita peccatis obnoxia ad immortalem iuſtitiam, ab hac infami ignominia ad perennem gloriam, ab his tempeſtatibus ad perpetuæ tranquillitatis portum? Benedictus ſit inquam DEVS in æuum, cuius nunc demum gratia verè ſanctos & verè martyres noſtro ſeculo & vidimus & audiuimus, qui ha ctenus tot mentita ſanctitate, celebratos ab impijs dæmones coluimus. Nos ſuperioris Germaniæ, Fratres Chariſs. nondum eam dignitatem nobis adiectam eſſe ſenſimus, vt CHRISTO eiuſmodi victima, Hecatombe ſic ſplendida fieremus, tametſi ex membris noſtris aliquot non citra perſecutionem vixerint, & adhuc viuant. Quapropter Fratres animo meo Chariſs, bono animo eſtote, gaudentes & exultantes in CHRISTO IHESV, cui gratias immortales haben das eſſe opinor, ob ſigna & prodigia quæ inter vos cepit per agenda. Recentia profecto & noua vitæ ſuæ exempla nobis ſpectanda exhibuit. Nunc tempus eſt vt Regnum DEI non tantum in ſermone, ſed in virtute conſiſtat. Puſillum temporis eſt,

ris eſt, inquit Eſaias, quo derelinquam te, verum perpetua miſericordia complexurus ſum te. Et Pſalm 90. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, quoniam cognouit nomen meum. Cum itaq; præſentem videamus tribulationem, cui è diuerſo robuſtas atq; adeo firmas promiſsiones habeamus obiectas, confirmato certa ſpe corde, bono animo ſimus, DEO mactationem noſtri ſecurè concedentes. Ipſe enim dixit qui mentiri non poteſt, & capillos capitis noſtri omnes eſſe numeratos. Et quanquàm Diuerſarij noſtri hoſce ſanctos Huſsiticæ, aut Viglephiticæ, aut Lutheranæ deniq; hæreſeos inſimulabunt, ſeq; horum cæde ac ſupplicio iactanter venditabunt, nihil eſt quod miremur, hoc magis robuſtiore ſpiritu firmati. Fieri enim non poteſt quin crux CHRISTI habeat virulentos, maledicos & impios calumniatores. Iudex tamen noſter in propinquo eſt, aliam breui pronunciaturus ſententiam, id quod certo ſcimus, adeoq; dubium non eſt. Memores noſtri eſtote fratres in orationibus veſtris apud DEVM, & mutuis præcibus iuuate vos inuicem, reciproca manuum viciſsitudine omnibus ſuppecias ferentes, quo per hoc omnes vno ſpiritu, & fide capiti CHRISTO innitamur, qui vos ſua gratia corroboret perfectè animatos reddendo ad gloriam nominis ſui, cui ſit laus, honor & gratiarum actio, cum apud vos tum apud creaturas vniuerſas in perpetum, Amen. Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,
D. NICOLAO GERBELLIO.

Mittit Annotationes Philippi Melanchthonis in Ioannem typis excudendas, &c:

GRatia & pax à DEO Patre & Domino noſtro IHESV CHRISTO. Sublegeram iam ante Philippi noſtri Annotationes in tres Epiſtolas Pauli. In qua re cum non liceret iraſci in furem Lutherum, hoc tamen ſe putabat egregiè in me vindicatum, quod libellus Typographorum negligentia ſatis mendoſus exierat, vt & me propè puderet & pigeret furti tam malè locati. Ille interim me riſit, ſperans fore, vt fur tis eiuſmodi deinceps abſtinerem, meo periculo doctus. Ego autem riſu eo nihil motus, auxi meam temeritatem, & iam non furor, ſed per vim rapio, fruſtra retinente autore, Annotationes eius in Ioannem Euangeliſtam. Quas tamen nolo verbis ornare, ſeſe commendabunt Lectori, ne rurſus naſus eius & rugæ mihi ferendæ ſint. Non enim modeſtiæ ſtudio, ſui & ſuarum rerum contemptor eſt, ſed quod Chriſtiano affectu omnia noſtra nihil eſſe credat. Soli autem CHRISTO omnia deberi tam obſtinatè, vt mihi planè videatur ſaltem in hoc errare, quod CHRISTVM ipſe fingat longius abeſſe cordi ſuo, quam ſit reuera. Nec mihi aliter ſuadenti, amplius credit, adeo profecit, & me ſuperauit: Nouiſsimi ſic fiunt primi, & primi nouiſsimi. Deniq; teſtatur ſeſe harum Annotationum non velle authorem agnoſci. Certè nimis nullus eſt Philippus in hac parte Eccleſiam iuuando: Mallem & ego nullos eſſe vſpiam Commentarios, ſolis & puris regnantibus

Annotationes Philip. Melan. in Ioannem Euangeliſt.

tibus vbiq; Scripturis, viua voce tractatis. Sed quomodo Eccleſia carere poſsit Commentarijs Scripturas ſaltem indicantibus, non video, quales Philippi ſunt. Et quis non videt Epiſtolam ad Hebræos eſſe propè Commentarium? Item Pauli ad Romanos & Galatas? Quis enim ſic tractaturus erat ſacras Scripturas, niſi Paulus ſic tractandas eſſe monſtraſſet? At hoc monſtrare, ego appello commentari. Hoc ſolum à Philippo petitur. Ipſe vero, alia ſibi de ſe ipſo ſomniat peti. Igitur ad te mitto hoc meum latrocinium, Optime Gerbelli, vt & apud vos ſtudeatis vehementer commune & vulgare facere, quantumuis inuito authore. Nam ſpero Iohannem Secerium daturum operam, vt emendatius & acuratius excudatur, quam furtum meum antea excuſum eſt. Quanquam ſi inexorabilis Achilles iſte voluiſſet ipſe per ſeſe rhetoricari in hoc libello, multum lucis fortè & gratiæ addidiſſet. Nunc ſi etiam aliquid defuerit, vel diſpoſitioni vel eloquentiæ, tamen ipſa ſapientia & veritas, ſatis adfert gratiæ & lucis. Veracem enim & ſapientem iactabit is liber Philippum, niſi CHRISTVS non ſit veritas & ſapientia, quem ſpirat & docet. Licet cum CHRISTO & ipſe eligat ſtultus eſſe & dici. Atq; vtinam nos quoq; ſic ſtulti eſſemus cum ipſis, vt liceret gloriari, Stultum DEI ſapientius eſt quàm homines. Gaudeo valdè Ioannem Oecolampadion Baſileæ Iſaiam profiteri, quanquam audio id multis diſplicere. Sed ea eſt fortuna Chriſtianæ doctrinæ. Dabit & per eum virum nobis CHRISTVS aliquid lucis ſeu Commentarij in Prophetas.

Id quod vel cum primis deſiderant noſtra ſecula. Vale mi Gerbelli in CHRITSO, & ora pro peccatore & ſtulto Luthero, Saluta omnes noſtros in Domino. Vuitembergæ, Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

De libello aduerſus breue Papæ Adriani, quid ſit acturus nihil certi reſpondit. Pro cauſa Leimbachii rogatus intercedit. Crotum Vuitembergam vocandum eſſe cenſet. Rogat Spalatinum vt a Principe Franciſco Lamperto impetret aliquid ſubſidii, Baalitas Inferioris Germaniæ laborare, vt opera Reginæ Mariæ in ſuas crudeles manus a Bremenſibus tradatur Frater Heinricus propter Euangelium cremandus. Quid autem Bremenſes facturi ſint neſcire ſe ſcribit, de Thoma Muntzero Propheta nouo ſuum refert iudicium.

Breue Papæ Adriani inuenitur in 2. Tom. Germa. Ihen. folio 284.

GRatiam & pacem. De libello aduerſus breue Magiſtri Adriani nihil dum conſtitui. Quod ſi venerit in mentem ſic ſcribam, vt meā ſolius cauſam agam. Leimbachij cauſam video eſſe perplexam, ideo me parum mouet, niſi quod interceſſionē negare non potui, certè exemplar Chirographi, quod nouiſsimè ad me miſiſti tale eſt, vt nollem à Principe acceptum, cum videatur non nihil olere vim quandā ſeu violentiam. Rurſum quia ſcio rem eſſe de Māmona iniquitatis, facilè perſuadeor, vtramq; partem talem eſſe, quæ non ſit lota à ſordibus ſuis. Ego iſta curare nolo, ipſi viderint, ſi quid autem reſponderint mittam. Actum eſt apud me, vt apud te ſolicitem, quandoquidem Princeps aſciſci coniugē non permittit ad Bethauen noſtram, vt ſuggeres Crotum vocandū qui idoneus eſſet ad cuſtodem talem, qui res prudenter nouare &

uare & iuuare queat, ita Philippo & mihi alijsq; quibuſdam viſum eſt. Spero enim non fore iſtas abominationes perpetuas, ſed in meliorem vſum & ſtudia & ſtipendia iſta mutanda, ſi viri apti adhibeantur. Franciſcus Lampertus per me orat, vt apud Principem ei impetres augmentum, ſicut id donum ſiue ſtipendium vocas, quod modo accipit, quæritur Auditorum ingratitudinem, vt nihil pendeant, quo fit vt opus habeat petere vt x. accipiat, vbi 6. accepit à Principe. Intelligis tu ſatis quid velit. Pauper eſt & bonus, deinde alienis terris, nec diu hic manſurus vt ſonat, Baalitæ Inferiores egerant apud ſuum Iſabellam vt à Bremenſibus poſtularet f. Heinricum tanquam Cæſaris captiuum. Quid Bremenſes ſint facturi nondum ſcimus. Alſtadij Quæſtorem cum apud me eſſet monui, vt Thomæ Prophetæ ſpiritum ab ſe alienaret, ſi quid interim actum eſt ignoro. Ego planè ſpiritum iſtum, quisquis ſit, non queo ferre. Laudat mea (vt Thomas ipſe ſcribit) & tamen contemnit, & alia maiora quærit. Dninde ſic abſurdis & inuſitatis extra Scriptura verbis & orationibus loquitur, vt Phreneticum aut ebrium credas. Nos fugit & congredi non vult, & tamen ſeſe mirè iactat. Rogaui itaq; Quæſtorem vt vrgeret hominem ad cōferendum nobiſcum ſuam doctrinam, neſcio an efficiet. Noſter ſpiritus talis non eſt qui metuat audiri & conferri cum omnibus etiam malis & bonis ſpiritibus. Vale & ora pro me, die Inuenti Stephani, Anno M. D. XXIII.

Thomas Muntzerus, nouus Propheta.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Rurſus intercedit pro Franciſco Lamperto, vt Princeps illi diſceſſuro liberalius aliquod viaticum largiatur.

GRatia & pax. Lampertus Franciſcus ſtatuit è noſtris terris diſcedere Thuregum, iſtic melius aliturus & maiora facturus ob vicinitatem Galliæ, qui apud nos eſſe copiam ſentit docentium. Benè igitur feceris, ſi pauperi apud Principem patronus fueris, vt viaticum obtineat, nam & debitis quoq; inuolutus eſt. Idcirco largiore manu opus habet, præſertim cum ſit hæc fortè vltima largitio, & Principis nomen apud exteros iſtos in Gallia magis commendabit. Vale & ora pro me. Vuitembergæ, die 14. Auguſti M.D.XXIII.

Viaticum pro Fran. Lamperto.

Martinus Lutherus.

CLARISSIMIS VENERABILIBVSQVE Viris, Dominis, Præpoſito, Decano & Canonicis, totiq; Capitulo Eccleſiæ omnium Sanctorum Vuitembergæ, Dominis ſuis in Domino ſuſpiciendis & venerandis.

Præſcribit illis Sacrificulis Formam, qua ſuas ceremonias in templo ab impietate repurgandas cenſet, atq; huic ſuæ Formæ præſcriptæ adiicit de certis quibusdam capitibus perſpicuam & grauem Apologiam.

GRatia & pax. Clariſsimi viri ac venerabiles in CHRISTO Domini. Quoniam equidem ex me poſcitis, præſcribi vobis Inſtitutum pietatis, quo temperetur illa veſtra merce-

naria

naria religio templi ueſtri: Ecce quod poſſum hoc facio, nihil dubitans, quin inter vos ſint, qui meliora poſsint, vt qui veſtra omnia melius norint, & noſtra non ignorant, ſubmittimus tamen hæc iudicio veſtro libenter.

Imprimis ſi ita eſt, (vt aliqui veſtri teſtantur,) Miſſarum iſtarum Chaos, vel magnam ſaltem partem per ebrioſos & oſcitantes homines celebrari, qui prorſus nihil ſpectant niſi lucrum, quod boatu ſuo aut officij ſui ludrico captãt, hi prorſus ſunt vel excludendi, vel ad ſobrietatem cogendi. Fruſtra enim præſumitur officium aut opus, præſertim in re diuina, vbi perſonæ quantum fieri poteſt, non habentur idoneæ. 1. Idoneæ perſonæ adhibendæ ad miniſterium Eccleſiaſticum.

Secundo, perſonis idoneis retentis uel denuò aſſumptis, abrogentur in vniuerſum omnes Miſſæ ac Vigiliæ mercenariæ, non aduertendo, an aliqui adhuc non intelligant, vel non intelligere poſsint, Miſſarum iſtarum vſum eſſe ſacrilegum & abominabilem, poſtquam ſatis audierunt & viderunt de his rebus fermè toto biennio. Neq; ſub rege Ioſia omnes Prophetæ Baal intelligebant ſua eſſe impia, quos tamen Ioſias non ſpectabat cum illorum Idolatriam vaſtaret, Deinde aliud eſt tolerare infirmos in rebus neutris, ſed in rebus manifeſtè impijs, impium eſt tolerare, eaq; impietate certum eſt nos quoq; pollui, ſi diutius ferremus tacendo ſicuti hactenus tacuimus. 2. Abrogatio Miſſarum.

Tertio, matutinæ, veſpertinæ horæ, completoriũ maneant, ſic tamen vt de tempore cantilenæ cantentur ſolum, ac de nullis Sanctis, niſi quos è Scriptura habemus. Et collectæ 3. Quid in cantilenis retinendum ſit.

vel cantica quæ ſonant ſanctorum ſuffragia mutentur collectis & canticis de tempore.

Lectiones veteris & noui Teſtamenti.

Loco autem Miſſarum fiat ſub matutinis ante Te DEVM laudamus, lectio veteris Teſtamenti, cum exhortatione, Apoſtolico ritu & interpretatione, vt 1. Cor. 14. legitur, hanc præſtet Præpoſitus vel qui placuerit.

Veſperi itidem lectio noui Teſtamenti cum interpretatione fiat, quam D. Ambsdorffius vel alius præſtat, idq́; pulchrum eſſet ante Magnificat fieri loco Hymnorum vel poſt Hymnos. Completorium iure nominis & ſignificati ſui poſt cœnam ſtatim ante ſomnum compleri oportebat.

4. Diſtributio præſentiarum.

Quarto ſicuti præſentiæ hactenus ijs qui Miſsis & vigilijs interfueruet diſtributæ ſunt, & abſentibus negatæ, ita modo diſtribuantur vel auferantur ijs, qui lectionibus interfuerint vel defuerint, ſic fiet vt præſentijs frui poſsint etiam ij, qui pij eſſe volunt, quibus hactenus nemo niſi impius eſſe vellet, frui potuit, ita tamen ſine opere vel officio nemo nunc fruetur, qui lectionibus ſcilicet inſeruient liberaliter.

5. Abrogatio Minoris Chori.

Quinto Chorum minorem in quendam ordinem redigi aut prorſus aboleri oportet, vt qui prorſus & ſolum hoc cogit, vt virginem Mariam colat Mediatricem loco CHRISTI.

6. diebus feſtis Meſſa in

Sexto feſtis & Dominicis diebus vna Miſſa celebretur, communicantibus ijs, qui alioqui libenter eelebrare ſolent aut vellent.

Primo

RATIO.

Primò, de Miſſa, quod ipſa ſit neq; ſacrificium neq; opus, probant verba CHRISTI inſtituentis, deinde exemplum ipſorum Apoſtolorum, primitiuæq; Eccleſiæ totius. Deniq; quæratur ac Miſſarijs, quis ſit vſus vel fructus Miſſarum ſuatum? ſi dixerint, pro peccatis abolendis, vel DEI cultu eas haberi, manifeſtè patet impietas, cum modo vnum ſit ſacrificium pro peccatis abolendis, nempe CHRISTVS, qui ſemel oblatus eſt, cuius omnes participes efficiuntur non operando neq; ſacrificando, ſed credendo ſolum per verbum. Huic ſacrificio addere, tanquam non exhauſerit omnium peccata, blaſphemum eſt. Stet igitur ſententia, aut CHRISTI morte non eſſe deleta peccata præſentia, & futura, aut Miſſam ſacrificium aut opus pro peccatis eſſe non poſſe. Vſu enim fidei per Miſſam exercitato, mors CHRISTI ſola peccatorum victrix & efficax in nobis ſit, non autem opere aut ſacrificio. 1. Argumenta contra Miſſarios.

Secundò de vigilijs & ſanctis hæc eſt ratio, quod periculum ſit tentare quippiam in re ſacra & coram DEO, quod certum Teſtimonium & exemplum in Scripturis non habet. Cum in ijs quæ certa ſunt, ſatis ſit adhuc imperfecti & mali noſtri. At de mortuis & ſanctis nihil habetur in Scripturis, ideo quamuis priuato affectui ſpiritualis viri indulgendum ſit, vt in his ſuo ſenſu abundet: tamen manifeſtã & publicam religionem in his tolerare non licet, propter ſcandalũ 2. Vigiliæ & inuocatio ſanctorum.

ignorantium & infirmorum, qui huc affluunt relicta fide. Deinde ſuſpecta ſunt vtraq;, quod ſignis mendacibus, & priuatis Scripturæ teſtimonijs introducta ſunt.

Vſitatus cultus.

Patet itaq; cultum hunc à nobis præſcriptum, quondam omnibus Chriſtianis fuiſſe communem, poſtea dilabentibus populis miniſtri Eccleſiarum ſoli & Latinè eum tenuerunt. Hinc cepit diſtinctio Cleri & Laicorum.

Diſtinctio Cleri & Laicorum.

Poſtea maiori malo Communis omnium cultus in peculiare ſeruitium DEI ceptum eſt verti, & ſic ex lectionibus, & Synaxi opus fieri, poſthabita fide, & tractatione verbi, donec cum omnium ſummo malo & damno ceptus eſt communis cultus à Clero laicis vendi, pro peccatis redimendis & placando DEO.

Antichriſti damna.

Sic extinctus & ſublatus vnus Mediator hominum CHRISTVS, in locum ſuum accepit ſyluas & arenas iſtas mediatorum & interceſſorum. Quod ne denuò eueniat, neque diutius perſeueret, curandum eſt. Curabitur autem nulla alia via, quam miniſterio verbi reuocato & ſeruato. Si videbitur hic cultus tenuis & ſordidus, præ illo priore ſplendido & denſo hactenus habito, ſpectetur contra & quam tenuis imò nihil fuerit CHRISTVS, regnante apud Iudæos illa copia denſiſsimi & præpotentiſsimi cultus. Rurſus quam plenus & robuſtus futurus ſit CHRISTVS in fide & charitate, per hunc tenuem cultum.

Hæc habui modo optimi viri quæ ſuggerem, cætera in libellis meis de votis & de Miſsis poterit qui volet latius videre,

videre. Dominus autem qui eluxit denuò nobis in bonitate ſua, illuminet & accendat corda veſtra, vt cognoſcatis & faciatis voluntatem eius bonam, placentem atq; perfectam, Amen, &c: Ex Cœnobio noſtro, feria quarta poſt Aſſumptionem Mariæ, M. D. XXIII.

Martinus Luther.

NICOLAO HAVSMANNO.

Excuſat ſe quod ad ſuas literas non reſponderit & cauſatur multitudinem ſuorum negotiorum.

GRatia & pax. Certum eſt optime Nicolae D. Caſparum apud me ſolicitaſſe quod tu petis: Sed cum res differetur donec famulus ſanaretur, & à me denuò peteretur, interim ego aliquò profectus domũ reuerſus inueni illos abijſſe. Deinde cum ego nunc obruar vel ſolis epiſtolis ſcribendis, tot negotijs vexatus è memoria amiſi quæ eſſent capitula in quibus cõſuluiſti, nihilq; memini, niſi quod ſcio inſtitutionem & ordinem rei ſacræ eſſe in cauſa iſta, idq; valdè doleo: Sed non poſſum aliter, vnus quomodo omnia feret aut memoria teneat tot & tanta? Ignoſce itaq; mihi. Culpa eſt meæ memoriæ ſi multitudo negotiorum me non excuſat. Quare adhuc ſignifica mihi ſi placet, cauſam ex integro, & ſeruum tuum me ſenties, ac vale in Domino perenniter, Vuitembergæ, feria 4. poſt Aſſumptionis, M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Iudicium ſuum ſcribit de libro quodam Auguſtinenſis incerti authoris: Item de Epiſtolis cuiuſdam Ciuis Eilenburgenſis quid iudicet,& ſententiam ſuam de ſigno filii hominis in iuditii die exponit, de Bulla Adriani reſpondet.

GRatia & pax.Librum ſeu volumen potius Auguſtinenſis Philippo tradidi iudicandũ:Ego alia habeo, quæ vrgent magis,quam vt cuiuslibet ſtudia queam perſpicere. Mihi ſanè videtur nõ eſſe opus eo libro in Eccleſia DEI.Deinde quod prolixus ſit.Maximè verò noui & ignoti autoris, vt ne quæſtus quidem ſpes eſſe poſsit.Literas Ciuis Eylenburgen. remitto,quas non prohibeo nec iubeo vt excudantur, Epiſtola tamen prior nihil eſt,vt publicum ferre poſsit, vel ipſo teſte authore.Fabulam iſtam de Italia vel Romana Monacha expecto,nihil metuens. Sigmentum ita craſſum eſt,vt niſi Magiſtro Adriano conueniat,nulli mortaliũ quantumuis inepto conuenire poſsit.Signum filij hominis in cœlo futurum iudicij die incertum eſt, dictum ſignum filij hominis, more ebræo,pro ſignum filius hominis. Nam crucem per illud ſignum intelligi, nihil eſt, ſic ſentio. Eſſe Ironiam Paulinam non dubito,vbi negat noſſe ſe Pontificem. Rationes quibus moueor in libello ſignaui vernaculo contra falſos Epiſcopos ſcripto.De Bulla Adriani nihil dum conſtitui. Quando autem Princeps illi reſpondere non propoſuit,quid fruſtra præſcribam formam, tot & tantis occupatus? Præſertim cum ea res & vires ingenij & eruditionis tum diligentiam quoq; inculpabi-

Signum filii hominis in coelo.

Bulla P. Adriani.

inculpabilem deſideret,vt totum me in illud conferre neceſſe ſit. Nam pro mea parte facilè ex bulla tanto Aſino reſponderem. Tu interim molire & meditare cui ocium eſt. Vale & ora pro me Vuitembergæ, feria 4. poſt Egidij, M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

DE nouis Halberſtadij tantum hic fama hadet, eſſe captum Ciuem vocabulo Schreiber diuitem & potentẽ, cæſis ex ſua parte ſex multisq́; vulneratis,qui fugientem foris tutari conati ſunt. Ferunt capitis eum accuſari, cauſa fertur de moneta vitiata, &c. Factio Sacerdotum iſta dicitur conſulere in eum,quibus fuerat aduerſarius.

GEORGIO SPALATINO.

Accuſat cuiuſdam Sacerdotis nuptias, quod annoſam & nummoſam vetulam duxerit in coniugem:

GRatia & pax. Obſequium & officium tuum imploro, mi Spalatine,nempe, vt has literas ad Greffendorffium maturè perferri cures. Eſt enim cauſa quæ me mouet. Spero autem ex aula iſta in illam vel ſemper vel frequenter haberi nuncios,cum ego nullos habeã. Vehementer diſplicent nuptię Volffgangi,quas tu ſignificas cum annoſa & nũmoſa vetula. Opprobrium eſt Euangelij ſic quærere Mammon & prolem contemnere, probaſſem ſi puellam ſpe prolis duxiſſet nunc fidei Doctor infidelitatis exemplo ſeipſum & nos traducit. Vale & ora pro me. Vuitembergæ, Sabbatho poſt Lamperti, M.D.XXIII.

Martinus Luther.

CLARIS-

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

CLARISSIMO ET ILLVTSRISSIMO Principi ac Domino, Domino Carolo Duci Sabaudiæ, ſuo in Chriſto Patrono Clementiſsimo.

Gratulatur Principi, quod Synceram Euangelii doctrinam amplecti ceperit, & de nonnullis præcipuis capitibus per Papam & Pontificios nefarie deprauatis ac corruptis, eum ex verbo Dei grauiter & pure erudit, deq; vera ſententia certorum Articulorum doctrinæ ſacræ eum confirmat, vt de articulo iuſtificationis, de bonis operibus, de fructu fidei, de ceremoniis, de vera ratione excōmunicationis, de vtraq; ſpecie Coenæ Domini. Deniq; docet eum, qua manſuetudine ipſe ſuo loco adiuuare debeat repurgationem Eccleſiæ a manifeſto impietatis fermento, & vt creſcat in agnitione puritatis doctrinæ coeleſtis optat.

GRatiam & pacem in CHRISTO IHESV Domino noſtro, Amen. In primis veniam abs tua Clementia peto, Illuſtriſsime Princeps, quod ego fex hominum, neq; iuſſus neq; vocatus, ad tuam Celſitudinē audeo ſcribere prior. Facit id gloria Euangelij CHRISTI, in qua & ego glorior & gaudeo, vbi vbi illam videro & audiero clarere aut ſurgere. Dabit igitur tua Celſitudo id Euangelij cauſæ, quod præ gaudio tuam Dominationē illuſtriſsimam ſaluto prior. Peruenit enim ad nos fama, eamq; confirmauit Annemundus Coctus Eques auratus Gallus, incredibiliter feruens in gloriam Euangelij, eſſe ſcilicet Ducem Sabaudiæ ſincerę pietatis vehementer ſtudioſum, rariſsimo certè inter Principes dono DEI. Proinde dignum eſſe iudicaui, vt digniſsimus Princeps à me indigniſsimo gratulandi officio ſaltem benediceretur

Rationes, cur Lutherus ſcripſerit hanc Epiſtolam.

diceretur & animarctur. Quod exemplo T.D. pulcherrimo plurimos lucrifacere poterit CHRISTVS. Itaq; quo certius T.D. internoſcat quantum nobiſcum ſapiat, & quam diuerſum ſacrilegi Sophiſtæ hactenus ſub Papa docuerint, non pigebit me hic aliquot capita per ordinem recenſere, ſimul velut rationem reddens noſtræ doctrinæ. Quo habeat T.D. quod opponat ijs qui maligna de nobis loquuntur, & T.D. ſynceritatem aſtu ſatanæ tentare volent.

Capita doctrinæ Chriſtianæ.

Primùm docemur & docemus ſalutis initium imo totum pondus eſſe fidem in CHRISTVM, per ſanguinem ſuum ſolum, non per noſtra opera peccata delentem, mortis imperium tollentem, & vt propheta ait captiuitatem captiuam ducentem. Sic enim Paulus Gal. 2. Si ex lege iuſtitia, ergo CHRISTVS gratis mortuus eſt, abſit. Et Rom. 3. Arbitramur hominem iuſtificari ex fide ſine operibus legis. Hanc verò fidem adſerimus donum DEI eſſe, & in corde noſtro per Spiritum ſanctum creari, non noſtris actibus (vt vocant) fingi aut formari, quam illi fidem acquiſitam, id eſt, imaginem ſomni habent. Res viua eſt fides, totum immutans hominem, nullo præcedente noſtro merito, ſed ſolo verbo DEI, vt dicitur Roma. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum CHRISTI. 1. Iuſtitia fidei

Ex hoc primo capite conſequens eſt, ſacrilegum eſſe & abominabile, quicquid hactenus Pontifices, Scholæ & Monaſteria de ſatisfactionibus, de operibus meritorijs, congruis & indignis in toto orbe diſſeminauerunt, eſſeq; omnia Mo- Iuſtitia operum in Papatu.

naſteriorum & Sacerdotum inſtituta prorſus perditionis ſectas, de quibus CHRISTVS prædixerit, Multi venient in nomine meo, dicentes, Hic & hic eſt CHRISTVS. Nam ſi operibus noſtris peccata delentur, & impetratur gratia, ergo non ſanguine CHRISTI. Quid ergo niſi CHRISTVS fruſtra mortuus? Sin autem per ſanguinem CHRISTI impetratur, Ergo non operibus noſtris. Quid ergo niſi fruſtra ſunt omnium Monaſteriorum & operariorum ſtudia? præſertim cum illi opera ſua non ſimpliciter faciant, ſed tanquam coram DEO per hæc victuri, id quod ſoli ſanguini CHRISTI debetur. Merito itaq; cenſemus omnia Monaſteria, & cathedrales & quaſcunq; ſimiles Abominationes in loco ſancto ſtantes, penitus abolendas, aut deſerendas eſſe, vt quæ in manifeſtam ſanguinis CHRISTI & fidei iniuriam hominibus perſuadent operibus ſuis fidere, ſalutem quærere, quod nihil eſt aliud, quam Dominum, qui nos mercatus eſt, negare, vt Petrus ait.

2. Secundum caput eſt, iuſtificatis iam per fidem verbi, & in ſotietatem CHRISTI incorporatis, omnibusq; iam peccatis & morbis in CHRISTO victis, reſtare, vt bona faciamus, & bene viuamus. Non vt per hæc boni fiamus, aut peccata deleamus (quod fidei ſolius eſt) ſed vt tanquam bonæ arbores bonis fructibus teſtemur nos eſſe iam ſine peccatis. Vt enim arbor bona non fit fructibus ſuis bona, ſed cognoſcitur tanquam certiſsimis argumentis, certumq; fit arborem

Bona opera iuſtificatar ũ

rem eſſe bonam, quæ non ſibi ipſi, ſed alijs fructuoſa eſt, Ita & nos, authore Paulo, fidem per charitatem efficacem eſſe probamus, dum operibus teſtamur, ſeu certum facimus, nos non egere operibus bonis ad iuſticiam, ſed eam iam habere per fidem in corde. Proinde talia opera docemus, quæ non nobis, ſed proximo tantum vtilia & neceſſaria ſunt, hæc eſt charitas. Et hic iterum damnantur Monaſteria, & totius orbis vulgatæ illæ fundationes, quod talia ſint eorum omnia opera & ſtudia, tam fundantium quam fundatorum, vt ijs ſuæ ſaluti pro ſuis (vt vocant) animabus, & ſuorum conſuluerint, non eſt ibi opus quod alteri, ſed quod nobis ipſis tantum quæritur, id quod ex diametro pugnat cum charitate. Damnatio Monaſterorum.

Ex ijs iam tertio capite ſequitur, quod nullæ traditiones aut decreta Patrum, aut ſtatuta conciliorum neceſſaria ſint, aut ad peccatum obligare poſsint. Quia ſicut opera talium ſeruata, ſeu obedientia eorum nihil prodeſt coram DEO pro peccatis tollendis (hoc enim ſolius Agni eſt peccata tollentis, etiam totius mundi per fidem in ſeſe.) Ita nec neglecta faciunt reum. Et cum ſit impoſsibile eſſe legem, quæ reum non faciat neglecta, quæq; abſoluere nõ poſsit ſeruata, quæ enim eſſet lex, quæ ſeruata nihil proſit, & tamen omiſſa obſit? Proinde fatemur mundum eſſe per Papas, concilia, patrum decreta miſerrimè ſeductum ac irretitum ijs hominum traditionibus, verius autem laqueis diaboli, dum omnibus 3. Traditiones humanæ & decreta conciliorum.

perſuaſum fuit ijs ſeruatis ſalutem, ijs omiſsis perditioně contingere. Hoc figmento obſcuratus eſt CHRISTVS, Euangelion, fides, charitas, verè bona opera, libertas Chriſtiana, & in ſumma, nobis palma ſalutis intercepta, vt fruſtra currere coacti ſimus.

Excommunicatio Papæ.

Proinde & teterrimã illam Tyrannidem Excommunicationis abolitam & deſertam oportuit, qua ſuas abominationes ſtabilierunt. Neq; enim vllum aliud habent Pontifices in Eccleſia officium, quam verbi miniſterium, nec eſt locus Excommunicationi, quam ſi quiſpiam contra fidem vel charitatem peccet. In quibus caſibus Papa non ſolum non excommunicat, ſed licentiam & ſecuritatem tum exemplo proprio, tum verbo ſuo indulget, ſolum autem in ſuis ſacrilegis traditionibus fulminat. Quas vt dixi liberas eſſe imo nullas oportuit, cum Chriſtiani non alio niſi verbo eo regi debeant, quo Chriſtiani, id eſt, liberi à peccatis fiant, hoc eſt ſolo Euangelio DEI puro, ſine additionibus Conciliorum, Doctorum, Patrum. Quid enim eſt Chriſtianos regere eo verbo, quo ſeruato Chriſtiani neq; fiant, neq; maneant, imo eſſe Chriſtiani deſinant, & CHRISTVM amittant? At huiuſmodi eſt omne verbum extra Euangelium, cum (vt diximus) non opera noſtra, ſed ſanguis CHRISTI nos à peccatis lauet. Non ergo operibus & virtutibus hominum, quare nec legibus hominum, ſed ſola virtute CHRISTI in nobis ſalus regnat.

Porro hi qui Chriſtiani non ſunt, alia ratione cohercendi ſunt

ſunt quam traditionibus hominum. Hi enim ſinendi ſunt, & (vt Paulus ait) cum eis non miſceri oportet. Eſt gladius (vt vocant) ſecularis, ſunt Magiſtratus, horum eſt malos cohercere ab operibus malis metu gladij, vt Rom. 13. docet Paulus. Chriſtianos verò reget Epiſcopus ſine gladio, ſolo verbo DEI, quando certum eſt Chriſtianos non eſſe, niſi ſpontaneè boni ſint, quod fit vi Spiritus fidei, vt ad Rom. 8. dicit, Qui Spiritu DEI aguntur, filij DEI ſunt, Quæ eſt ergo inſania ſpontaneè bonos vrgere legibus malorum, aut violenter eſſe boni? ſanè & Chriſtiani, vt omnia ſponte faciunt, ita & gladio ſubſunt, & legibus malorum, imo & gladium gerunt non ſuo commodo (cum nullius egeant ad iuſtitiam & ſalutem niſi fidei,) ſed ad aliorum exemplum, & ad communem pacem ſeruandam, Iusq; gladij corroborundum. Itaq; liberi ſunt, & liberè vti debent quibuscunq; traditionibus ac ceremonijs.

Chriſtiani quomodo regendi.

Iam verò illud omnium teterrimum, nec niſi certiſsimus certiſsimi Antichriſti auſus & temeritas, vt non ſatis habuerit liberos Chriſtianos ſuis legibus vexare ſtultis & inutilibus, imo fidei noxijs, inſuper manum miſit manifeſtè ſacrilegam in teſtamentum DEI. Primo vtranq; Euchariſtiæ ſpetiem abſtulit vniuerſo orbi, cum tam clarè dixerit CHRISTVS, Bibite ex eo omnes. Hic planè non amplius ſeruiendum eſt captìuitati, ſatis parcitum eſt infirmitati multorum, quos ille captiuos tenuit. Reuocandus eſt ergo tandem vſus vtriusq; partis Sacramenti cum fiducia, ſiue id nolint portæ

Temeritas Antichriſti.

Prophanatio cænæ Domini.

 Inferorum,

inferorum, ſiue Angeli Cœli, cum nos habeamus Maieſtatis diuinæ authoritatem & Teſtimonium, imo inſtitutum & præceptum. Sic quod ex Miſſa (quæ verbum eſt Euangelij promiſsionis cum adiecto ſigno Corporis & Sanguinis Chriſti, ad fidem alendam inſtituta) opus & ſacrificium fecerunt, ſemper in locum fidei opera ſua ſtatuentes furioſè & ſingulis diebus tot miſſarum millibus CHRISTVM offerentes, cum ille ſemel ſeſe obtulit, & amplius nec ſeipſum offerre velit, nec opus ſit, ſemel & vna oblatione exhauſtis omnium peccatis qui credunt. Hæc ſunt ferme rerum capita, quæ vellem Clariſsime Princeps, vt (ſicut cepiſti) ſtrenuo ſtudio iuuares publica fieri, vi gladij nihil geri neq; tentari volo, neq; id proſperum erit, ſed tantum vt ſub tua Celſitudine Domino tuti ſint atq; vocentur, qui ſincerè Euangeliſſent. Iſte enim erit modus, hæc via qua deſtruet CHRISTVS Antichriſtum illum Spiritu oris ſui, vt iuxta Danielem, ſine manu conteratur, cuius aduentus fuit per efficaciam Sathanæ in ſignis mendacibus, non enim Sathanas Sathanam eijciet, ſed digito DEI eijciuntur demonia. Macte ergo Princeps illuſtriſsime & Heros generoſiſsime ſuſcita eam quæ in te cepit ardere Scintillam, & fac vt ignis egrediatur de Domo Sabaudiæ, ceu de Domo Ioſeph, & ſit ei tota Gallia quaſi ſtipula, & ardeat Sanctum illud incendium CHRISTI, imo flagret, vt verè tandem Francia poſsit dici, ab Euangelio regnum Chriſtianiſsimum quod hactenus ab impio in Antichriſtum, propter effuſum

Miſſarum cultus.

Quomodo regnum Antichriſti ſit deſtruendū

Votum Lutheri.

Sanguinem

Sanguinem, officio, impiè dictum eſt Chriſtianiſsimum. Amen. Dominus autem IHESVS CHRISTVS ſibilet ſpiritu ſuo in cor tuum & tuorum, vt faciatis omnes quæ ad gloriam ſancti ſui verbi faciant, Amen. Vuitembergæ. Anno M. D. XXIII. die 7. Septembris.

Martinus Lutherus.

NICOLAO HAVSMANNO.

Pollicetur modeſtiam & tolerantiam erga Eraſmum, qui immodicis calumniis in ſuam perſonam & mores in libello, quem inſcripſit Spongiam, fuerat debachatus. Inſuper indigne fert aliquas Epiſtolas ſuas ad priuatos de Eraſmo ſcriptas ſe inſcio æditas eſſe, ſe enim tantam cauſam quam agit, auxiliante Deo, cuius hæc cauſa ſit, intrepide tutari velle. Poſtremo optat Eraſmo mentem ſaniorem. Inſerta huic Epiſtolæ Schedula, nuntiat quædam noua de tumultu cum Ciue Halberſtadio capto inſidiis Sacrificorum.

GRatia & pax in Domino. Tu potius optime N. pro me ora, quantum tu nunc maiore otio donatus es & pietate me ſuperas: Opto ſanè & oro Dominum IHESVM, vt tibi quod petis linguæ donum impertiat in laudem Gratiæ ſuæ. Cæterum quod ſcribis, ne irriter in Eraſmum, ante impetratum eſt, quod rogaſti. Equidē Huttenū nollem expoſtulaſſe, multo minus Eraſmū exterſiſſe. ſi hoc eſt ſpongia abſtergere rogo quid eſt maledicere & cōuiciari? Prorſus fruſtra ſperat Eraſ: ſua Rethorica ſic omnib. ingenijs abuti, quaſi nemo ſit, imo quaſi pauci ſint, qui ſentiāt quid alat Eraſ: optabilius eſt, cōtra ſe ſcribat. Incredibilē enim & nominis & authoritatis iacturam fecit

fecit hoc libro, vt me planè hominis miſereat, qui ad cauſam nunquam accedit, & ſic in vitia amicorum iam ſecundo ſæuit: Cum in Læum hoſtem fuerit tam lenis, & ipſe aliàs omnes à maledicendo etiam inimicos dehortatur ac valde deteſtatur. Ego ſemper cauſam expectaui vt ageret, in mores facilè eſt rethoricari. Porrò æditæ eſt & mea Epiſtola de Eraſmo priuatim ſcripta, deinde alia ad Fabritium, quod me vehementer malè habet, quanquã nullius verbi me pudeat, ſi palàm ſit defendendum, piget tamen publica fieri per importunos iſtos (neſcio quem vocem) delatores, quæ priuatim amiculis ſcribuntur. Porrò mihi Eraſmi ſcriptio ſicut nihil nocet ſi aduerſetur, ita nihil magis confidam ſi patrocinetur. Ego habeo qui cauſam defendat, etiamſi totus mundus in me ſolum inſaniat: Id quod Eraſmus in me vocat peruicatiam aſſerendi. Sed qui videam hominem eſſe tam longè ab intellectu Chriſtianarum rerum (quod hactenus non putaram, etſi aliquando ſuſpicarer) facilè patior, vt me vocet quocunq; volet nomine, donec cauſam attingat. Propoſitum eſt enim mihi, neq; vitam, neq; mores velle tueri, ſed ſolam cauſam, lacerent me moresq́; meos quicunq; velint, ſicut hactenus feci. Imò illis palàm vitam ipſam in corpore debeo, & magnam partẽ fiduciæ ſpiritus mei, qui mihi atrociſsimè maledicunt, meq́; traducũt, tantum abeſt, vt vellem Eraſmi gloria aut nomine vehi. Maior eſt mihi & timor in laudibus mei, gaudium verò in maledictis & blaphemijs, ſi hæc ſunt Eraſmo mirabilia, nihil miror. Diſcat CHRISTVM & vale

faciat

faciat humanæ prudentiæ, Dominus illuminet eum, & alium faciat virum ex Eraſmo, & omnes nos ſimul ſeruet & augeat, hoc opto ex animo quantum donatur optare. Vale mi N. & Eraſmum, ſi patitur, ſaluta meo nomine, ſed vera miſericordia, quam ſi contemnit, & magis forte ſperat quæ ipſe cogitat, libens perdidero & hoc votum. Vuitenbergæ prima Octobris, Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Fidem & dona Dei in nobis non obſcura nec incerta ſed nonnunquam infirma eſſe aſſerit. Significationem verborum Nouiſſe & Mirificare in dictis, Nouit Dominus viam Iuſtorum & mirificat ſanctos ſuos explicat. Noua de cæſo noctu Carmelita prouintiali, inſtinctu Sacerdotum propter Euangelium Halberſtadii nunciat.

SAlutem in Gratia. Adriani mortem Deo commendo. Cæterum non memini in Scripturis vſpiam inuentum, eſſe fidem & Dei dona in nobis obſcura & incerta, cum neceſſe ſit ea in opus exire, fateor quædam eſſe infirma, aliquando etiam abſente occaſione latere. Vt cum Elias poſt occiſionem Prophetarum Baal timeret Iſebellam, & iret quo voluntas eum ferebat, non Spiritus. Illud, nouit Dominus viam iuſtorum, Antitheſis eſt, quod viam impiorum non nouit Dominus, id eſt, agnoſcit & probat, rurſus, nec probat nec agnoſcit. Sic mirificat Sanctos ſuos de cruce dicitur, quod fideles ſuos ducit mirabiliter, vt Abraham duxit

è domo Patris neſcientem quo iret, Ebreo. 11. Sed non ideo non ſenſit ſeſe fidere, imò tum maximè ſenſit fidem, cum locum quo iret non ſentiret nec noſſet. Halberſtadij prouincialem Carmelitam ob Euangelion nocte laruatis vultibus miſerè ceciderunt quidam (à Sacerdotibus vt dicunt ſubornati) tandem exectis teſticulis, domum ſpoliauerunt, quem curat modo Senatus. Sic irritant vulgus miſeri in caput ſuum. Vale die Franciſci, Anno M. D. XXIII.

Carmelita prouincialis occiſus Halberſtadii.

Martinus Lutherus.

IOANNI RVCK.

Hortatur vt vocationem & conditionem expectet, & interpretatur Locum Hieremiæ 9. Item, quid ſit Characterem Beſtiæ in fronte & in manibus geſtare.

GRatiam & pacem. Nondum habeo alium locum, quo te mittam, optime Ioannes, itaq; tuum iudicium eſto, an illic maneas an huc venias, expectamus vocationem. Vxorem ducere ſi ſic ſentis bonum eſt, verum officio verbi non poteris præeſſe niſi primum loco certo deſtinatus Parochus fueris, aut manibus te alere cogites. Locus Ieremiæ 9. de attonſis comam ſignificat generaliter & ſimpliciter omnes Gentes, quæ Comam in fronte in duos Angulos abſcindunt, ſicut noſtri Laici omnes faciunt. Nam Iudæis prohibitum erat Comam aut Barbam tam radere quam præſcindere, præſertim in fronte. Ergo Ieremias hac nota Gentes diſcernit à Iudeis. Item Character Beſtiæ in fronte & in manibus &c. (quanquam liber eſt obſcurus & incertus)

meo

meo ſenſu eſt extrema obedientia Papæ & ſuarum Legum, quas & manu & aperta conuerſatione tenemus & confitemur. Qui enim non ſic fecerat & vixerat ac dixerat palam, ſicut Papa ſtatuit hactenus, filius mortis fuit, quantumuis intus aliud ſentiret: tamen Feræ characterem recipi & oſtendi oportuit. Saluta Præfectum meo nomine, ac Vale, orans pro me. Datæ Vuitenbergæ die Franciſci, Anno M. D. XXIII. T. Martinus Lutherus.

OMNIBVS QVI SVNT ESLINGAE Fratribus in CHRISTO. M. L.

De nonnullis manifeſte impiis & blaſphemis Articulis per Parochum Eſlingenſem iſtic propoſitis per Michaelem vero Stifelium ad ſe miſsis, Infirmos aliquos erudit, & in vera ſententia doctrinæ ſacræ grauiter confirmat.

GRatia & pax à DEO Patre noſtro, & Domino IHESV CHRISTO, D. Michael Stifelius articulos aliquot ad me miſit, Fratres in Chriſto chariſsimi, quos Parochus veſter vnà cum ſuis coadiutoribus condidiſſe dicitur, & ſunt tales.

I. Quod decreuerint cum gratia eos abſoluere, qui Lutheranam doctrinam abdicarent, quanquam eoſdem iure vt à Pontifice & Cæſare condemnatos, proſcribere poſsinr. Articuli Paſtoris Eslingenſis

II. Quod proſcribere velint, non abſoluere, præter Romanæ Eccleſiæ morem & decretum carnibus aut ouis veſcentes, niſi vehemens cauſa interceſsiſſet.

III. Quod velint homines omnia ſua peccata confiteri

Sacerdoti, quorum eſſent ſibi conſcij, veluti Lutherus ipſe confeſsionem commendaret.

IIII. Quod in peccatis & caſibus Pontifici & Epiſcoporum iudicio reſeruatis ſe gerere perinde velint, atq; hactenus ſint ſoliti.

V. Quia recepta vſu conſuetudo conditæ legis inſtar haberetur, velut bina per Quadrageſimale Ieiunium confeſsione homines purgari.

VI. Quod nolint eis abſolutionem donare, qui iniunctam eſſent recuſaturi pœnitentiam, dicentes Chriſtum pro peccatis ſatisfeciſſe.

Futiles illi Articuli antea confutati.

Quanquam nunc Chariſsimi operæ pretium non ſit, ad ſic futiles & nullius momenti articulos multis reſpondere, quod nihil addubitem plures apud vos eſſe probè perſpicientes, quantum in illis ſit cum cæcitatis tum amentiæ. Et qui non fortius adheret Euangelio, quam vt tam infœlicibus motus articulis auellatur, neſcio quantum huic prodeſſe queat, etiamſi plus centies ad hoſce confutandos ſcriberem: Poſteaquam infinitis penè libellis huiuſmodi humanorum ſomniorum nugas, ſtultorumq; commenta, Scripturarum teſtimonijs inexpugnabilibus ad vnum omnia refellerim atq; debilitarim. Quoniam verò tantopere à me efflagitaſtis, quantum per otium licuerit, reſpondebo paucisſimis.

Lutheri Cōfutatio.

Iuſtitia Chriſtianorum.

Principio quidem ad hunc modum predicamus, docemus & ſcripſimus omnes conatus noſtros, vires noſtras opera noſtra nihil poſſe, & nullius pretij eſſe coram DEO, eſſeq;

eſſeq; prorſus de viribus noſtris deſperandum. Sed quod tantum per Chriſti Sanguinem & meritum ſeruaremur à peccatis liberati & iuſtificati. Sicut Paulus ad Ro. 3. ſcribit Omnes enim peccauerunt ac deſtituuntur gloria DEI, Iuſtificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ eſt in CHRISTO IHESV, quem propoſuit DEVS Reconciliatorem, per fidem interueniente ipſius ſanguine, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſsionem peccatorum &c. Hic videmus liquidò nos non noſtris operibus, cum omnes peccatores ſimus, nihilq; aliud atq; peccare potentes, ſed CHRISTI ſanguine liberari ac iuſtificari, Si crediderimus. Neq; enim operibus CHRISTI Sanguinem, & à peccatis redemptionem promereri poſſumus. Nam quorſum fide nobis opus eſſet, quæ Sola redemptionem hanc percipit, occupat ac retinet. Et ſi opera noſtra rem tantam parare poſsint, poſſent haud dubio & duorum aut trium aut etiam decem peccatorum, & deinceps omnium quoq; veniam promereri. Porrò ſi omnium nequeunt veniam impetrare, nec vnius aut alterius poterint. Hic verò Paulus clarè affirmat citra meritum, atq; adeo gratuito remitti peccata, nimirum per Sanguinem CHRISTI, quo fuſo nos à mortis & peccati Tyrannide liberos adſeruit. Hinc ergo planum fit, aut verum eſſe, nos ne vnius quidem peccati maculam aut labem eluere poſſe, aut ſi peccatorum abolendorum facultas penes nos eſt, noſtriſq; operibus relicta impetranda, CHRISTI Sanguinem vt temerè fuſum otioſum eſſe, dubium

Remiſsio peccatorũ gratuita.

bium non eſt. Sed & Paulus impudenter mentitus eſt, cum dicat peccata nullorum meritorum aut operum reſpectu, liberè & ex gratia per CHRISTI ſanguinem condonari credentibus. Atq; hoc Chriſtianæ doctrinæ fundamentum eſt & caput, nos noſtris operibus peccata abolere non poſſe, ſed credendum nobis eſſe, hoc Chriſtum ſanguine ſuo præſtitiſſe. Hæc fides adeo ſola ſine operibus Iuſtificat.

Fundamentum doctrinæ Chriſtianæ.

Papiſtarum Blaſphemiæ

Hinc liquidò videtis excæcati Parochi veſtri articulos omnes ad vnum eſſe impios, quibus CHRISTI ſanguis pretioſus ſumma contumelia adficitur. Veluti quoq; ex æquo faciunt Pontifex Romanus, Cæſar, Epiſcopi, Principes Germani talem doctrinam condemnantes, atq; adeo inſectantes, verbis ſic expreſsis à Paulo traditam & ad poſteros transmiſſam. Proinde Parochus veſter Lupum non paſtorem agit, dum in ſexto articulo pœnitentiam (quam vocant) pro peccatis exigit, iniungitq;, perinde ac ſi noſtra opera ſublatis peccatis DEO nos reconciliarent: Quod quidem tanti muneris functio fuit, quam nemo nec in cœlis nec in terris præter filium DEI adeo ſolum per ſanguinem eius obire potuit, veluti teſtatur ad Hebreos Epiſtola cap. 1. per ſemetipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum, &c. Quicunq; ergo hunc Parochi veſtri articulum ſequutus fuerit, hic CHRISTVM abnegare cogitur, proq; idolatria habere, ſicut Parochus cum ſuis ſolitus eſt.

Confutatio 6. Articuli.

Atqui idem articulus, & CHRISTI ſanguinem condemnat.

demnat. Non enim alio nomine condemnatus eſt Lutherus, quam quod CHRISTI ſanguine peccatorum condonationem præſtari credentibus doceat. Quod Papiſticis doctrinis & legibus aduerſatur, per opera Liberi Arbitrij peccata remitti aſſerentibus. Hinc CHRISTI doctrina & Papæ ex diametro pugnat, veluti dies & nox, vita & mors. Nunc qui Articulum hunc amplexus ſequitur, à DEO damnatus eſt, quod ſi non ſequitur, vnà cum CHRISTO & doctrina ſua, à Mundo, Papa, & Cæſare damnatus eſt.

Secundus Articulus non minus habet ſtoliditatis, ſi hoc vult, quod talis obedientia, nimirum abſtinere ab eſu carnium, ad delenda peccata opus bonum ſit & probatum. Nam ſicut dictum eſt, nec eſca nec potus, nec fames aut ſitis hoc facit, ſed vnius Chriſti ſanguis pro peccatis noſtris effuſus. Quod ſi hæc obedientia peccata non eluit aut extinguit, neceſſario ſequitur, nec inobedientiam peccata facere poſſe: Siquidem vbicunq; obedientia non eſt neceſſaria, ibi quoq; inobedientiam innoxiam & ſine periculo eſſe certum eſt. Proinde coram Deo peccatum non eſt carnibus veſci aut piſcibus, quocunq; die libuerit, veluti Paulus Romanorum 14. docet, & 1. Corinth. 8. Eſca nos non commendat DEO, & iterum, Regnum DEI non eſt eſca nec potus, ſed Charitas, pax, gaudium &c. Quicunq; ergo conſcientiam ſuam exhibet hoc articulo illaquean-

Confutatio 2. Articuli de eſu carnium.

queandam, iterum CHRISTVM & eius ſanguinem turpiter & impie pernegat, eſtq; non Chriſtianus, ſed gentilis.

Charitas erga proximum.

SEcundo, Chriſtianam vitam, charitatem erga proximum eſſe docuimus, quæ ſecunda doctrinæ noſtræ pars eſt, noſq; poſthac nullis legibus eſſe ſubiectos, nec quicquam vlli debere, quam quod officioſa charitate iuuemus proximum, quo perinde proximo noſtro charitatis officijs inſeruiamus, ac CHRISTVM ſuo ſanguine nobis commodaſſe videmus, docemur & credimus, Quamobrem omnes leges, omnia opera, præcepta à nobis exacta in hoc vt DEO ſeruiamus, vt peccata aboleamus, vt iuſtificemur à DEO non ſunt, & qui eadem ſeruat CHRISTVM abnegat. Cuius generis ſunt Ieiunio ſe macerare, ferias agere, confiteri, peregrinari, & huiuſmodi. Quæ verò præcepta aut opera aut leges à nobis exiguntur, in vſum & rem proximi, hæc probata eſſe nemo dubitet, hæc facere cogimur, veluti Magiſtratibus obtemperare, famelicos paſcere, penuria laborantibus auxilio eſſe, conſolari adflictos, monere errantem &c. Hinc ſequitur, quod cum confeſsio opus ſit eiuſmodi, quo parum commodare poſſumus proximo, nullo modo præcepta eſt, aut neceſſaria ſeruari. Et qui ex præcepto confitetur, duxeritq; neceſſarium eſſe coram DEO, hic denuo CHRISTVM abnegando reſpuit. Si quidem nullum omnino opus vt ad peccata delenda neceſſarium relictum eſt, poſteaquam vnica per CHRISTI Sanguinem peccatorum purgatio facta ſit. Propterea impiè & perperam tertius quartus & quintus

3. 4. & 5. Articulus.

Parochi

Parochi veſtri articulus aſſertus eſt, ad intricandas ſimplicium conſcientias, & Chriſti Sanguinem peſſundandum, ne Nummus, quem ex confeſsione certum expectant, faucibus ereptus, elabatur manibus. Hoc non negauerim me dixiſſe confeſsionem eſſe rem multi pretij, ſed nec Ieiunio vnquam interdixi, nec peregrinationem reprobaui, aut eſum piſcium, aut ferias &c: Verum ſic, vt hæc liberè fiant, ne quis animo coacto hæc faceret, ac rem quæ conſcientiæ periculo negligi non poſsit, aut quæ omiſſa mortali peccato reddat obnoxiũ, perpetret, Veluti Papa & ſui cæcor ũduces inſaniunt. Conſcientiam in omnibus rebus liberam habere & debemus & volumus, quæ non ad fidem confirmandam, aut proximum ſubleuandum inſtitutæ ſunt. Sanè quando ita vis audacter confiteri, caue ne interim cogites, rem à te fieri neceſſariam, teq; peccare ſi neglexeris, aut benè agere ſi feceris, aut quod confeſsione tua coram DEO peccata tua redimeres, hac namq; ratione à fide deciuiſti, nec amplius Chriſtianum hominem agis. Libertas cõſcientiæ.

Porrò cum multorum infirmæ ſint conſcientiæ, quas legibus ſuis Papa tenet captiuas, benè feceris ſi carnibus non veſceris, &c. Nam per hoc quod à carnibus abſtines, Charitatis officium facis. Siquidem in hoc te attemperas infirmitati proximi, ne eius conſcientiæ veſcendis carnibus præberes offendiculum. Vbi verò proximus non offenditur, aut non videt te carnes manducantem, ſanè hic tibi liberrimum eſt veſci carnibus, non magnifacienti quid Pa- Quando ab eſu carnium ſit abſtinendum, vel non.

pa & ſeductores garriant. Hîc enim extra charitatem & ſeruitium proximi fit opus, quod ſeruare non cogeris, niſi adeo tibi lubet pro tua libertate ſic facere. Atq; hunc quidem operum ordinem alienæ infirmitati debemus, opera verò quantum ad ſe ipſa attinet, non debemus. Vbi verò feroces ſunt exactores, & nulla infirma conſcientia, voluntq; ex hoc neceſsitatis præceptum facere & capitale piaculum, hîc in illorum contemptum diuerſum faciendum prorſus ſuaſerim, quo non operibus, ſed ſoli CHRISTI ſanguini peccatorum tollendorum gloria ſalua permaneat.

Hæc pro confutandis Pſychotyranni veſtri articulis chariſsimi quantum per otium licuit, infirmorum adhuc in fide gratia feſtinanter reſpondere volui, ſolidiora argumentorum fundamenta poteritis ex libellis meis de Libertate Chriſtiana, de bonis operibus, de votis Monaſticis, deq; humana doctrina vitanda, &c. petere. Quanquam cuperem ab omnibus potius Paulum legi & audiri, hæc in ſuis Epiſtolis abundè docentem, vt meis libellis nihil opus ſit. DEVS verò præſtet vobis, vt fructum copioſum adferatis, ad laudem & gloriam ineffabilis Gratiæ DEI, per IHESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen. Orate pro me chariſsimi,

Libelli Lutheri.

Vuitembergæ in ipſis S. Dionyſij ferijs.

Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

GEOR-

SCRIPTÆ ANNO XXIII.
GEORGIO SPALATINO.

Confidenti Epiſtola conſolatur Aulicos, vt nihil periculi metuant ex Confeſsione ſua, quin certo ſtatuant & Principi & toti Aulæ futura omnia tranquilliora, atq; ſe etiam præter ſpem ſuam ſaluum & illæſum adhuc eſſe, Ita totam hanc cauſam gubernari diuinitus. Baalitarum Vuitenbergenſium Miſſas ac Ceremonias aboleri rurſus optat, & quæritur de aulica infirmitate animi in Principe.

GRatia & pax. Pulchrè memini quid Principi ex Bornis ſcripſi, mi Spalatine, atq; vtinam vos ita crederetis fore moniti tam manifeſtaria DEI manu, qua iam ferè ſecūdum annum præter omnium ſpem ego viuo, & Princeps non modo tutus eſt, ſed longè mitiores furores Principum ſentit, quam ante annum. Non eſt CHRISTO difficilè Principem tueri in hac mea cauſa, in quam ſine cauſa ſolo DEI conſilio venit. Nam ſi & ipſe rationem ſcirem, qua citra Euangelij ignominiam illum ex iſta cauſa voluerem, ne vitæ quidem parcerem. Ego ſperaueram me intra annum raptum iri ad ſupplicium mortis, hæc erat ratio mea, qua ille liberaretur, ſi tamen ſic etiam liberaretur, me extincto. Nunc cum ſimus impares ad inueſtigandum & comprehendendum conſilium eius, tutiſsimi interim erimus, ſi dixerimus, Fiat voluntas tua. Nec dubito Principem fore illæſum, donec publicè cauſam non fatetur aut probat. Cur autem ferre cogatur opprobrium noſtrum, DEVS nouit, niſi quod certum eſt, hoc illi ſine damno & periculo,

Hæc Epiſtola inuenitur in 2. Tomo Germanico Ihenen. folio 78.

Baalitæ Vuitembergenſes.

imò magno ſalutis commodo eſſe. Miſſas & ſacrilegas Ceremonias ſiue ſeruent ſiue non ſeruent noſtri Baalitæ (quando ita volunt) non curo, quanquam mallem abolitas: Meum tamen officium eſt illos monere & arguere, & populum ab eis auertere, ne participent peccatis eorum, cum ita certi ſimus Iram DEI ſuper eos pendere, ne & meo ſilentio illorum plagis communicem. Deniq; vellem & Principem hîc paululo æquiorum fuiſſe, & diſsimulaſſe adhuc modicum. Non ſatis placet illius conſilium, quod neſcio quam ſapit incredulitatem, imo Aulicam iſtam infirmitatem animi, qua præferre ſolent temporalia ſpiritualibus. At DEO commendo res ſuas, Vale & ora pro me, feria 2. poſt Dionyſij, Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Rogat Spalatinum, vt apud Electorem Fridericum intercedat pro Leimbachiis, & Reditibus Monaſterii Vuitenbergenſis. Tandem orat vt moderatius agat cum D. Iona.

GRatia & pax in CHRISTO. Mitto literas Leimbacheorum, in quibus quid à Principe velint fieri vides, credo certè ſatis tenues eos eſſe. Putabam verò rem eſſe compoſitam & quietam. Cæterum quando tu noſter & omnium Sequeſter es inter Principem & nos, rogat Prior noſter, vt apud Principem impetres mandatum contra Redituarium noſtrum Chriſtophoron à Breſſen in Mutteruuitz, qui iam

annum

annum totum fermè differt cenſum 90. florenorum pendere, obtinuit ſanè à nobis varia momenta dilationis, propter nuptias ſuas. Et noſtri fortè officij fuiſſet, ſi prodigi eſſe vellemus, remittere totum, ſed quia res noſtræ iam in hoc ſtatu non ſunt, illius periculo differentur aut in cumulum augerentur cenſus. Deinde quod nos vrget Blankus in minore Choro. Proinde cum tandem tota ſubſtantia ſit ad Principem reuerſura, cum ego ſolus ferme ſim domeſticus noſtri Monaſterij, curet hoc breue vitæ meæ tempus hîc cenſibus noſtris ac propediem ſuis, me ali. Aut ſi graue eſt, ſtatim ad ſe recipiat. Certè ære alieno viuimus iam diu ob defectum cenſuum, Spero tamen non diu me victurum, CHRISTO propitio & irato Principe mundi. Paulo inclementius tu Ionam Præpoſitum tractas. Tibi facile eſt hominem alioqui moleſtijs non vnis tum vxoriæ tum familiaris rei valde benè humiliatum fatigare, cum tu interim diues & ſine vxore liber bellè ocioſus tui tantum curam habens ſis. Noli quæſo bonum virum additis doloribus affligere, nec credas omnibus qui eum tibi deferunt. Mihi certè adhuc vir alius non videtur quam hactenus viſus, imò maior quam hactenus fuit. Eſto Torgenſis bonus, ſed tamen impius, & Principem pro idolo habens, id quod ego ſcio. Et quale eſt, Ionæ non permittere, in ſuis moleſtijs cenſulum iſtum gratuito, breui tempore, id quod ſine peccato permitti poteſt? Et tamē vrgere, vt impij illi ſuas ſacrilegas Miſſas quotidie maiore blaſphemia in DEVM etiam iactent, nedum celebrent, aut ſaltem illis non reſiſtere? Tuam

æquitatem hîc requiro, An non & vos homines eſtis ſic ſentiendo, imo an non participes ſitis, omnium impietatum, quibus vt perſeuerent, cauſa efficax eſtis? Parcite ergo ſicut vobis parci vultis, & dimittite vt vobis dimittatur, ſinite alios nobiſcum agere, quibus quid reſponderemus certè copiosè inueniremus, quod non ſit tutum aduerſus DEI verbum & Spititum loqui, Vale & ora pro me die Galli M.D. XXIII.

Martinus Lutherus.

NICOLAO HAVSMAN.

Promittit Hauſmanno ſe æditurum in lucem formam Miſſandi, & mandat vt abroget omnes priuatas Miſſas, reprehendit etiam Pighardorum ſententiam de Coena Domini.

GRatia & pax. Redit ad te nuntius tuus, optime Nicolae, puto autem priores meas literas ad te veniſſe. Interim autem de tua cauſa cogitans viſum eſt, vt breui aliquid typis ædam, quo Formam miſſandi (vt ſcripſi) depingam. Interim ſi potes vel omnes vel multas priuatas Miſſas abroga. Deinde Canonem & aliquot impias orationes mutabo. Nam reliquos ritus, vnà cum veſtibus & Altaribus & Vaſis, non video cur mutemus, cum in his pius eſſe poſſit vſus, & abſq; Ceremonijs viui in Eccleſia Dei non poſſit. Nam de alijs ſcripſi copiosè in alijs libellis. Pighardi ſic de Sacramento ſentiunt, quod CHRISTVS ſub pane non ſit Corpo-

Forma Miſſandi.

Pighardorum ſententia de coena

Corporaliter, quomodo aliqui dicunt, ſe vidiſſe ibi ſanguinem & puerulum,&c. Sed ſpiritualiter ſeu Sacramentaliter, hoc eſt,qui panem accipit viſibiliter, verè accipit naturaliter eius ſanguinem, qui à dextris Patris ſedet, ſed inuiſibiliter. Vltra hoc non poſſum eos damnare, deinde quod non adorant,ad idem referunt,quod non ſit ibi viſibiliter vt Viſiones habent,ſed inuiſibiliter, hoc eſt ad dextram Patris.Occupati breuem Epiſtolam paciens accipe.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Conſilium dat cuidam laboranti ex fluxu ſeminis,ac reſpondet ad mendatium,quod ſuo ſuffragio tres Canonici Vuitenbergæ ſint electi, poſtremo de reditibus Monaſterii quædam adiicit.

GRatia & pax. Seminifluus ille,de quo mihi ſcribis, ſi tamen fluit verum ſemen,hoc eſt, cum ſumma uoluptate & concuſsione, qualis fluxus eſſet, ſi mulieri miſceretur (Nam ſunt quibus fluxus eiusmodi tam tenuis eſt, ac penè ſine voluptate, vt tantum humor quidam ſuperfluus exiſtimetur,cui nec mulier, nec vlla vis medebitur) Hic ſi in ocio viuit ac in ſaturitate tentare poterit, primò vt corporali labore & inedia exerceat carnem, tum ſpes erit ſanitatis. Sin autem laborare vel non vult, vel non poteſt, mandato DEI debet mulieri copulari, alioqui tentabit DEVM & manebit in peccato.

peccato. Cæterum, quod ſæpius tu quoq; ſcribis, & alij mihi obijciunt, meo conſilio tres illos nouiſsimos Canonicos eſſe electos, qui tamen contraria predicem, contempſi ſemper, vt nimis craſſum mendacium. Sed opus eſt tandem expurgare, quando video id, me tacente, latè ſerpere & authoritatem acquirere. Nulli conſului, vt eligeret, aut eligeretur vnquam, qui certè malim hac hora iacere domum illam Sathanæ. Sed ſic res habet. Poſtquam ignorante & abſente me electi eſſent, ac perſuaſum mihi quoq; eſſet, Principis eſſe animum, vt numerus ille integer maneret, ſaluaq́; illa idolatria tota, conſuluerunt me, an acceptare deberent electionem? Hic ego ſic conſului, quandoquidem pecunia illa perdenda eſt in quos alios qui futuri eſſent, optimum eſſet perdi in eos, qui digni & apti eſſent, atq; hoc nomine acciperent, ne peiores & indigniores acciperent, ſicut modo cum præſentijs negunt Auaritiæ ſerui in eadem domo. Miratur Prior te neſcire quæ ſit ratio debiti noſtri apud Blancum. Quando Blancum Daniſtam noſtrum dicimus, minorem illum Chorum intelligimus, cui quotannis 20. Florenos pendemus iam multis annis, itaq; tu curabis nobis apud Principem, vt à Chriſtophero Breſſen pecuniam noſtram habeamus, alioqui Blancus nos vel ſolis verbis exigendi (vt eſt importunus exactor) occidet. Deinde à Quæſtore frumentum accepimus in penuria iſta, & hic nos multò magis vrget. Quare vel pro nobis orabis, vt Principis benignitate nobis donetur hoc debitum, vel vt citò pecuniam ex Breſſen habeamus. Alioqui nihil eſt in manu

Mendatium de electione Canonicorum.

in manu vnde ſoluamus,& multa alia mutuo interim acce-pta, & ille nos pulchrè ſugillat. Vale & ora pro me. Vuiten-bergæ feria 6.poſt Omnium Sanctorum. M.D.XXIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Interpretatur Euangelium de Surdo et muto.

GRatias ages pro ferina, mi Spalatine. De Euangelio tantum habeo.

Decapolis eſt populus legis, iuxta mare Galileæ, iuxta Gratiam futuram promiſſam.

Adducũt & orant, quia Miniſtri verbi externè { Docere / Orare } debent

Acto.4. { Miniſterio verbi / Oratione } inſtantes erimus

Surdus prius, Mutus poſt, quia Fides & verbum non eſt in eo, ideò nec docere nec laudare poteſt.

Apprehenſum à turba, quia in alium virum mutat fides.

Chriſtus incrementũ dat { Predicantibus / Orantibus } quia libenter ſuſcipit

Digiti in aures: Dona ſpiritus ſequuntur verbum fidei.

Sputo linguam: ſapientia crucis nauſea eſt Mundo, ſed infantes facit diſertos. Hæc de Myſterijs.

Cæterum iuxta Hiſtoriam Chriſtus exhibet ſe { Sacramentum fidei / Exemplum charitatis }

Itidem exmplum charitatis Afferentes mutum oſtendunt, ſimul exemplum Fidei exaudito bono de CHRISTO. Vale. M. D. XXIII.

Martinus Lutherus
centies occupatus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Pollicetur in Eccleſia Vuitenbergenſi rationem miſſæ inſtitutam iri, quam & ipſe ſequi poterit.

GRatia & pax. Optime Nicolae, fiet propediem vt Miſſæ rationem pro noſtra Eccleſia ordinemus, tum è forma iſta petere potes & tu quicquid placuerit. Dionyſium nihil moror, quanquam & ego vellem priſcum ritum libens ſequi, ſed qui tam varius & incertus eſt. Deinde nouis inuentis in totum conſpurcatus, feciſſemq; id in hoc libello ad Boemos, niſi ratio temporis me excluſiſſet. Tu vale & ora pro me. Vuitenbergæ. M. D. XXIII. feria 6. poſt Martini.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Mittit libellum continentem formulam Miſſæ, commendat etiam ipſi quoſdam exules, ac narrat illi inſidias, quæ ipſi à Leo Anglico oratore impendeant, ac de ſuis verſionibus in vetus Teſtamentum eum edocet.

GRatiam & pacem. Mitto ad te optime Nicolae frater formulam Miſſæ, quam præſtare potui, breuem & facilem libellum, ſed ſimul onus & moleſtiam charitatis Chriſtianæ, id eſt, hos exules & profugos fratres in Domino è

Babylone Papæ, ſi eos apud vos poſsis iuuare ſuffragio aut interceſsiõne, vt aliquid operis diſcant, quo ſe alant, Simul fama eſt apud nos, Angliæ Regis oratorem Leum Norenbergæ mihi facturum eſſe negotium, Viderit Chriſtus quid futurum, ego hîc expecto furorem Sathanæ. Iam abſoluta altera parte Teſtamenti veteris, quæ ad feſta proxima æden tur, ſimul ad tertiam me dedo difficillimam & maximam. Vale & ora pro me vir Dei, & ſaluta omnes noſtros. Vuitenbergæ, die Barbaræ. M. D. XXIII.

Inſidiæ Lei oratoris Anglici contra Lutherũ in conuentu Norinbergenſi.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO GERBELIO.

Commendat ipſi Franciſcum Lambertum Gallum.

GRatia & pax. Quamuis fruſtra etiam me diſuadente multis rationibus, optime Gerbeli ſcribam, tamen ita vrget is pro quo ſcribo, poſtquam exploraſſet, eſſet ne Argentorati quem noſſem? Eſt apud nos Franciſcus Lambertus Gallus, ante duos annos inter Minoritas Apoſtolicus (vt vocant) Predicator, ducta noſtrate vxorcula, is ſperat melius degere in vicinia Galliæ ſuæ, nec audit meum conſilium, ſic occupatus ſuo proprio. Nam ego ſentio, ſi qui apud vos non cõmodè agere poſſent, præſertim huiuſmodi, potius ad nos illinc, quam ad vos hinc cuiquam migrandum eſſe, ſed vicit vt pacem haberem.

Peto ergo illius gratia vt mihi reſpondeas, ſi honeſta imò commoda apud vos ſit conditio, qua ſpes ſit illum vi-

uere poſſe. Homo eſt qui legendis literis ſanis nonnihil poſsit & valeat, ſed noſtris Barnabis & Paulis non ſatis par. Deinde vertendis vernaculis meis in Gallica, qua vna ratione maximè fidit in vicinia Galliæ ſeſe fructum & victum facturum. Dignatur autem eum Princeps noſter aliquoties munere argenteo, vt 40. aureos ex ipſo habuerit hoc anno.

Niſi ergo tu mihi reſponderis non erit illi neq; mihi pax, ex hoc intelliges, quid patior ab huiuſmodi hominibus ſic amiculos meos per me explorantibus & onerantibus. Vale cum carne & coſta tua, Vuitenbergæ. M. D. XXIII. die Barbaræ.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Oſtendit ſuam ſententiam, an Ioanni Serrano ſit impetranda publica fides, & an Baroni à Schuuartzenberg ad ipſius librum aliquid reſpondere velit, petit etiam ab ipſo de ſcriptionem quarundam rapacium auium, Venaticarum animalium, & venenatorum reptilium

GRatia & pax. Iohannes Serranus bonus eſſe videtur, ſed non eſt opus meo cõſilio, ipſe forte Principis ingenium & mores neſcit, ideo mihi videtur eſſe ſinendus in Iſenaco aut vbi poteſt, vt doceat quos habere poterit. Neq; enim fide danda illi opus eſt, ſicut nec vobis, quam publicam vocant, Deus defendat ſicut & nos, modo nõ fugetur aut repellatur. Domino de Schuuartzenberg non eſt quod poſsim per ſingula reſpondere, ingens eſt liber ſicut & ipſi & Philippo de Feilitz antea ſcripſi, tum iam antea magna pars queſtionum eius

Liber Baronis Ioannis à Schuuartzenberg.

eius æditis interim libris diſſoluta eſt. Sola ſupereſt quæſtio de poteſtate gladij,quam finito Moſe,ſermone expediam ſi Chriſtus volet.Interim Comitibus Schuuartzenbergenſibus quod reſpondeo tu ad Anshelmum de Tettau mittes.Vale.

Obſecro vt operam tuam nobis commodes, & beſtias iſtas deſcribas & nomines per ſpecies ſuas.

EX AVIBVS RAPACIBVS.		EX FERINIS VENATICIS.	EX REPTILIBVS.
Weih		Capreas	An Stellio rectè dicatur
Geyer	Et ſi qua	Gemſen	Ein Molck
Habicht	ſunt eius	Steinbock	Lacerta
Sperber	generis	Waldbock ſeu	Limara
Sprintz		Sylueſtris hircus	Ein Vncke

Apud Hebreos & Latinos & Græcos ſunt hæc omnia cõfuſiſſima,ſic vt ex generibus & ſpeciebus animalium nos oporteat diuinare, ideo vellem omnium rapacium auium, omnium venaticarum ferarum,omnium venenatorum reptilium nomina,Species,naturam noſſe vernacula ſi poſſem. Et vt ſignificem quæ ex reptilibus venenatis habeã, hæc ſunt.

Wieſel Maus Krötle Vncke Molch Eidechs Schnecke Maulworff	hunc noſter	Crocodylon Mygalon Chameleon	vocat,inter reptilia numerãs ſatis impudẽter Le.11.

Iam tot noctuarum nomina ſunt { Eule / Nachtrabe / Vhu / Stockeule / Keutzle }

EX FERIS HABEO. EX AVIBVS HABEO.

Hirs	Geyer	quanquam faciem non benè
Rehe	Weiher	noui diſtinctè.
Gemps noſter	Habicht	
Bubulum facit	Sperber	

Nam quid ſomniet eſſe inter ferinas belluas { Tragelaphum / Pygargum / Orygene / Camelopardum } Neſcio

Atq; vtinam tu tibi hanc partem deſumeres Biblia pro poſita Hebræa, & excuſsis omnibus diligenter hîc aliquid cer ti curares educere. Mihi nō tantū vacat. Vale & ora pro me.

T. Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Reſpondet ad quaſdam quæſtiones, ac primo tractat Allegoriam Euangelii, de quinq; panibus & duobus piſcibus. Et cur Chriſtus in Euangelio Marci voluerit latere, &c.

GRatia & pax. Gratias ago pro nominibus animalium. Quod quæris, primò, Cur de Panibus quinq; tot corbes fragmentorum ſuperfuerint, & de Piſcibus nihil? Ego qui Allego-

Allegoriarum iamdudum cepi incurius eſſe, parum iſta obſeruo,quod etiã ſi quæ inueniantur,incertos eſſe cogit, quod ſcripturis apertis roborari non poſſunt: Tamẽ hoc loco ego ſimplicitatem ſequor rei geſtæ,quod non ſoleant fragmenta de obſonijs ſed de panibus tantũ colligi. Nam oſſa, coſtulæ, ſquamæ, & pinnulæ ſolent fermè relinqui à comedentibus de piſcibus & carnibus, in panibus autẽ fragmentis vſus eſt relinquendis. Quinq; autẽ Panes mihi Moſes ſunt (id eſt vniuerſa doctrina legis) Piſces verò exẽpla legis, nempe Patrum & Prophetarũ geminæ charitatis (quæ legem implet totam) Symbolo; quibus paſcimur iuxta doctrinam legis. Hîc, ſi voles, poteris captare myſteriũ. Verbum Dei omnibus abundare, quò magis tractetur, hoc magis ſuperfluere, Exẽpla verò Patrum vltrà fidem nihil cõmunicare, quia vnuſquisq; ſuo opere Deo ſeruit. Deus autem verbo, doctrina, fide eisdem atq; omnibus, ſed magis mihi ſimplicitas predicta placet. Secundò, ex Marco præ cęteris liquet, quod Chriſtus ſemper quærebat latere & tamen non potuit, ita & nos inſtituit ſuo exemplo, vt velimus opera Dei in nobis eſſe occulta & manifeſta: Occulta, pro vitanda gloria noſtra, quam ſtultũ vulgus procliuè eſt nobis offerre. Manifeſta, pro gloria Dei exaltanda, quam raró ei tribuunt. Tertiò Acto. 9. loquitur Lucas de voce audita Pauló, vt textus clarè habet, hanc enim non audierunt, ſed illam Pauli, Paulus autem vtramq; audiuit. Vale & ora pro me. M.D.XXIII. Vigilia Thomæ.

Martinus Lutherus.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M. D. XXIIII.

OMNIBVS QVI SVNT AVGVSTÆ Amicis & Electis Dei.

Pulcherrimis picturis & egregiis ſacræ Scripturæ ſententiis conſolatur Auguſtanos quoſdam, qui propter Sacerdotis cuiuſpiam nuptias, ab aduerſariis ſuis & Euangelii hoſtibus, ignominioſè atroci iniuria affecti fuerant, & confirmat eos ne propter iſtam perſecutionem abiiciant Euangelii cognitionem: Docens hanc eſſe huius doctrinæ Theſauri omnium pretioſiſsimi in terra conditionem, vt quicunq; eam amplectatur, iniuſtè ac duriter à Sathana & ſquamis eius in Mundo permatur, nec non omn s generis iniurias perferat: Eſſe enim verbum & crucis & vitæ, & non æquiore loco fuiſſe Dominum & Magiſtrum noſtrum, ipſum filium Dei. Poſtremo rogat, vt illam conſolationem boni conſulant, ſuosq; Euangelii ſynceros Doctores commendatos habeant.

Iniuria illata Auguſtanis ob celebratas nuptias Sacerdotis cuiuſdam.

GRatiam & pacem à DEO Patre noſtro & Domino IESV CHRISTO. Relatum eſt nobis fama obnuntiante, Fratres chariſsimi, quoſdam apud vos damno adfectos eſſe immerenter, ob celebratas Sacerdotis cuiuſpiam nuptias, præterq; iniuriç oblatæ acceptũ damnum etiam rideri ab ijs & ſalsè ſubſannari, quibus voluptati eſt Chriſtum ſubinde crucifigi, alacriter geſtientes gaudio, ſi Patris ſui Nohæ pudenda detractis veſtibus nuda & palam conſpiciantur. Cum autẽ nos diuina Gratia, cõmunioni Sanctorum inſiti, alter alterius membrum ſimus, debemus non iniuria, iuxta Pauli doctrinam, Sanctorum neceſsitate moti, patientibus compati, & dolentibus condolere. Nam quemadmodum rurſum inquit Paulus, patitur vnum membrum, ſimul

1. Cor. 12.

Sympathia Chriſtianorum.

ſimul patiuntur omnia membra. Itaq; ſiue nobis honor habitus, ſiue facta ſit contumelia opinamur hæc nobis vobiſcum eſſe communia noſtramq; rem agi, veluti id ipſum certò quoq; perſuaſum habemus de veſtra in nos charitate & ſtudio, gaudium ſcilicet & ignominiam noſtram, vobis quoq; cordi eſſe, propter Communionem & fidei & verbi, quod nobis affatim largitus CHRISTVS per immenſam benignitatis ſuæ Miſericordiam. Quapropter cõmittere non potui, adeoq; æquum non fuiſſet, quin vos admonerem, conſolarerq́; ea quidem conſolatione qua per verbum ſuum animos noſtros confirmat DEVS, quo charitas veſtra ea quæ iniuriæ inferendæ & nocendi ſtudio intulerunt Aduerſarij, nedum æquo ferat animo, verumetiam vt alacriores fiatis & robuſtiores ad bis maiora expectanda ſuperandaq́;: Quanquam opinor me conſolatore & monitore vobis opus non eſſe. Conſolatio Lutheri: 2.Cor.1.

Primùm quidem ſcribit Paulus, nos ſi voluerimus conregnare, neceſſum eſſe quoq; compati. Quippe ſi nos delectat Euangelium, deſideramusq́; immenſarum eius diuitiarum æterniq; theſauri eſſe participes, conuenit etiam crucem eius oblatam reſpuendo non faſtidire, & quicquid præterea iniuriarum & calamitatum, ſecum cumulatim aduexerit: Hoc nimirum perpendentes opes & theſaurum eius eſſe perpetua, calamitates verò non niſi temporarias adeoq; momentaneas. Quandoquidem ipſe dixit, in mundo preſſuram habituros eſſe ſuos, in ſe verò pacem. Iam ſi pacem in Rom.8. 2.Tim.2.

CHRISTO habere ſtatuimus, in mundo velimus, nolimus, præſſuram habeamus neceſſe eſt, Sacra hæc non aliter conſtare videmus. Recordemini, inquit, ſermonis mei quem di-
Matth. 10. xi vobis, Seruus non eſt maior Domino ſuo, quod ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur. Piger profectò & parum frugi ſeruus foret is, qui Domino ſuo foris in periculo conſtituto & fameſcente, contraq; inimicos ſuos depugnante, velit in mollibus culcitris deſidere, compreſsis, vt aiunt, manibus, ac ſuauiter & voluptuosè viuere. Quid quod magnæ dementiæ hic videretur Mercator, qui propterea cenſeret aurum eſſe abijciendum, quod in ſordidis ſaccis aut loculis, ac non potius pulchro ſerico conueſtitum, aut vndulata geſtaretur: Aut ob hoc theſauro ſuo foret iniquior, quod grauis eſſet, ac non perinde vt pluma leuis geſtatu, cum tamen ea theſauri ſit natura, vt grauis ſit & ponderoſus, & quo copioſior, hoc etiam grauior eſt. Atqui nec aurum, nec argentum in mundis Tectorijs aut loculis, ſed in nigris, craſsis & immundis circumfertur pānis, quibus nemo præberet ſuum corpus conueſtiendum.

Theſauri doctrinæ Euangelicæ natura. 2 Cor:4.

Eius naturæ & noſter eſt Theſaurus, qui profectò immenſus eſt, rarus, inclytus, & quantiuis precij, verum hic nobis in multis ærumnis & adflictionibus circumferendus eſt, & hoc eius eſt onus, eiuſq; ſacci immundi, in quibus latet abſconditus. Itaq; quicunq; hunc Theſaurum palàm geſtare ſtatuit in ſacculis mundioribus, hoc eſt, qui voluerit Chriſtianum agere, magna ſuſpiciendus authoritate cuperet interim quoque

quoque in precio haberi, delicatè tractari, voluptates, honores & amicos habere ex Euangelio, & nolit eſſe contemptui, tantum abſit, vt ignominiam, ſordes, dedecus, damnum & inimicos habere ſuſtineat, quid verò aliud quærit hic quam quod hoc Theſauro diſpoliari geſtiat? Quem ſplendidius & magnificentius quam par eſt geſtat in propatulo, cum tamen eius theſauri ea ſit natura, vt cupiat non niſi ignominia, contemptu, dedecore, iniurijs, adflictionibus depreſſus in occulto eſſe, veluti in ſordido ſacculo aut marſupio, ne mundus eundem agnitum protinus diripiat, id quod dubio procul vſu veniret, ſi huius gratia nos, honore habito, amarent ac fauore proſequerentur. Quapropter & CHRISTVS dixit Matthei 13. virum illum theſaurum in agro repertum, rurſum in terram defodiſſe. Quæ quidem parabola aliud nihil ſignificare poteſt, quam Euangelium non poſſe nec velle præſtare honores, adferre pacem, ſubminiſtrare voluptates, opes congerere, & priores vbiq; dignitatis gradus obtinere, aut non ita diu durare, ſed debere defoſſum eſſe & abſconditum tribulationibus, calamitatibus, ignominia, ne per hoc coram mundo erumpat, huic ſe conformans. Et hoc eſt, quod tuto manere poſſit & liberè.

Abſcōditus Theſaurus Verbū Dei.

Quamobrem & vos DEVS nunc vultu miſericordiæ obtuens, veſtri Theſauri periculum facit, quo tutius eundem adſeruandum curet. Cuius rei gratia non immerito magna animi alacritate DEO gratias agere deberetis, quod tanto Theſauro dignos vos fecerit, atq; nunc in verum loculum

 recondere,

Adhortatio ad conſtantem confeſſionem Euangelii.

recondere,ne amiſſus pereat. Quare conſolamini, & fortes eſtote Fratres chariſsimi,benè vobiſcum agitur tanta fœlicitate oblata.Hoc vnum vobis curæ ſit, ne manu DEI excidatis,qui vos primum rectè tenere cepit, vt natiuos ex vobis Chriſtianos faceret, qui non tantum μέχρι λόγων ἢ ἀπὸγλῶσσης quemadmodum nos miſeri, verum multo magis virtute & veritate Euangelicam vitam agere debeant. Sic literis ſa-

Eſa.64:

cris memoriæ proditum eſt,nos lutum eſſe,ipſum verò DEVM figulum luti,luto verò non conuenit manum & artem figuli moderari velle, verum potius eandem ferre,& huic ſe fingen-

Euangelium verbum crucis & vitæ.

dum formandumq; præbere. Propterea Euangelium mordicus retinet vt peculiare Eulogium, quo à Paulo multo ante cohoneſtatũ eſt, nempe vt ſit verbum crucis,qui crucem reſpuit,& verbo carere cogitur. Veriſsimum eſſe conſtat, nihil aut voluptuoſius eſſe, aut delectabilius verbo Euangelico non coniuncta cruce Comite,veruntamen ea voluptas haud dubiè ita duratura eſt,quandoquidem ita comparatum eſt,

Faſtidium & ſecuritas hominum.

vt Natura non ſemper & perpetuo gaudij & voluptatis ſit patiens,quin oboriatur nauſea, quemadmodum Germanico dicunt prouerbio,Hominem omnia poſſe ferre facilius, quam dies bonos & fœlices, & non niſi crura admodum robuſta dies geniales geſtare poſſe.Quamobrem DEVS Optimus Maximus,huius theſauri amabilem dulcedinem, acrimonia quadam temperatam,aceto & myrrha delicatiorem reddidit, ne tanquam Crambẽ recoctam faſtidiamus,ſiquidem acorem ciborum Orexim inuitare in confeſſo eſt.Pari

ratione

ratione anguſtiæ & Tribulationes ſuper terram faciunt corda noſtra ſemper magis ac magis alacriora, cupidiora, huiusq; theſauri ſubinde ſitientiora. Sed & vis eius per hoc vero odore deguſtatur, cognoſciturq;, dum certo ſolatio cor humanum in DEO confirmet. Sic etiam Salomon Prouer. 9. nomen indidit, Vinum mixtum, vbi inquit Sapientia, Venite & bibite vinum quod miſcui vobis. Et Pſalm. 74. Calix in manu Domini vini plenus mixti. Merum vinum eſt quod inebriat animam, veruntamen paſsionum aceto ſitate mixtum, quo minus ſaporem amittat.

Vſus tribulationum.

Prouer. 9

Pſalm: 47.

Quorſum verò attinet plura percenſuiſſe? cum vobis ipſis probè perſpectum eſſe non ignoro, paſsim in Scriptura ſacra hoc præconio celebrari Euangelium, quod non niſi perſequutionem, ignominiam, & omnis generis tribulationes ſecum adferat in præſenti ſeculo, exhibita pariter admonitione & conſolatione, qua cognoſcimus, quanta nam ſit huius Gazæ precioſitas, tum quam non cõtemnendo ſubinde cumulo augeri ſoleat per tribulationes huiuſmodi, proinde alter alterum mutua conſolatione confirmare poterit. Nam quod ego feci, præſumptuoſæ quibusdam arrogantiæ inditium videri poſsit, verum cum videam paribus vos diuitijs nobiſcum à DEO donatos eſſe per cognitionem Domini noſtri IHESV CHRISTI, non potui non ineptire, ſummoq; gaudio & animi voluptate, qua erga Communionem veſtram adfectus ſum, commotus, communibus de rebus vo-

Fortuna Euangelii.

biſcum confabulari, monereq́;, tametſi ex æquo cum monitorum locus, tum conſiliorum copia deſit. Quamobrem obſecro vos, fratres chariſsimi, vt haſce literas ſummo amoris erga vos mei ſtudio miſſas boni conſulatis, meq́; miſerum peccatorem DEO precibus veſtris commendare dignemini. Præterea orator vos volo, vt hi, à quibus vobis Euangelium ſyncere annuntiatur, commendati vobis ſint. DEVS omnis gratiæ qui cepit apud vos ſe manifeſtare, imaginemq́; Filij ſui IHESV CHRISTI in vobis redintegrare, pro ineffabilibus gloriæ ſuæ diuitijs dignetur operi ſuo in nobis vobisq́; cepto ſupremam manum imponere, in diem Domini noſtri IHESV CHRISTI, quem expectamus conſolabiliter & ſcienter, quo redimat nos à reliquijs maliciæ, quæ ſunt in carne noſtra, Amen. Gratia DEI ſit cum omnibus vobis

Cōmendatio Miniſtrorum Euangelij.

Datæ Vuitembergæ, in die Nicolai Anno M.D.XXIII.

Martinus Lutherus D.

ANNVS

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM ET DOMINVM ALBERTVM, MARCHIONEM BRANDENBVRGENSEM ET DVCEM BORVSSIÆ, RESPONSIONES aliquot D.Martini Lutheri de Papa, Norinbergæ in Comitijs per Georgium Spalatinum eius Celſitudini oblatæ. Anno M. D. XXIIII.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS, CLEMENtiſsime Domine, Mitto Celſ: Veſtræ reſponſionem meam ad Propoſitos Articulos.

ARTICVLVS PRIMVS. I.

An CHRISTVS Eccleſiam ſuam ſuper Petrum & ſucceſſores Papas ædificauerit?

Articulus an Eccleſia ſuper Petrũ & Papas ſit ædificata.

Reſpondetur. Non. Sed ſuper ſolum IHESVM CHRISTVM Filium DEI, & probatur.

Primò 1. Corinth. 3.

Aliud fundamentum nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt IHESVS CHRISTVS.

Chriſtus fundamentũ Eccleſiæ.

Secundò. 2. Corinth. 4.

Non enim predicamus nos ipſos, ſed IHESVM CHRISTVM Dominum noſtrum. Nos autem Seruos veſtros per IHESVM.

Tertio.

Tertio Matth. 16.

Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam.

Petrus & Papa non ſunt fundamentum Eccleſiæ.

Quod autem Petrus aut Papa non poſsint eſſe fundamentum aut Petra iſta Eccleſiæ, probatur multis modis ſic.

Primò. Quia portæ Inferorum præualuerunt contra Petrum & Papas dum ceciderunt & peccauerunt aliquando. Nam hoc præualere non ſignificat auferre honorem, diuitias, ſanctitatem, vitam corporalem, quod etiam Latrones poſſunt: Sed vincere fidem & ſanctitatem in ſpiritu. Ergo oportet eſſe tale fundamentum, quod nec peccat, nec peccare poteſt, nec errat, nec errare poteſt: Sed hoc eſt ſolus CHRISTVS.

Secundo Eccleſia eſt res in Spiritu & ſancta, ſicut dicimus, credo Eccleſiam Sanctam Catholicam. Quod autem creditur, nec videri nec ſentiri poteſt. Hebr. 11. Fides eſt rerum non apparentium.

Quomodo ergo poteſt Petrus aut Papa Eccleſiam regere aut ſuſtentare vnquam, cum neſciunt qui ſint ſancti, & nunquam Eccleſiam videant? Sed cogantur eam credere, ſicut & nos omnes, Solus enim CHRISTVS eam videt, qui & ſolus eam congregat, ſeruat & ſuſtentat.

Tertiò, Papa vel Petrus non poſſunt dare Eccleſiæ fidem, charitatem & reliqua dona S.S. nec ea auferre aut mutare, aut ſecundum ea illam regere.

Sed Eccleſia ſi non regitur per fidem, charitatem & reliqua dona Spiritus ſancti, tunc non regitur, neq; eſt Eccleſia ſed Synagoga Sathanæ. CHRISTVS autem Solus ſic regit Eccleſiam, ergo CHRISTVS Solus eſt rector, Paſtor. fundamentum, Magiſter Eccleſiæ, ſicut dicit Matth. 23. Vnus eſt Magiſter veſter, qui in Cœlis eſt, vos autem Fratres eſtis. hoc eſt, vos omnes eſtis pares & æquales, ego ſolus Magiſter & ſuperior.

Quarto. Nam & ipſe Petrus & Papa opus habent fundamento, charitate, ſpiritu, & alijs donis.

Tunc quæritur, an aliud fundamentum, aliam fidem, aliam Charitatem, alium ſpiritum habeant, quam cæteri omnes?

Si habent eadem: ergo habent æqualia, Quare non poſſunt in his Eccleſijs vlli eſſe inæquales, aut ſuperiores in Eccleſia.

Si autem non habent eadem iſta, ergo non ſunt in Eccleſia, Quia non eſt aliud fundamentum Eccleſiæ, quam vnum generale totius Eccleſiæ Chriſtus.

Quæritur ergo, quid ſunt Papa & Epiſcopi, & quæ eſt illorum poteſtas in Eccleſia?

Alia quæſtio quid ſint Papa & Epiſcopi Et deq; eorū poteſtate.

Reſpondet Paulus 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei. Hoc eſt, Non ſumus Deus in Eccleſia, nec noſtra myſteria diſpenſamus, ſed Dei, miniſtri verò ſumus, per quorum verbum venit ad Eccleſiam myſterium Dei, Myſteri-

um autem Dei vocat illa ſecreta Dei, quæ ſunt fundamentum, Chriſtus, fides, Spiritus, & reliqua dona & bona Eccleſiæ. Donantur autem nobis per Verbum Euangelij foris predicatum, predicante enim foris Apoſtolo vel Epiſcopo Euangelion, ſeu de iſtis myſterijs fidei, adeſt ſimul Deus Chriſtus, & Myſteria eadem in corde diſtribuit, ad verbum foris prolatum. Sicut legimus Act. 10. Ad verbum Petri purificata eſſe corda Gentium in fide per Chriſtum.

Ex quibus nunc illud certò & infallibiliter ſequitur Eccleſiam Chriſti non poſſe nec debere, audire, docere, noſſe & acceptare vllam aliam doctrinam, quam eam qua diſpenſantur iſta myſteria Dei.

Et ſi qui ſunt qui aliud diſpenſant aut docent, quam iſta myſteria Dei, tales ſunt neq; Apoſtoli neq; Epiſcopi, ſed latrones & fures, qui perdunt oues: Quibus Paulus Gala. 1. ſic maledicit, Si quis aliud predicauerit quam nos predicamus Anathema ſit. Probatur ſic.

Quia cum Eccleſia aut vlla res ſpiritualis non poſsit naſci, ali, viuere, agere, vincere, manere, & omnia facere quæ Eccleſiam decent, niſi fundetur in ſuo fundamento, hoc eſt, niſi Chriſtum acquirat regentem in ea per fidem, Spiritum, & alia dona Spiritus ſui, neceſſe eſt, vt talis predicatio ſit in Eccleſia, quo ſolo & nullo alio ſubſiſtit. Ergo ſolus Chriſtus debet predicari, & ſuper fundamentum illud poni, & fides doceri, & ea quæ ſunt fidei, ſicut ſupra dixit Paulus, Non enim nos ipſos predicamus, ſed Chriſtum Dominum noſtrum.

Quid nunc ſunt leges & præcepta Papæ & Conciliorum de Ieiunijs, Feſtis, Veſtibus, Horis & alijs illis externis rebus?

Alia quæſtio de Papæ & conciliorum legibus & præceptis.

Hic eſt facile reſpondere: Nullum illorum eſſe Chriſtum, nec ponit fundamentum, nec dat Spiritum, nec eſt diſpenſatio myſteriorum Dei. Quare ſine illis habetur Chriſtus, & omnia quæ pertinent ad Eccleſiam, & ſine Chriſto illa omnia nihil ſunt, quia non dant fidem, Spiritum, nec quicquam vitæ Spiritualis: Hæc enim ex ſolo Chriſto, non ex tuo ieiunio, non ex tuo cucullo, non ex tuo monaſterio, neq; ex omnibus quæ vnquam Papa, concilia, monaſteriaq; ſtatuerunt, veniunt.

Si nunc Papa doceret iſta ſua præcepta eſſe talia, quod ſaluarent ſi obedienter ſeruarentur, aut damnarent ſi cōtemnerentur, tum ipſe eſſet veriſsimè Antichriſtus, & eruto Chriſto faceret ſeipſum fundamentum ſalutis æternæ.

Quod probatur ſic, quia dictum eſt, quod Vita, Spiritus, Salus & omnia bona Eccleſiæ veniunt ex ſolo Chriſto per verbum Euangelij predicato, & per fidem credito, Ergo non poſſunt venire per præcepta Papæ, aut ſi per præcepta Papæ veniunt, non veniunt per Chriſtum. Non eſt enim niſi vnus Chriſtus, aut ergo Papa predicabit ſolum Chriſtum, aut ſi ſua predicat ſimul Chriſtum expellit, & in locum eius ſuccedit, quod & verè facit. Nam ideo vocatur vicarius Chriſti, qui in locum expulſi Chriſti ſeſe pro Eccleſiæ fundamento poſuit.

Conſilium Lutheri de Papæ præceptis vtandis.

Quid ergo faciendum eſt cum præceptis Papæ?

Reſpondetur. Extra Eccleſiam ſunt ponenda, ſicut quælibet alia res. Exempli gratia. Sicut facis cum cibo, potu, & alijs externis, ſic facias cum præceptis Papæ & conciliorum. Quomodo facis?

Cibum & potum & veſtem extra Eccleſiam ponis hoc modo. Tu credis ex Solo CHRISTO te viuere, & ſaluum fieri, ac per myſteria DEI tibi per Verbum Apoſtolorum, & Succeſſorum tradita. Ergo ſiue comedas, ſiue ieiunes, ſiue ſic veſtiaris, ſiue aliter, nec minus nec plus de CHRISTO habebis: Sed potes illis liberè vti, vt volueris, dummodo tua ſunt, & proximo non rapueris. Sic de omnibus Papæ, & Conciliorum & ordinum Statutis & Ceremonijs ſenties & dices.

Hæc non ſunt CHRISTVS & myſteria DEI: Ergo per ea ſeruata non viuo, aut in Eccleſia Dei ero, nec per ea neglecta moriar, aut extra Eccleſiam ero. Libera ergo ſunt & indifferentia ſicut quælibet alia externa corporis vſui commoda. Hoc eſt quod Paulus dicit 1. Corinth. 8. Eſca & potus nos DEO non commendant. Item Rom. 14. Regnum DEI non eſt eſca & potus, ſed fides, pax, & gaudium in Spiritu ſancto.

Quæſtio quomodo Papæ decreta tolerari poſſent.

Si ergo Papa, Concila & Monaſteria vellent ſua ſtatua ſic libera habere, & ea nec neceſſaria, nec vtilia ad ſalutem & vitam in Eccleſia exigerent? poſſent tolerari?

Sed

Sed tunc regnum eorum non ſtabit, quia volunt ea neceſſaria videri, vt poſsint homines cogere, ideo ſunt Aduerſarij Chriſti, & Papa eſt verus Antichriſtus, Abominatio illa ſtans in loco ſancto Matth. 24. Vehementer enim ſtultum & åbominabile eſt, Eccleſiam velle regere operibus & legibus externis, in cibo, potu, veſte, tempore & loco, quæ tamen ex iſtis non poteſt viuere nec ſeruari, cum ſint temporalia ac tranſeuntia, ſed ex ſolo CHRISTO æterno, qui eam ſuo Spiritu viuificat ſolum per verbum fidei prædicato. Exteriora enim illa regi debent per Parentes & Principes mundi, illorum eſt corpora, & res corporales regere, in quibus non eſt ſalus, neq; damnatio, ſed tantum pax politica in mundo. Epiſcopus verò debet ea curare, quibus animæ in Spiritu reguntur, id eſt, debet CHRISTVM predicare Saluatorem eſſe, & hunc pro fundamento ſupponere, & fructus charitatis ſuperædificare, ex his nunc eſt facile, reſpondere ad alios articulos.

SECVNDVS ARTICVLVS. II. Articulus.

An Papæ, cum, vel abſq; Concilio à DEO facultas ſeu poteſtas conceſsa ſit, vltra DEI præceptum ſeu præſcriptum legem condere, cuius obſeruatione homo ſaluari, vel contemptu eiuſdem legis damnari poſsit? Alia quæſtio de Papæ poteſtate.

Reſpondetur quod non? Imò nec omnibus Angelis hoc licet, aut vllis Creaturis, Quia Salus & damnatio determinata eſt per CHRISTVM ad Solam fidem in Spiritu: Marci

vltimo, Qui crediderit ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur.

Chriſtus mittens Diſcipulos ait, predicate regnum Dei, qui vos audierit, me audierit, Qui vos contemnit me contemnit. Item, Ite predicate Euangelium omni Creaturæ. Si ergo Papa aut concilia Chriſtum, ſeu fidem, ſeu Euangelium, quæ ſunt Myſteria Dei, predicant, audiendi ſunt, ſin aliud predicant, liberum eſt eos audire, Imo, cum cogant, neceſſe eſt eos non audire. Quia ſtat fixa ſententia ſupra Chriſtum Matth. 17. Hunc audite. Et in Eccleſia non debet ſonare niſi verbum Dei, quod myſteria Dei docet 1. Petri. 4. Si quis loquitur, &c. Loquatur vt ſermones Dei.

TERTIVS ARTICVLVS.

III. Articulus.

An Papæ integrum ſit Dei præcepta mutare.

An Papa & Concilia Dei præcepta commutare & ad nutum ſuum ſeu libitum deprauare habeant?

Reſpondetur Non. Imò Paulus, Anathema ſit qui aliud docuerit. Et Chriſtus Matth. 5. Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum. Quia Papa & Concilia in rebus ſpiritualibus nihil habent iuris, niſi eas per verbum annunciare alijs. Aliàs habet quilibet puer in cunis iacens tantam poteſtatem in Chriſto, fide, ſpiritu, & omnibus alijs rebus Eccleſiæ, quantum ipſe ſanctus Petrus, & omnes Apoſtoli. Sumus enim in Chriſto omnes fratres, omnes pares, habentes eandem fidem, Spiritum, vitam, ſalutem & Deum, niſi quod foris alius de his rebus docet aliter.

QVAR-

QVARTVS ARTICVLVS.

IIII. De diuortio & diſpẽſatione papæ in cauſis matrimonialibus

An Papa legitimos coniuges abſq; eo quod alter eorum adulterium commiſerit, diuortiare & cum vtroq; diſpenſare habeat, vt ad ſecunda vota conuocare poſsint?

Reſpondeo, Non. Quia Paulus dicit, Non poſſumus enim aliquid contra Deum &c. Et iterum, dedit nobis Deus poteſtatem non in deſtructionem, ſed in ædificationem. Verbum Dei Papa metuere, predicare & firmare debet, non ſoluere aut mutare. Igitur ſtat verbum Dei: Quos Deus coniunxit homo non ſeparet. Si autem aliqui ſecundum iſtũ caſum per Papam ſeparati ſunt, & alius alij nupſerit, adulteri ſunt, nec excuſabit eos Papæ error. Quia verbum Dei debent omnes noſſe.

QVINTVS ARTICVLVS.

V. Articulus. De diſceſsione matrimoniorum inter agnatos & cognatos.

An Papa matrimonium inter Agnatos & Cognatos, affines, vel cognatione ſpirituali coniunctos, contractum, præter gradus qui lege Dei prohibiti ſunt, abſq; vtrorumq; conſenſu vel voluntate diſcindere vel diſſoluere poſsit: Ita quod vtriq; demum nubere vel matrimonium contrahere liceat?

Reſpondetur, Non. Quia ſatis dictũ eſt à Papa & omnibus miniſtris verbi in Eccleſia nihil prorſus debere tractari niſi myſteria Dei, verbum vitæ, doctrinam fidei, nec quicquam geri, ſecundũ arbitriũ cuiuscunq; citra verbũ Dei. Subiectus eſt enim

eſt enim Deo & verbo eius, licet vſu iamdudum ſeſe extulerit ſuper omnem Deum, qui dicitur & colitur 2. Theſſa. 2. Et omnia faciat contra & ſupra & citra verbum Dei. Datæ Vuitenbergæ, Anno M. D. XXIIII

V. C. deditiſsimus.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO EVANGEliſtæ in Domino chariſsimo.

Monet Spalatinum, vt aliquas Hebraicas voces in vernaculum redditas breui mittat, Carlſtadiū ſua delyria Typis Ihenæ excudenda dediſſe. Eccium Regis Angliæ defenſorem indignum cenſeri a pleriſq; cui reſpondeatur. Verum quendam ex aula Ferdinandi Vuitenbergam veniſſe, videndi gratia perſonam Lutheri, ex quo qualia mendatia apud Ferdinandum de ſe ſparſe ſint, cognouit: ſeq; ea, ad quæ iam occaluerit, floccifacere ſcribit.

GRatiam & pacem. Nihil noui habeo quod ſcribam, mi Spalatine, niſi quod expecto Muſas tuas Germanicas, de quibus nuper ad te ſcripſi. Carlſtadius non ceſſat more ſuo, inſtitutis nouis Typis Ihenæ ædidit & adhuc 18. libros ædet vt dicitur, Eccius omnibus, non modo mihi indignus videtur cui reſpondeatur, inter Lapitas vinoſus Sophiſta & ebrius has ſaliuas ſpuiſſe creditur, Rex Angliæ defenſor Eccleſiæ dignus hoc defenſore. Et hic rurſus dignus Emſero defenſore, defendant itaq; ſeſe. Mitto Poema Iuſti Ionæ præpoſiti. Ferdinandi ſiue legatus, ſiue quid aliud, apud me fuit, viſurus quid hominis eſſem, & quid agerem. Aiebat apud Dominū ſuū mihi famam

Cōuitia de Luthero ſparſa.

famam eſſe paratam,quod armatus ſtipatusq́; procederem, ſcortis,aleis,tabernis vacarem,ac neſcio quibus alijs honoribus in aula eadem fulgerem. Sed ego mendatijs ſatis ſum aſuetus,viue ac vale in Domino,& ora pro me. Vuitembergæ,feria 5.poſt octauam Epiphaniæ,Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Gaudet de conuerſa Argula,quam ſuo nomine vt cōſoletur, Spalatinum rogat,Viam peſsimam intra Kemburgum & Vuitembergam vel Principis munificentia muniri optat,& Tyrannidem Cardinalis Moguntini incuſat.

GRatiam & pacem.Mitto ad te,optime Spalatine,literas Argulæ CHRISTI diſcipulæ , vt videas & gaudeas cum Angelis ſuper vna peccatrice filia Adam conuerſa & facta filia DEI. Tu quæſo ſi potes eam attingere , nomine meo ſalutes,& in nomine CHRISTI conſoleris. Nam & ego quæro qua ad eam pertingam , ſcripſiſſemq; iam , ſi certus fuiſſem , per te poſſe literas ad illam venire. Cæterm apud nos omnia ſalua adhuc,vt fuerunt,niſi quod via iſta ad Kembergenſes â Vuitemberg clamore multo & magno in cœlum vſq; accuſatur, & eo nomine Princeps quoq; malè audit , vtinam hoc Teſtamento ſuo vitam ſuam relinqueret teſtatam,& hanc viam muniret, cum id facile poſsit. Cardinalis Moguntinus iam tertio Tyrannide Epiſcopatus etiam Halli poſtquam Miltenbergæ & Halberſtadij , deſæuijt

Tyrannis Cardinalis Moguntini.

ſæuijt infœlix homo. Vale & ora pro me, Vuitembergæ, Anno M. D. XXIIII. altera Antonij.

Martinus Lutherus.

Fama eſt Principem fuiſſe contumeliarum ſcheda ianuis affixa hæretico opprobrio dehoneſtatum.

DISCIPVLO CHRISTI FIDELI, LAMperto Thorn in vinculis Euangelij cauſa poſito, Fratri ſuo in Domino Chariſsimo.

Inſignis conſolatio, confirmans propter Euangelium in vincula coniectum, ne abiiciat Chriſti confeſsionem ſynceram, ſed animum habeat obfirmatum ad atrociſsima quæq; ſupplicia. Poſtremo nuntiat quædam de ſententia ac Tyrannide Ducis Bauariæ, aliorumq; Epiſcoporum ac Principum in Confeſſores Euangelii.

GRatiam & pacem in Domino. De te ſatis mihi CHRISTVS ipſe teſtatur, Optime frater Lamperte, meis verbis tibi non opus fore: Ipſe enim in te patitur & glorificatur, captus eſt & regnat, opprimitur & triumphat, qui tibi dedit ſui ſanctã illam & mundo obſconditã cognitionem. Nec tantum hoc, ſed & intus roborat te Spiritu ſuo in his tribulationibus externis, vero & gemino exemplo, Henrici & Ioannis te ſolatur: Ita vt mihi illi & tu magno ſitis ſolatio & robori, imo toti mundo ſuauiſsimo odori, & Euangelio CHRISTI inſigni gloriæ, tantum abeſt, vt mea conſolatione onerandus ſis. Quis ſcit cur te Dominus noluerit cum duobus iſtis perire, ſeruaris enim in aliud miraculũ. Proinde tibi toto corde, congaudio & gratulor, gratias agens fideliſsimo

Saluatori

Saluatori noſtro Domino IHESV CHRISTO, qui mihi non modo verbum ſuum & ſpiritum noſſe, ſed & incrementum Gratiæ tam opulentũ & magnificũ in vobis videre donauit. ME MISERVM, QVI PRIMVS ISTA DOCVISSE IACTOR, ET NOVISSIMVS ET FORTE NVNQVAM VESTRORVM VINCVLORVM ET IGNIVM PARTICEPS ESSE DIGNVS SVM. Vindicabo tamen hanc meam miſeriam & cõſolabor me, quod veſtra vincula mea ſunt, veſtri carceres & ignes mei ſunt, ſunt verò dum & ea confiteor & predico, vobiſq́; ſimul compatior & congratulor. Dominus autem IHESVS qui cepit in te gloriã ſuam perficiat in diem ſuum. Itaq; mi frater ora pro me ſicut & ego pro te, memor illius, quod non ſolus pateris, ſed ille tecum, qui dicit, Cum ipſo ſum in tribulatione. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomẽ meum. Sed & nos omnes tecum ſumus, ſimul cum Domino, qui tecum eſt, nec ille nec nos te deſeremus. Tu viriliter age, & conſortetur cor tuum, ſuſtine Dominum. Ipſe dixit, in mundo preſſurã habebitis, in me pacem, ſed confidite, ego vici mundum. Nec diſputes cum Sathana, ſed ad Dominum ſtent oculi tui, ſimplici fide nixus ſolum CHRISTVM IHESVM ſcito eſſe, cuius ſanguine nos ſalui erimus. Opera noſtra & humana ſtatuta ſicut non poſſunt eſſe ſanguis CHRISTI, ita nec peccata tollere, nec iuſtificare, ita nec damnare poſſunt, nec reum tenere. Apud nos ſub ducatu Principis noſtri pax eſt, cæterum Dux Bauariæ & Epiſcopus Treuerenſis multos perdunt, proſcribunt ac perſequuntur.

Alij Epiſcopi & Principes à ſanguine quidem temperant,ſed à vi & minis non temperant, & vbiq; eſt CHRISTVS denuò
Pſalm:22. opprobrium hominum & abiectio plebis, cuius membrum tu factus es, vocatione ſancta patris noſtri, quam ipſe in te compleat cum gloria nominis & verbi ſui,Amen. Vale in CHRITSO, mi frater,ſalutant te omnes noſtri totaq; Eccleſia noſtra præſertim Iacobus Præpoſitus & fratres ex Antuerpia, tuisq; precibus ſeſe commendant, Vuitembergæ. Anno M. D. XXIIII.feria tertia poſt Antonij.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO. iam Nurmbergæ in Comitijs.

De Comitiis Imperialibus, quanquam non multum ſit ſolicitus, tamen optare ſe vt illa ſeruirent tam publico bono, quam Euangelii cauſæ,ſcribit. Cochleæ libellos indignos eſſe quibus reſpondeatur, ſui Prioris nomine orat,vt apud Princiqem liberentur de cenſu Quæſtori ſoluendo, cum ſibi nihil ab aliis pendatur. Euangelii curſum in Liuonia ac præſertim apud Rigenſes eſſe felicem,& Epiſcopum Sambienſem in Pruſsia Euangelium recepiſſe nuntiat.

Cochleæ libellus contra Lutherũ

GRatia & pax.Cochleæ libellos duos cum literis tuis accepi,mi Spalatine,ſed & meas tibi eſſe redditas per Lucam non dubito tam diu retardatas.De Comitijs Imperialibus non multum ſolicitus ſum,qui ſciam, quid ſit Sathanas, Argulam illam ſeruet & triumphet CHRISTVS, Amen. Atq; vtinam Comitia illa ſaltem ea curarent,quæ ad publicum com-

cum commodum pertinent, vt taceam Euangelij cauſam, abundè haberent, quod agerent. Cochleo non eſt vt reſpondeatur, cum alijs ſimus occupati melioribus, & eiuſmodi libri per ſeſe pereāt quotidie multi. Prior meus per me te orat, vt nos iuues apud Principem quo liberemur: Cenſus noſtri vt antea tibi ſcripſi iam biennio non ſunt ſoluti, & Blancus nos vrget & accuſat, deinde Quæſtor Vuitembergenſis authoritate Principis nobis vel mutuum dato, vel vendito frumento (dum cenſus non penderetur) ſatis imperioſus in nos fremit. An ideo hic ſumus, vt omnibus pendeamus, & nobis nemo pendeat? mirabile eſt, faciet CHRISTVS his quoq; finem. Reliqua ſunt apud nos ſatis in Domino proſpera, niſi quod aquis & ventis ſatis benè abundamus, quotidie magis ac magis, Euangelion oritur & procedit in Liuonia, præſertim apud Rigenſes fœliciter, quorum Literas ac Legatum nuper ſuſcepi, ſic mirabilis eſt CHRISTVS. Sed & Epiſcopus tandem vnus CHRISTO nomen dedit, & Euangeliſat in Pruſsia, nempe Sambienſis, quem fouet & erudit Ioannes Briſmannus, quem illuc miſimus abiecto cucullo, vt & Pruſſia regno Sathanæ valedicere incipiat. Quæ Vratislauiæ geſta ſunt & Thurego apud Heluetios credo te audiſſe. Vt videant aliquando ſtulti Principes & Epiſcopi, non Lutherum nihili hominem, ſed omnipotentem CHRISTVM hæc agere, & ab ſeſe damnari ſi digni fuerint, id quoq; videre. Vale & or pro me, Vuitembergæ die prima Februarij, Anno M. D. XXIIII.

Comitia Normbergenſia.

Lux Euangelii in Liuonia exorta.

Martinus Lutherus.

EPISTO. D. M. LVTHERI,
GEORGIO SPALATINO.

Expoſtulat cum Spalatino, de pertinaciori ſilentio quidq́; agatur in comitiis certior fieri cupit. Sed & expectare ſe nouam perſecutionẽ a Principibus impulſis per ſuos concionatores & confeſſores indicat. Tandem translationem libri Hiob, plurimum ſibi faceſſere negotii ob tam grande genus dicendi, quod eſt in eo libro, quæritur.

GRatia & pax. Has, optime Spalatine, ſcribo nulla cauſa, quam vt tandem literas ad te darem, adeo enim pertinaciter ſiletis tam Nurmbergæ, quam Romæ, vt neſciamus an omnes perpetuo dormiatis, vel in aliquod futurum monſtrum coniuretis. Dudum vnas à te literas accepi, ſed interim ſic ſilent omnia, vt neq; an Papa ſit, vel an Comitia præſumantur incertum ſit nobis. Speramus tamen accedente die Paſchatis, Principes per ſuos confeſſores & cõcionatores ſollicitatum iri, vt in ſatisfactionem peccatorum pro digna communione CHRISTO obſequium præſtent, ac denuò Euangelion perſequantur nouis exemplis. Expecto ſimul quoq; ſi quid partum tibi eſt Cantilenæ ſpiritualis in Pſalmos ſicut nuper ſcripſi. Apud nos omnia adhuc rectè habent. In transferendo Hiob tantum eſt nobis negotij ob ſtyli grandiſsimi granditatem, vt videatur multo impacientior translationis noſtræ eſſe, quam fuit conſolationis amicorũ, aut certè perpetuò vult ſedere in ſterquilinio. Niſi forte id voluit author libri eius, ne vnquam transferatur, ea res moratur præla in hac tertia parte Bibliæ. Reſcribe ergo aliquãdo, & nos certos de rebus veſtris & mundi facito. Vale & ora pro me. Vuitembergæ feria 3. poſt Reminiſcere, Anno M. D. XXIIII.

Comitia Norimbergenſia.

Translatio Libri Hiob.

Martinus Lutherus D.

NICOLAO

NICOLAO HAVSMANNO.

Nuntiat Hauſmanno Principem ex Comitiis rediiſſe domum, neq; ibi quicquam contra ſe decretum eſſe, Cancellarium autem Treuirenſem, qui exitiũ Lutheranis minitatus fuerat, Apoplexiæ morbo ibi extinctum. Sueuicũ foedus ac Senatores Imperii ibi accuſatos iniquæ ſententiæ contra Heſſum pro Naſſauienſibus. Cæſarem per literas exprobaſſe ſtatibus Imperii negligentiam in exequendo mandato ſuo contra Lutherum, de Baptiſmo paruulorum in Poſtilla ſe egiſſe. Confirmationem tantum eſſe manuum impoſitionem & orationem. Carlſtadium præterquam quod ingratus eſt, etiam atrocius ipſis Papiſtis Vuitembergenſes perſequi, & Claus Storfium Anabaptiſtam dominari in quibuſdam Cygneis.

GRatia & pax. Nurmbergæ nec dum contra me quicquam decretũ eſt, & Princeps noſter rediјt. Occidit autem ibi Dominus apoplexia miſera Cancellarium Treuirenſem, qui biduo ante mortẽ in conuiuio gloriatus fuerat, ante feſtum Martini abolendum noſtrum negotium ferro, ſed nihil terret induratos præſens hæc manus Domini. Porrò accuſantur ibi à Principibus & Epiſcopis, Senatores Imperij & Sueuicum fœdus, illi quod pronuntiauerunt contra Heſſum pro Naſſauienſibus, iſti quod populati ſunt eorum terras, dum prædones pellerent. Cæſar etiam ſcripſit eoſdem arguens, quod non ſint executi mandatum ſuum contra Lutherum. De Baptiſmo paruulorum egi in Poſtilla, quæ ſub typis eſt. Confirmationem aliud non eſſe, quam impoſitionem manuum & orationem tu ipſe noſti. Parum eſſet ſi Carolſtadius ingratus eſſet, niſi etiam atrocius nos perſeque-

perſequeretur quam Papiſtæ, multa monſtra parturire, vt Spalatinus mihi conquæritur, & ſuo tempore ſcies. Claus Storkius veſter dominatur in iſtis hominibus Cygnea pulſus, ibi latibulum ſuum poſuit, ſed Dominus faciet quod bonum eſt coram ſe. Hoc & tu ora nobiſcum, ac vale velut in Domino, feria 2. poſt Iudica, Anno M.D.XXIIII.

Martinus Lutherus.

IOANNI OECOLAMPADIO.

Eraſmo de mutua inter ſe concilianda concordia ſe ſcripſiſſe, & mandatum Baſilienſis ſenatus contra vicarium Epiſcopi & Magiſtros noſtros ſibi probari ſignificat.

GRatiam & pacem. Nihil habeo, optime frater, quod ſcriberem, niſi vt te ſalutarem, & orationibus tuis me commendarem, omnia verò referet Ioachimus iſte pars noſtri non minima. Neſcio an & Philippus cum reo nos accedat, quod velim. Scripſi Eraſmo optans pacem & concordiam, iſtiusq; magnificæ Tragediæ finē, in quod & tu quæſo cooperare, ſi quid potes: Satis pugnatum eſt: ſatis indignatum vtrinq;: tandem CHRISTO debetur locus, & cedet Satan ſpiritui ſancto. Placet egregiè mandatum Baſilienſis ſenatus aduerſus vicarium Epiſcopi & Magiſtros noſtros. Vale in Domino, & ora pro me, Vuitembergæ, Anno M.D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Venuſtiſsima collatione Iudeorum perpetuo reſiſtentium Chriſto, & Carolſtadii aduerſantis Eccleſiæ Chriſti oſtendit ipſum breui peritu-rum, cum ad eiuſmodi impellatur vana gloriæ cupiditate. Deinde quid contra ipſum conſilii habeat vt coerceatur exponit, & de Iudicia-libus Moſi diſſerit.

GRatia & pax. Faſces literarum tuarum Lucas attulit, mi Spalatine, quibus abundè omnia intellexi quæ volui. Cæterum dolens legi monſtra Carlſtadij, ſed DEVS reſtitit Iudæis diu, ne filium ſuum perderent, tandem vbi deſiſtere nollent, tradidit illum, vt non ſolum perderent, ſed & turpiſſima morte damnarent, & ita impletis iniquitatibus Amorreorum ira cōſummaretur in ipſis. Et per nos iam CHRISTVS diu Carlſtadio reſiſtit, verum ille non ceſſat, pergitq; accelerare ſibi pernitiem, & metuo, dum nos cogit etiam contra ſe orare, merebatur tandem permitti, vt noceat in perditionem. CHRISTVS præueniat eum gratia ſua, Amen. Sic vrit hominem indomita gloriæ & nominis cupido, Ora quæſo & tu pro ipſo. Cæterū nos nomine Vniuerſitatis primò eum ad officium verbi, quod hîc Vuitembergæ debet, vocabimus à loco, quo non eſt vocatus, tandem Principi, ſi non venerit, accuſabimus. Fortè & ego eum per literas monebo. Eſt autem hæc quoq; reliqua pars crucis & legitima fortuna verbi, vt leuet plantam ſuam ſuper CHRISTVM, qui edebat panes eius, ſed CHRISTVS Sathanæ quoq; Dominus viuit.

Qui Iudicialia Moſi iactant, contemnendi ſunt. Nos ha- Iudicialia

 bemus Moſi.

Vide ſcripta Lutheri hac de re. Tomo 2. Ihen. folio 480.

bemus noſtra iura ciuilia, ſub quibus viuimus, ſic nec Naaman Syrus, nec Hiob, nec Ioſeph, neq; Daniel, neq; vlli alij Iudæi extra terram ſuam ſuas leges, ſed Gentium, inter quas erant, ſeruauerunt. Leges Moſi ſolum Iudaicum populum in loco, quem elegiſſet, ligabant, nunc liberæ ſunt, alioqui ſi iudicialia ſeruanda ſunt, nulla eſt ratio cur non circumcidamur quoq;, & omnia Ceremonialia ſeruemus. Vale & ora pro me Vuitembergæ feria 2. poſt Iudica, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

OMNIBVS AMICIS CHRISTI MILtenbergæ.

Cum Miltenbergenſes amplexi eſſent doctrinam Euangelii, docente apud eos D. Andrea Carlſtadio, Epiſcopus Moguntinenſis Albertus Cardinalis, vi expulit Carlſtadium, Miltenbergenſesq; ſeditionis & turbarum motarum accuſauit, cumq; in magno eſſent conſtituti periculo, conſolatur eos Lutherus in hac Epiſtola, eosq; ad pacientiam, orationem & conſtantiã in confeſsione Euangelii cohortatur.

GRatiam & pacem à DEO Patre noſtro & Domino IHESV CHRITSO. Sanctus Paulus Apoſtolus conſolaturus Corinthios hoc vtitur exordio: Benedictus DEVS & Pater Domini noſtri IHESV CHRISTI, qui eſt Pater Miſericordiarũ, & DEVS omnis conſolationis, conſolans nos in omni afflictione noſtra, vt poſsimus conſolari eos, qui ſunt in quauis afflictione, per conſolationem qua nos ipſos conſolatur DEVS. Quibus quidem verbis ſuo ipſius exemplo docet, adflictos eſſe confirmandos, non tamen vt conſolatio iſta ex hominibus ſit, ſed à DEO, id quod ſignificanter adiectum eſt, propter

Vera Chriſtianorum conſolatio a Deo.

fallam

falſam nec minus damnoſam conſolationem deuitandam, quam mundus adeo ſolam & quærit & impertit alijs, per quam omnis vtilitas & fructus crucis perit & collabitur.

Quæ verò ſit à DEO vera conſolatio, indicat Rom. 15. Quæcunq; inquit, ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam & conſolationem præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Spem habere contendit. Sperare verò eius eſt rei, quam non videmus aut ſentimus Roma. 8. Spes mundana eſt in videndo & ſentiẽdo hoc, cuius cupidine adflictus ducitur, reiecto patiẽtię pharmatio. Porrò hic animi tolerantia vnà cum Scripturæ conſolatione ſpe confirmata requiritur. Adhunc modum & Paulus agit cum Corinthijs. Quippe poſteaquam illis diuinam conſolationem inſinuaſſet, huc poſtremũ euaſit eos laudando, quod ſint Epiſtola CHRISTI, ſuo potiſsimum Euangelico officio ſubminiſtrata, ſpiritu DEI viuentis inſcripta. Planeq; immenſas Euangelij laudes congerit, adeo, vt ſi Cardinalis homo recto ſpiritus iudicio non inſtructus, hæc audierit, ſtatim cogitare poſsit, fortaſſe plus paulo Paulum adbibiſſe, qui cum Corinthios literis confirmare in animum induxerat, nihil aliud tamen pro Corinth. conſolandis adfert, quam quod ſeipſum ſuumq; in Euangelio docẽdi officium, ipſumq; deniq; Euangelium immodicè laudet. Verum qui penitus inſpexerit, intelliget liquidò, quod Paulus vera adeoq; efficaci cõſolatione, quæ DEI eſt, è ſcripturis ſacris excerpta, Corinthios per Euangelium gaudio adfectos ſubleuet.

Chriſtianorum ſpes.

Quomodo Paulus Corinthios conſoletur.

Quo quidem exemplo & ego commotus, fratres chariſsimi,

Lutherus imitatur exemplum Pauli.

D. Carlſtadius ciectus ex Miltenberga.

riſsimi, ea quam à DEO habeo conſolatione corda veſtra tribulationibus exanimata recreare ſtatui, præſertim cum certior factus ſim Doctoris Iohannis Carolſtadij Parochi veſtri iam profligati relatu, atq; ex alijs certò ſignificantibus, quam furioſè, quam indignis modis Aduerſarij CHRISTI vos tractarint propter verbum DEI, quod nunc ore blaſphemo & temerario doctrinam Lutheranam nominare impudenter audent. Hoc ſcilicet prætextu, ac ſi DEO obſequium præſtarent, dum doctrinam hominum inſectantur, non ſecus ac Iudæos Apoſtolis facturos CHRISTVS prædixerat.

Adflictioni Miltenbergenſium quomodo ſit medendum.

Hæc verò conſolatio eſſet mundana, animabusq; veſtris prorſus infructuoſa, & rei Euangelicæ vel ex diametro repugnans, ſi cum ego, tum vos afflictionem illatam ſubleuare velimus, non alia ratione, quam ſi hominum impiorum petulantiam improbitatemq; mutua maledicentiæ talione, aut mulieroſis complorationibus penſaremus, par pari referentes. Verum ne ſic quidem admodum conſultè rebus noſtris proſpectum foret, ſi vel maximè omnes aduerſarios inectis manibus vita exutos orco traderemus, aut Patria pulſos profligaremus: Aut ſi voluptatem inde caperemus, ſiquis ab illis iniuriæ nobis præter meritum illatæ nomine iuſtum ſumeret ſupplicium. Cum hoc eſſet vltio humana, adeoq; humana conſolatio nobis indigna, ſed quæ inimicis noſtris eſſet digniſsima. Quemadmodum cernitis illos animo ſuo morem geſsiſſe, ſeq; vltos eſſe probè, dum in nos indignis modis debachati ſunt, iamq; lætitia exultantes egregia ſubleuati ſunt conſolatione.

Cuiusmodi

Cuiuſmodi vero fuit conſolatio? num etiam ſpes hîc præſto fuit?num patientia?Scriptura? ſcilicet. Siquidem pro DEO manibus & pugnis rem geſſerunt,tolerantiæ vicarium egit vltio,ſpei vero locum obtinuit illorum peruerſa malitia, cui vobis inſectandis ex animi ſententia obſequuti ſunt, ſentientes nimirum quid ex corde conſiderauerint. Vnde igitur hæc conſolatio?à DEO profectò non eſt,ergo à Diabolo eandem eſſe neceſſe eſt. Quem vero finem ſortitur conſolatio à malo Genio immiſſa? Paulus hoc indicat, quorum gloria, inquit,eſt in confuſionem.

Falſa conſolatio.

Finis falſæ conſolationis.

Videte verò,quantæ conſolationis ex hoc vobis acceſſerit atq; adcreuerit fiducia. Principio quidem certi eſtis vos ob verbum diuinum hanc illorum temeritatem & ignominiam eſſe perpeſſos.Quanti vero momenti eſt, quod hoc hæreſim & doctrinam erroneam eſſe falsò nugantur & confingunt, vosq; eiuſdem reos eſſe coarguunt? cum dubium non ſit verbum DEI hoc eſſe. E diuerſo certè illi non habent cognitum, hoc eſſe hæreſim, hac potiſsimum ratione euictum, quod audire recuſant, nec vnquam teſtimonio confirmarunt vllo,adeoq; probare nequeunt hæreſim eſſe.Attamen vel ſic incerto dubioq; innituntur fundamento maledicentiæ & inſectationis, ſicut Petrus ait, vt planè neſciant quid affirment aut negent. Eamq; ob rem inculpatam in hoc negotio conſcientiam obtinere non poſſunt. Atqui vos ipſa certiores certitudine nihil addubitatis, propter DEI gloriam vos adflictos eſſe, & adhuc affligi. Quis autem verbis

Perſecutio propter verbum Dei.

facilè conſequi poterit, adeoq; fando eloqui, quam hæc fœlix audaxq; fiducia, vbi certi ſumus CHRISTI nominis gratia calamitatibus nos premi & affici? Quis verò affligitur? cuius intereſt? Quis rependet vltionem? Vbi propter DEI & Euangelij gloriam adflictiones patimur. Benè loquutus eſt Petrus ſi iuſticiæ nomine patiamini. Quod ſi quis totius mundi regendi obtineret imperium, deberet profectò talem Principatum pro eius generis adflictione adipiſcenda non illibenter impendere, verum pro nihilo quoq; ducere, tanto theſauro conſolatorio comparatum.

Chriſtianorum vera vindicta contra inimicos.

Quamobrem, optimi Fratres, nulla vobis vltionis petendæ ſeu inimicis veſtris malè imprecandi cauſa relicta eſt, quin potius illorum ex corde commiſerantes, deplorate miſeriam & infœlicitatem. Quandoquidem æquo grauiorem iam dum ſenſerunt vindictam, niſi quod adhuc intolerabilior eoſdem maneat exitus. Plus ſatis, inquam, illis ægrè factum eſt. Non enim aliud vobis intulerunt incommodum, quam quod diuinæ conſolationis conſequendæ vobis ſubminiſtrarunt compendium & occaſionem, nemini quam ſibi ipſis furioſo quo vſi ſunt impetu, incommodantes, id quod vix aut nunquam ferendo exſuperabunt. Quanti verò momenti hoc eſt, quod ad tempus modicum cum vos ipſos tum rem veſtram adflixerint, cum illorum veſania, qua in vos debacchati ſunt, perpetuo durare nequeat. Et quid eſt, quod puſillo tempore ſuæ gratulantur temeritati, quæ non poteſt non habere finem, & breui quidem? Præterea animo

contuemini

contuemini veſtram ſalutem, illorumq; interitum. Vobis eſt cum tranquilla conſcientia tum cauſa iuſtiſsiſima. Illi verò præterquam quod malam habent conſcientiam & nutantem, etiam æquitate cauſæ ſunt inferiores, quæ quam ſit non probabilis & iniuſta etiamnum non vident. Vos itaq; conſolationem DEI per patientiam ex Scripturis ſacris in ſpe habetis, Illi verò conſolationem Diabolicam per vindictæ iniuriam viſibili maleuolentia. Quod ſi nunc vobis daretur optio alterutrum eligendi, hoc eſt, aut veſtram aut illorum partem amplectendi, profecto fugiendum vobis eſſe intelligeretis à rebus illorum, perinde vt à Diabolo, tametſi cœlum occupaſſent, atq; ad veſtram feſtinandum partem, vel ſi ad inferos vſq; eſſetis deiecti. Quandoquidem cœlum parum amœnum eſſe poteſt & delectabile, regnante ibidem Diabolo, quemadmodum nec orcus triſtis præſente DEO.

Quamobrem, Fratres chariſsimi, cupientibus vobis nedum externos perſequutores, verum longè magis diabolū, à quo exagitantur, vlciſci, animumq; veſtrum certa conſolatione erigere, nihil aliud faciendū ſuaſerim, quam quod gaudio exultetis, DEO gratias agendo quod digni habiti eſtis pro audito DEI verbo ignominiæ & afflictionibus obijci. Nam quod voluptati vobis ſit, adflictionis veſtræ cauſam eſſe verbum CHRISTI, & veſtram conſolationē eſſe à DEO, huiusq; perſuaſionis vos certos eſſe dubium non eſt. Quid igitur ſupereſt, quam quod etiam hac parte CHRISTI exemplū referatis, Ratio vlciſcendi ſe de inimicis.

vt videli-

vt videlicet inimicorum veſtrorum infœlicitatem miſericordi pectore deploretis Quibus in cauſa ſua ſalua conſcientia non eſt, relicta tamen à Diabolo miſeranda conſolatione, per eorum impietatem, temeritatem, impatientiam, vim, vltionem & momentaneas iniurias. Credite firmiter, hac veſtri ſpiritus alacritate, hymnis, gratiarum actione, plus ægri & moleſtiæ acceſſurum Diabolo inimicorum veſtrorum DEO, quam ſi ſexcenta inimicorum veſtrorum millia occideritis. Neq; enim hæc ab illo hoc incepta ſunt animo, quo aut illos conſolaretur, aut vos externa in corpore premeret anguſtia, ſed vt vos triſtes redderet ac languidos, DEVM non requirentes. Hoc magis vos annitimini, maiora addentes, ipſumq; deridentes, quod ſucceſſus perinde fœlix inſtituto ſuo non reſponderit.

Vltio contra Diaboli furores. Pſalm. 8.

Præterea aliud vobis indicabo, quod Diabolum titillabit maximè, quodq; præ omnibus timet impenſiſsimè. Neq; illi obſcurum eſt verſiculum eſſe in Pſalterio ad hunc modum ſonantem, EX ORE INFANTIVM ET LACTENTIVM FVNDASTI VIRTVTEM, VT ABOLEAS INIMICVM ET VLTOREM. Qui quidem verſiculus non tantum illi minatur afflictionem & exilium, verum etiam eundem in nihilum redigendum eſſe, & prorſus abolendum. Atq; hoc quidem nulla perficiendum poteſtate aut potentia, quod illi foret honorificum, ſed per imbelles inualidosq; infantes & lactentes, quibus nulla vis ineſt aut robur corporis. Et hoc eſt quod potentem & arrogantem illum ſpiritum mordet non vulgariter, ſuam ſcilicet Maieſtatem, ſuum terribilem adeo furorem

rabioſamq;

riabioſamq; vltionem ſine vi vlla aut potentia, ſaltem imbecilitate puerili conterendam eſſe, atq; abolendam funditus, vel ipſo nequicquam omnibus viribus renitente. Ad hoc quidem vires vobis expromendæ,omnesq; nerui intendendi ſunt.

Nos infantes ſumus & lactentes, dum infirmi ſumus, dum inimicis permittimus vt potentes, vt robuſti ſint, nobiſq; dominentur, quo de rebus ſuis fabulentur mangnificè, faciantq; & viuant ex animi ſententia. Nos verò iniuriam ferendo muſsitamus, perinde vt infantes pueri ,qui nihil poſſunt aut dicere aut facere quod defenſio requireret. Illi verò vt Heroes Mauortij & Gygantes robutiſsimi potenter agunt, Interim tamen per os noſtrum loquitur verbum ſuum Deus, quod gratiam eius commendat & laudibus effert. Et hæc adeo immobilis eſt rupes, firmumq; fundamentum, aduerſus quod inferorum portæ ne tantillum quidem poſſunt. Vbi hoc manſerit frequenter exercitatum,eò poſtremo procedit, vt etiam aduerſariorum nonnulli conuertantur, qui diabolicæ ſquamæ prius fuerant. Porrò cum talibus ſquamis per verbum Dei decerptis, ſic diabolus deſquamatus fuerit, neceſſario poſtremum nudus redditur & imbecillis. Tum demum fit quod hic canit verſiculus, quod ille hac ratione aboleat inimicum & vltorem. Atq; hæc eſt fœlix & incruenta victoria, quæ citra gladium manuumq; conſertionem committitur, quo nomine malè vritur Diabolus. Quippe cui hoc demum volupe eſt, cum ſuorum malicia

Efficatia verbi Dei.

Victoria verbi Dei.

nos iracundia accenſos, vindictæ cupidos & impatientes reddat, corq; noſtrum à vero ſpiritualis alacritatis ſcopo dimouerit. Verum vbi his in gaudium verſis, non niſi laus & gratiarum actio Deo reddita fuerit, verbumq; eius præ omnibus vnicè cohoneſtabitur, hæc demum illi crucem adferunt & inferos.

An valeant mandata hominum de non confitendo verbi Dei.

Sed dixeris aliquis, Atqui ô bone vir cautum eſt rerum corporiſq; grauiſsima mulcta & animaduerſione mulctandos eſſe omnes, qui de verbo diuino vel hiſcere auſi fuerint. Sanè qui potens eſt, & fide rebuſtus, huiuſmodi præcepta & minas ducit pro nihilo, cum illi verbi diuini interdicendi poteſtatem habeant nullam. Verbum enim Dei vult & debet eſſe liberum & illigatum, ſi quis verò tam eſt imbecillis, & animo parum firmo, qui hoc præſtare nequeat, obſtante carnis timore, huic conſilium aliud dederim, nimirum vt apud ſe in ſinu, quod aiunt gaudeat, Deo gratias agat, verbum eius laudet, quemadmodum ſuperius indicatum eſt, oretq; â Deo ſibi præſtari eam animi magnitudinem, qua præditus etiam palam mirabilia Dei eloqui non trepidet aut formidet, vt per hoc inimicus & vltor aboleatur. Adhoc quidem hunc 119. Pſalmnm vobis vernacula lingua expreſſum donare ſtatui, breuibus ſcholijs illuſtratum, vt coram oculis intueamini, quo nam modo vos Deus per Scripturam ſuam confirmet. Tum qua ratione vobis orandum ſit aduerſus maledicos & blaſphemos ſycophantas, perſequutoreſq; tyrannicos.

PSALMVS. CXIX.

Ad

AD Dominum cum tribularer clamaui & exaudiuit me. I.
Domine libera animã meã à labijs iniquis et à lingua doloſa. II.
Quid detur tibi aut quid adponetur tibi ad linguã dolòſam? III.
Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus Iuniperorum. IIII.
Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cũ
habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.
Cum jis qui oderunt pacem eram pacificus, cum & lo- V.
quebar illis impugnabant me gratis.

PRIMVS VERSVS docet quo currendum ſit, aut vnde petendum auxilium, ingruentibus afflictionum procellis: Non ad Cæſarem, non ad gladium, Nec ad conſilium quidem rationis aut prudentiæ noſtræ declinandum eſt, ſed ad Dominum, qui verus & vnicus eſt adflictorum Opitulator & Auxiliator. Clamaui, inquit, ad Dominum in tribulationibus meis, vtq; hoc audacter faciamus, nullaq; nobis repulſa timenda ſit, per hoc indicat, vbi dicit, & exaudiuit me, ac ſi diceret, Non grauate fert Dominus vbi ad ſe in rebus malis & aduerſis curſum fuerit ac petitũ auxiliũ, eſtq; ad exaudiendum ſubleuandũq; auribus patulis & propenſis.

Vnde petẽda ſunt auxilia in adflictionibus

SECVNDVS verſus animi anguſtiam exponit & indicat, non quod Deus neſciret, ſed vt nos per hoc extimulemur impellamurq; hiſce quaſi ſtimulis exercitati, ad orandum prolixius & ardentius. Eſt verò hæc eadem neceſsitas, quæ vos Miltenbergæ aliosq; per Germaniam complures vobis ſimiles inuaſit, nimirum qua virulentis linguis blaſphematores verbum Dei ferre recuſant, verum ſuas ab homini-

Quæ ſit adflictio ſine anguſtia piorum.

 bus con-

bus conſtitutiones & mendacia retinere nituntur, nobiſq; ſilentium minaciter iniungunt, quo per hoc illorum erronea atq; adeo doctrina peſtifera nuſquam non tutò ſolaq; predicetur.

Remedium contra affli ctiones.

TERTIVS verſus conſilio deliberat quo remedio huic rei ſuccurrendum ſit. Nam & humana fragilitas auxilium protectionemq; in hoc Mundo habere deſyderat, multoſq; hac in re occupatos eſſe hic verſiculus indicio eſt, per hoc quod conſilio colligit, quid hac in re facto opus ſit. Spiritus verò hæc omnia poſt tergum reiectat, omnibus hiſce ſubſidijs contemptis, vt ſequitur.

Concionatores ſunt ſagittæ.

QVARTVS verſiculus nominatim exprimit verum auxilium, acutas ſcilicet ſagittas potentis, hoc eſt, ſi Deus dignetur extrudere Cōcionatores fortes & magnanimos, qui verbum eius loquantur intrepidè, quod telum Dei eſt & ſagittæ acutæ, quippe quæ penetrant & parcunt nemini. Verum extortæ comminuunt quicquid humanarum conſtitutionum fermentum eſt. Quibus quidem ſagittis linguæ blaſphemantium exuperantur, inq; verè Chriſtianas commutantur.

Chriſtiani ſunt carbones Iuniperorum.

Porrò Iuniperorum carbones verè Chriſtianos homines ſignificant, qui verbum (cuius typum ſagittæ acutæ exprimunt) etiam vita ipſa teſtatum reddunt, ardentiq; charitate & operibus efficaces incedunt. Siquidem ferunt Iuniperorum carbones efficacibus flammis ignem fouere. Vt hic planè verſiculus optare videatur, Concionatores verbo

diuino

diuino probè inſtructos, qui eloquium Dei potenter, & ore libero iugiq; exercitio pronuncient, omnibus humi poſtratis, quæcunq; ingeſsiſſet Diabolus, operibus quoq;, quæ charitatis ſunt incendium, fidem ſuam vniuerſo mundo probatam exhiberent. Etenim permulti quidem iam ſunt verbi diuini Predicatores, etiam vocales & multum clamoſi, verum non perinde potentes, nec vlla Maieſtate Euangelij miniſterium obeuntes. Quod quanquam ſibi obeundum præſumpſerint, fraudulenter tamen faciunt & ignauiter, vtpote, qui ſagittas Euangelicas parum exacuant, parcentes vbi parcendum non eſt, Magnatibus ſcilicet. Adhæc adeo frigent charitate, viuuntq; vitam ſic prauam, ſic gentilem, vt plus ſanè offendant quam proſint, atq; per hoc prorſus ſagittas diuinas obtuſas reddunt atq; debilitant.

Officium Concionatorum verbi Dei.

Cæterum VERSICVLVS QVINTVS quæritur iuxtaq; indicat, vt Predicatoribus huiuſmodi ſuccedat, vtq; paucißimi vera fide amplexantur Euangelium, vtq; maxima pars neglectum Dei verbum ventis mandet atq; procellis, humanis nimirum conſtitutionibus ſuffocata. Quod quidem dolorem non mediocrem adportat Spiritui, qui tam afflictim velit cupiatq; neminem non ſummo gaudio amplecti Euangelium. Quamobrem inquit, EHEV QVAM INCOLATVS MEVS PROLONGATVS EST, QVAM DIV HOSPES AMBVLABO? Neq; enim regnum Dei vſquã inter ipſos reperio, ſed nec ad hoc viam adfectant, quantumuis iugiter predicem, nihil proficiunt,

Succeſſus Concionatorum.

ne pilo quidem meliores facti, quorum conuerſatione & ego miſer cogor vti, dum habitant in tabernaculis Cedar. Arabiam verò hebrea lingua Cedar nominat, ſonatq; nobis lingua vernacula triſte ſeu tenebroſum, velut incedunt hi qui triſtitia ſunt affecti. Sunt autem Arabes gens inculta, effera, barbara, moribuſq; parum ciuilibus. Et hoc eſt quod Chriſtianis non obtemperantes Euangelio Cedar vocent, dum ſe non præbent fingendos formandoſq; Euangelio.

Cedar:

Arabes.

SEXTVS indicat eum nedum contemni verum etiam perſecutionibus obiectum eſſe propter verbum, cum tamen inter ipſos perdurare debeat. Pacem odio proſequuntur, inquit, & diuinam quidem pacem, qua introrſum in cordis conſcientiæq; penetralibus cum Deo pacem habemus. Forinſecus quoq; cum omnibus hominibus pacificè viueutes, nemini malum dantes, verum quemuis vt in nos inciderit beneficijs cumulantes. Atq; hanc quidem pacem odio habent, dum verbum perſequuntur, per quod huiusmodi pax docetur adferturq;. Manibus verò propriam doctrinam aſſerunt, aliud nihil parientem, quã quod corã Deo malè nobis conſcij trepidemus, per opera fide non producta, per ſectas & hæreſes in diuerſis hominum ſtatibus erectas.

Contemptus & perſecutio contra Contionatores.

Euangeliũ eſt doctrina pacifica.

SEPTIMVS reſpondet ſeq; apologia purgat aduerſus calumnias falſò à maledicis ſibi intentatas. Dum impij verè Chriſtianos reos agunt, dicendo Euangelicam doctrinã eſſe ſeditioſam, tantumq; rixarum & Schiſmatum parentem, ad quod quidẽ ipſe reſpondet. Ego equidem in culpa non ſum, quippe qui pacem ſectabar, neminem offendens, niſi quod

Apologia contra calumnias.

veram

veram pacem predicando inuulgabam, cuius rei illi impatientes protinus ad arma proſilierunt, meq; perſecuti ſunt. Hoc nomine etiam Helias à rege Achab malè audiebat, ac is qui perturbaſſet Iſrael, cum tamen, quemadmodum Helias reſpondit, ipſe Rex Iſrael perturbauerat. 3. Rep. 18

Hinc videtis amici animo meo chariſs: veſtrã adflictionem Prophetico penicillo hic adfabre depictam, veſtraſq; res non aliter ſe habere, atq; hic canit Pſalmus. Hoc vobis opprobrium ferendum, quo ſeditionis turbarumqj authores incuſamini, quanquam à vobis nihil tale cõmiſſum eſt, quã quod verbum audiſtis, deq; eò mutuis inter vos colloquijs meditati eſtis, alijs quoq; loquendi libertate cõceſſa. Atq; hoc Moguntinenſis meretricarij animarũ venatores moleſtè ferentes, bellum vobis huius rei gratia intulerunt, & pacem quam vos didiceratis odio habitam inſectati ſunt. Sed & vobis etiam dum manendum eſt, diuq; peregrinandum apud inimicos pacis propter Deum, habitantibus in tabernaculis Cedar, hoſpitibus & peregrinis, parũ humaniter & ciuiliter tractandis. Quid verò in animum induxiſtis faciendum? Iniuriam vltione retaliare non poteſtis. Sed nec ſi maxime poſsitis, licitum eſſet. Malè imprecari quoq; nephas eſt, præſertim dicente Chriſto, Benedicite maledicentibus vobis. Orate pro perſequentibus vos. Quid verò tandẽ facturi eſtis? Nihil profecto conſultius eſſe poteſt, quam quod oculis veſtris ab hominibus vos moleſtè affligentibus amotis & declinatis, tantũ acurratè obſeruetis veteratorẽ illum, cuius œſtro & furijs aduerſarij veſtri perciti ſunt, & in hũc iniuriã vobis il-

latam animaduertendam eſſe putate. Atqui carnem & oſſa non habet, ſiquidem Spiritus eſt. Proinde vobis cum carne & ſanguine (vt Paulus inquit) confligandum non eſt, ſed cum impijs Spiritibus in aëre, cum Principibus tenebricoſi & excæcati mundi. Quid verò aliud æquè facerent non tam deſperatiſsimi quam perditiſsimi Moguntin: pamphagi & meretricarij? cum non poſsint non hoc facere, ad quod faciendum illos intemperijs agitatos diabolus illorum Deus extimulat. Quandoquidem apud ſe non ſunt, atq; hoc nomine illorum rabies multa lachrymarum vi magis deploranda eſt. Chriſtianam doctrinam ſe tueri adfirmant, cum tamen quibusuis lenonibus & meretricibus turpiorem vitam exigant. Quaſi verò Spiritus ſanctus per hæc vaſa diabolica aliquid pro gloria ſua eſſet operaturus, niſi forte ipſis neſcijs & inuitis, veluti in Iuda, Caypha, Pilato, & alijs nonnullis factum eſſe videmus.

Ephe. 6.

Ad Dominum confugiendum oratione.

Vnum hoc itaq; vobis relictum eſt, nimirum vt in hac neceſsitate conſtituti fugiatis ad Dominum, iuxta huius Pſalmi doctrinam, coramq; ipſo aduerſus linguas haſce virulentas clametis, ac ſerio totoq; cordis affectu pro mittendis fortibus Sagittarijs Dominum precemini, à quibus ſagittæ acutæ in diabolum crebro mittantur à ſcopo non aberrantes. Proq; Iuniperorum Carbonibus, ſuo ardore flammaq; ſeductos & excæcatos homines accendentibus, vitaq; inculpata illuminantibus, ad nominis honorem & gloriam. Quod ſi hoc à vobis factitatum fuerit, ſpero breui egregiè diabolum

vlturos

vlturos eſſe nos, vnde cor veſtrum gaudio exultabit. Tantum etiam atq; etiam videte, vt hæc oretis omni fiducia, nihil hæſitantes, DEVM, ob cuius verbum has iniurias ignominiamq́; paſsi eſtis, precationem veſtram certo exauditurum, ſagittasq́; ſuas vna cum carbonibus ardentiſsimis cumulatim emiſſurum, adeo, vt vbi vno loco Miltenbergæ verbum DEI oppreſſerint, alibi decem alijs emerſurum ſit. Et quo magis illi in ignem ſufflabũt, hoc ardebit impenſius. Quanquam tantum virium nondum collegerit adhuc verbum DEI, quibus merito ſuffultum foret exercendum, nosq́; non illibenter velimus (tametſi illis videatur ſummo ingredi robore) nulli profecto rei culpam hanc adſcribere poſſum, quam ſocordiæ noſtræ, quæ pro ſagittis acuminatis proq́; mittendis carbonibus ardentibus grauiter orare hactenus turpiter ceſſauit. Porrò fidentem orandi aſsiduitatem nobis mandauit, quo regnum ſuum veniat, nomenq́; eius ſanctificetur, hoc eſt vt & verbum eius & Chriſtianorum puſillus grex indies magis atq; magis incrementum accipiat. Cum verò hîc ſecuri ſtertimus animo prorſus otioſo, neglectamq́; rem magis negligimus, nihil orantes aut petentes ſerio, fit, vt omnia quoq; cætera ſic lento & teſtudineo gradu ſuccedant, ſuntq́; ſagittæ obtuſa acie penetrandi facultatem non habentes, carbones verò extincti & frigidi, & parua adhuc rerũ ſuũ capit Diabolum cum trepidatio tum deſperatio. Quapropter vt tandem ſemel expergiſcamnr arrepta animi alacritate, tẽpus ipſum vocat. Multis nos paſsim impetit impoſturis, quin mutua ta-

lione nos illi viciſsim aliquid impingamus, quod animo moleſto laturus ſit, nos vlciſcendo, hoc eſt, indeſinenter oremus DEVM, ne Sagittarios nobis probè inſtructos telis acutis carbonibusq́; affatim mittere grauetur.

Et has quidem, vt cernitis, literas conſolatorias, amici ac fratres chariſsimi auſus ſum ad vos perſcribere. Quanquam ab alijs fortaſſe idem humanitatis officij dexteriore minerua præſtari potuiſſet vehementiore motis cauſa: Tamen cum meum quoq; nomen huic Tragediæ admixtum eſſe videam, & vos vt Lutherani perſecutionem paſsi eſtis, viſum eſt idem & mihi non malè licuiſſe, veſtrum nimirum dolorem non ſecus ac meum dolere communiter. Quanquam verò dolentiſsimè patiar doctrinam meam, hominesq́; eandem amplectentes, hoc prophanari nomine, vt Lutherani vocentur, cogamurq́; ferre Euangelium DEI hac contaminari contumelia: Attamen Lutherũ Lutheranamq́; doctrinam & Chriſtianos eiuſdem aſſeclas, velint nolint, tolerare coguntur, eoſdemq́; præoccupato honorum culmine victores virûm volitare per ora. E diuerſo ipſis doctrinæq́; ſuæ ſumma cum ignominia & dedecore peſſum eundum eſt, etiamſi vniuerſus orbis eorum caſum & interitum condoleat, omnesq́; Diaboli ferrent impatientiſsimè. Viuentibus nobis pacem non habebunt, morientibus verò longè minus pax dabitur. Quid multis moror? à noſtræ oppugnationis obſidione tum primum liberabuntur, vbi cum eos tum doctrinam illorum profligatam in imumq́; barathrum præcipitatam

cipitatam eſſe viderimus. Aut ipſos vltro communibus ſignis arreptis ad nos deficientes, ſub communi Imperatore CHRISTO militantes conſpexerimus. Fauorem interim illorum & iracundiam ne pili quidem facientes fortiter negligemus, quæ vt nobis incõmodare non poteſt, ita nec illis quicquam prodeſſe. Quandoquidem certi ſumus de verbo quod prædicamus, cuius ſit, quod omnibus nobis extorquere nunquã poterunt. Atq; hæc mea ſit Prophetia, quam omnibus Apolloneis oraculis, folijsq́; Sibyllinis certiorem fore vobis planè perſuaſum ſit. Deus illorum miſereatur.

Quod reliquum eſt, amici chariſsimi, gratiæ & miſeridiæ DEI vos commendatos eſſe volo. Cæterum orate etiam pro me miſero peccatore. Verbi diuini miniſtrorum CHRISTVM non Papam aut Moguntinenſes meretricarios predicantium curam habete. Gratia DEI ſit cum omnibus vobis. Vuitembergæ. Anno M. D. XXIIII.

DOCTISSIMO VIRO D. ERASMO Roterodamo, &c.

Erudita Epiſtola Lutheri, qua modeſtiſsime agit cum Eraſmo, vt omiſſa mordacitate in perſtringendis Lutheranis, ſua ingenii dona conferat ad illuſtrandam Euangelii doctrinam. Oſtendi etiam ſe compeſcuiſſe multorum conatus, qui Eraſmo bellum intendere decreuerant, Optatq́; vt Hutteni Expoſtulatio non prodiſſet in lucem. Ac quamuis ipſe quoq; ab Eraſmo ſit irritatus, tamen contra eum ſe hactenus nihil hoſtiliter tentaſſe. Nec ſe metuere, vt ſua cauſa per eloquentiam Eraſmi expugnari debeat. Tandem orat Deum, vt Eraſmus Luce Euangelii illuſtretur, vel ſi id a Domino ei conceſſum non fuerit, ne copias ſuas cum aduerſariis cõiungat, ſed tantum ſit ſpectator Tragoediæ.

GRatia & pax à Domino noſtro IHESV CHRISTO. Iam ſatis diu ſilui, optime Eraſme, & quamuis expectauerim vt tu maior & prior ſilentium rumperes, tamen cum fruſtra expectauerim tam diu, ipſa charitas me cogit incipere. Primum nihil cauſor quod alieni more te erga nos habueris, quo magis eſſet tibi integra & ſalua cauſa tua contra hoſtes meos Papiſtas. Deniq; non ægrè tuli admodum, quod æditis libellis in aliquot locis pro illorum gratia captanda, aut furore mitigando, nos acerbiuſculè momorderis & perſtrinxeris. Quando enim videmus tibi nondum eſſe à Domino datam eam fortitudinem vel ſenſum, vt monſtris illis noſtris libens & fidenter occurras nobiſcum, nos non ſumus, qui à te exigere audemus id quod vires & modum tuum ſuperat? Quin imbecillitatem tuam & menſuram doni tui in te tolerauimus & venerati ſumus. Nam id planè non poteſt negare totus orbis, quod literæ per te florent & regnant, per quas ad ſynceram Bibliorum lectionem venitur, donum etiam DEI eſſe in te magnificum & egregium, de quo gratias agere oportuit. Proinde ego quidem nunquam optaui, vt deſerta aut neglecta menſura tua noſtris caſtris miſcereris, cui negotio etſi ingenio & eloquentia multum prodeſſe poſſes, tamen cum non adſit animus, tutius erat in tuo dono ſeruire. Hoc ſolum timebatur, ne quando per aduerſarios adducereris æditis libellis in dogmata noſtra graſſari, vt cum neceſſitas vrgeret tibi in faciem reſiſteretur. Compeſcuimus ſanè aliquot qui iam paratis libris te in arenam

Eraſ. mordacitas in perſtringendis Lutheranis.

Lutherus de Eraſ.

arenam trahere volebant,atq; ea ratio fuit, vt & Hutteni Expoſtulationem optarim non æditam, multo minus tuam Spongiam,in qua ni fallor,tu ipſe iam ſentis quam facile ſit de modeſtia ſcribere, & in Luthero immodeſtiam arguere, ſed difficillimum imò.impoſsibile præſtare niſi dono ſpiritus ſingulari,Credas igitur vel non credas, teſtis eſt CHRISTVS, ex animo me tibi condolere, tot & tantorum odia vel ſtudia eſſe in te irritata, quibus vt non mouearis (quod tua eſt humana virtus tantis molibus impar) credere non poſſum. Quanquam & illos fortè moueat iuſtus zelus, & ſibi videantur indignis modis à te prouocari. Et vt liberè fatear cum tales ſint qui tuam acerbitatem & ſimulationem (quam tu prudentiam & modeſtiam velles intelligi) pro ſua quoq; infirmitate ferre nequeant, habent certè ob quod merito indignentur, nihil habituri ſi fortiores eſſent animis. Quamuis tamen & ego irritabilis irritatus fuerim ſæpius, vt acerbius ſcriberem, tamen non feci hoc niſi in pertinaces & indomitos.Cæterum clementia & manſuetudo mea erga peccatores & impios quantumuis inſanos & iniquos, arbitror quod non modo teſte mea conſcientia, ſed & multorum experientia ſatis teſtata ſit. Sic hactenus ſtylum cohibui, vtcunq; pungeres me, cohibiturumq; etiam ſcripſi in literis ad amicos, quæ tibi quoq; lectæ ſunt, donec palam prodires.Nam vtcunq; non nobiſcum ſapias & pleraq; pietatis capita vel impiè vel ſimulanter damnes

Expoſtulatio Hutteni

Manſuetudo Lutheri.

aut ſuſpendas,pertinaciam tamen tibi tribuere non poſſum neq; volo.Nunc autem quid faciam? vtrimq; res acerbatiſſima eſt. Ego optarem (ſi fieri poſſem mediator) vt & illi deſinerent te impetere tantis animis, ſinerentq; ſenectutem tuam cum pace in Domino obdormire, id facerent ſanè mea quidem ſententia, ſi rationem imbecillitatis tuæ & magnitudinem cauſæ, quæ modulum tuum iamdudum egreſſa eſt perpenderent : Præſertim cum res iam eò peruenerit, vt parum ſit metuendum periculum noſtræ cauſæ, ſi Eraſmus etiam ſummis viribus oppugnaret, nedum ſi aliquando ſpargit aculeos & dentes tantum. Rurſus ſi tu mi Eraſme illorum infirmitatem cogitares, & à figuris illis Rethoricæ tuæ ſalſis & amaris abſtineres, etſi omnino neq; poſſes neq; auderes noſtra aſſerere, intacta tamen dimitteres & tua tractares. Nam quod illi morſiones tuas iniquius ferunt, etiam te iudice nonnulla cauſa eſt,ſcilicet, Infirmitas humana cogitat & malè metuit authoritatem & nomen Eraſmi, vt longè aliud ſit ab Eraſmo ſemel eſſe morſum,quam ab omnibus Papiſtis eſſe cōmolitum. Hæc volo dicta optime Eraſme in teſtimonium candidi in te animi, & qui optet tibi dari à Domino ſpiritum dignum nomine tuo, quem ſi diſtulerit tibi Dominus dare,interim à te peto,vt (ſi aliud præſtare non potes) ſpectator tantum ſis Tragædiæ noſtræ,tuatum ne ſoleris, & copias iungas cum aduerſarijs noſtris, præſertim ne ædas libellos contra me,ſicut nec ego contra te ædam,

Aculei Morſionis Eraſmianæ.

te ædam. Deinde eos qui ſe Lutheri nomine peti quæruntur, homines eſſe tui meiq; ſimiles cogites, quibus opus eſt parcere & ignoſcere, & vt Paulus ait, onera inuicem portare. Satis morſum eſt, nunc prouidendum eſt ne conſumamur ab inuicem. Quod eo eſſet miſerabilius ſpectaculum, quo certius eſt neutram partem ex animo malè velle pietati, & pertinaciam ſuam cuiq; placere. Boni conſule infantiam meam, & in Domino benè vale, [Ioachimum iſtum Iuuenem Philippo noſtro ſimilem tibi commendo, imò ſeſe plus commendabit admiſſus.] Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

DOMINO DOCTORI ANDREÆ Carolſtadio.

Prolixa, pia, erudita & graui Epiſtola reſpondet Carolſtadio Sacramentario, primum de verbis coenæ Domini, an aliter ea accipi debeant quam ſonant, ſiue non: Secundo de re, an corpus CHRISTI in coena corporaliter detur & edatur, ſimul adiiciens confutationem diſputationis Carolſtadianæ, in qua locos aliquos Scripturæ veteratorie a genuina ſententia ad confirmandam falſam ſuam opinionem de coena Domini detorquet, item refutationem tranſlaticiæ ſignificationis, quam Sacramentarii magnopere vrgent.

Gratiam

Carolſtadii commentarius ſuper verbum dedit.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Speraueram te producturum Argumenta, mi Carolſtadi, quæ te mouerent aut mouiſſent ad tuam opinionem, ſed ex ipſo tuo commentario ſuper verbo (dedit) intelligo, te Argumenta potius exquirere ex ſyllabis & literis. Quod aliud nihil eſſe poteſt, quam quod data opera lucem fugias. Nam quis erit finis diſputandi, ſi ſic pergas ſyllabas violenter mugire & pungere? Cur non potius ad rem accedis? Breuiter me accipe, clariſsimê enim dicam. Duo ſunt in iſta cauſa propoſita, nempe verba & res, de verbis eſt quæſtio, An demonſtrari poſsit, ea debere aliter accipi, quam ſonant? De re quæſtio, An corpus CHRISTI in Cœna corporaliter detur & edatur? Nos igitur per verba vobis rem extorquere nitimur, ſicut vos per rem nobis verba extorquere nitimini. Quia ſi verba accipienda ſunt vt ſonant, abſq; dubio nos vicimus & rem vobis extorſimus: Contra ſi vos rem demonſtraueritis, abſq; dubio verba nobis extorſiſtis, ſcilicet aliter intelligenda quam ſonant. Nunc ſine controuerſia Prior Quæſtio de verbis eſt tractanda, hoc eſt, primum videndum quid nominis, deinde quid rei. Hic nos ſtamus & dicimus (quandoquidem neq; tu, neq; vllus veſtrum hactenus demonſtrauit hæc verba, Hoc eſt corpus meum aliter accipienda quam ſonant) Simpliciter eis eſſe in hærendum, vt ſonant. Nam neque tu vnum iota ex Scripturis produxiſti, quo probares τοῦτο ad corpus ſedentis CHRISTI ſpectare, ſed ex capite tuo hoc fingis, ſicut nec Zuinglius nec Oecolampadius

Verba & res ſpectanda in negotio Sacramenti

1 Quæſtio de verbis:

padius probant vlla ex Scripturis ſyllaba (eſt) pro ſignificat, aut corpus pro figura corporea accipi, ſed & ipſi talia è ſuo capite fingunt. Cum igitur hîc vos palam teneamus Fictores arbitrarios verborum, contra vſum & naturam omnium linguarum, poſſumus ne moueri in veſtram ſententiam? Imò quomodo vos non mouet conſcientia, quæ aculeum hunc ſentit, & inclamat vos dicens, verba ſic ſonant, & vos non probatis aliter accipi debere? Nam & demus per impoſsibile, vos rem demonſtrare, ſcilicet corpus Chriſti non dari in Cœna, quid facietis cum conſcientia hæc verba opponit, Hoc eſt Corpus meum? Aliter accipienda ſunt inquies? Quomodo? Hic omnes cogimini obmuteſcere, cum neq; tu probes tuum τοῦτο, nec illi ſuum ſignificat aut figuram. Et ſic prorſus nullum textum nobis relinquitis, quia nihil aliud concluditis, quam verba eſſe aliter accipienda quam ſonant. Quomodo autem ſint accipienda prorſus dicere non poteſtis, atq; ſic conſcientiæ clamorem tranſitis quæ verbis vt ſonant mordetur, cum nunquam ea aliter accipi audierit quam ſonant. Qualis autem ſit ille Spiritus, qui ſolum hæc efficit, vt nullus textus ſit in Cœna Domini, deinde aliter accipienda verba quam ſonant contendit contra omnium linguarum vſum, nec vult nec poteſt probare, idipſum facile eſt iudicare. Cum igitur peruerſo ordine vos tranſiliatis, quid nominis, deinde quid rei, ſiue quid nominis quæratis, ſtamus contra vos inuicti, dicentes, verba ſic ſonant, nec contrariè aut aliter accipienda eſſe vlla ſyllaba

Zuuinglii & Oecolãpadii ſententiæ.

An verba cœnæ aliter ſint accipienda quam ſonent.

probatis imò contemptim tranſilitis, ideo certum eſt vos errare, præſertim in ſacris literis neceſſe eſt quid nominis primum & certiſsimum habere, quia de rebus incognitis & tantum fide perceptis agitur. Nunc ad tuum peruerſum ordinem venio, quo contemptu quid nominis, ſudas in quid rei. Ac primum valde vellem te omiſiſſe plurima, quæ abſq; dubio me tibi non concedere noſti, ne tempus & verba perdere opus eſſet. Sed quia id fortè non potes nouellus vt video Rethor ex libellis abſq; præceptore factus, donandum eſt hoc tibi & ferendum. Primum quod doces me, eſſe locos Scripturæ per collationem aliorum locorum exponendos, & hac regula fretus incipis, & Ioannis caput ſextum velut lucem in verba cœnæ Domini adferre, hîc quæſo me patienter audi: Si omnis locus Scripturæ per alium locum eſt exponendus, quis erit finis conferendi locos Scripturæ? Quia hac ratione fiet, vt nullus locus ſit in Scriptura certus & clarus, & erit quædam mutua collatio loci ad locum in infinitum. Sic alius præſumet exponere ſextum caput Ioannis per cœnam, ſicut tu contra per 6. caput Ioannis præſumis Cœnam exponere, & vtetur tua Regula, ſcilicet, locum per locum eſſe exponendum. Sentis ne hîc te ſatis infidele fundamentum ieciſſe, & ex particulari ad vniuerſale procedere, Nam iſta Regula, Locus per locum exponi debet, abſq; dubio particularis eſt, ſcilicet, Locus ambiguus & obſcurus debet per locum clarum & certum exponi. Nam claros & certos locos velle per collationem aliorum exponere, eſt nequiter ve-

I. Quæſtio quid rei.

Regula: Locos Scripturæ collatione aliorum locorum exponendos eſſe.

6. Caput Ioannis.

ter ve-

ter veritatem illudere, & nebulas in lucem vehere. Similiter omnes locos velle per collationem aliorum exponere, eſſet totam Scripturam in infinitum & incertum cahos confundere. Sunt ne hæc ſatis clara? Abſq; dubio intelligis pulchrè hæc ita habere. Quando igitur hac regula conferendi vti voluiſti ceu fundamento, primum erit tibi certum & demonſtratum faciendum, locum Cœnæ eſſe ambiguum & obſcurum, hoc eſt, qui egeret iſta conferendi regula ad caput Ioannis ſextum. Tu verò neutrum iſtorum facis, nec demonſtras ambiguum eſſe locum cœnæ, nec probas cum Ioannis capite ſexto conferendũ eſſe, ſed vtrumq; fortiter indemonſtratũ & incertum apprehendis, præſupponens tanquã certũ & demonſtratum. Quid mirum ſi nihil niſi monſtra diſputes & concludas? Ambiguitatem autem Cœnæ ſic aut ſimili modo docuiſſes dicendo. Quia vocabula iſta Corpus meum &c. vel iſta oratio, Hoc eſt Corpus meum, in Scripturis variè & ambiguè accipitur, ideo aliunde petenda eſt certa intelligentia. Hoc modo ſi proceſsiſſes, occurriſſet tibi veritas & dixiſſes, parce frater, Locus Cœnæ non eſt ambiguus, aut demonſtra ambiguitatem? Quia verba iſta, Hoc eſt Corpus meum, omnium linguarum vſu ſunt clara, & nuſquam in Scripturis aliter accepta aut intellecta quam vt ſonant, niſi tu contrarium probaueris. Quare tibi non poteſt concedi, vt ea ad caput ſextum Ioannis conferas iuxta regulam prædictam. Nam Regula hæc non habet hîc locum, niſi pro baueris ambiguitatem ſiue in vocabilis ſiue in Syntaxi.

An verba Coenæ, ſit Locus ambiguus?

Nulla ambiguitas eſt in verbis Coenæ.

SECVNDO, Quod multũ contendis Chriſtum Ioannis

Explicatio capitis ſexti Ioannis.

ſexto definiuiſſe, vbi, quomodo, quibus, quando, quoties, quo conſilio, quibus inſtrumentis Corpus ſuum datum ſit in cibum, laudo conatum tuum Rethoricandi, ſed mi vir hoc noſti à me non negari, nec erat opus eò produci Ioannis caput ſextum, mihi ſatis notum eſt, ac ſcio ibi doceri Corpus Chriſti ſeu potius carnem Chriſti eſſe animarum cibum. Iterum agis quod agendum eſt, ex particulari infers excluſiuam, ſcilicet, Chriſti caro docetur capite ſexto manducari Spiritualiter, Ergo Chriſti caro docetur manducari tantum ſpiritualiter, vbi didiciſti hanc Dialecticam? Manducari ſpiritualiter eſt idem quod manducari tantum ſpiritualiter, vel quod Chriſti caro ſpiritualiter comeditur, Ergo non poteſt etiam corporaliter comedi. Oſtende locum Ioannis 6. qui hanc conſequentiam probet, quam tu hic fingis. Quomodo poſſum credere te iſto ſyllogiſmo moueri, certè illo nos non poſſe moueri arbitror te planè videre, Nam eadem conſequentia dixeris Gal. 4. Chriſtus ſpiritualiter paritur in Galatis, ergo non poteſt corporaliter pari de Maria: Chriſtus habitat ſpiritualiter in credentibus Ephe. 2. Ergo non poteſt corporaliter habitare Capernaum, aut in cœlo. Chriſtus crucifigitur ſpiritualiter Gala. 3. Ergo non poteſt corporaliter crucifigi à Iudeis in cruce. Et huius generis infinita poſſunt adduci, vt de tactu, viſu, auditu, ſpiritualibus, vt negentur corporaliter fieri potuiſſe. Vides itaq; in quantis deficiat hoc tuum argumentum, ſcilicet, quod ex definito facis excluſiuam, deinde quod locum Ioannis 6. ad locum Cœnæ per vim torques & nihil probas.

TER-

TERTIO, quod ſatis longa & penè obſcura verboſitate vrges pugnantiam eſſe in noſtra ſententia, videlicet, quod verbum dedit ponitur ante hunc textum, Hoc eſt corpus meum, id efficere, vt datio iam facta ſit antequam Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, Ergo diſcipulos neceſſe eſt panem accepiſſe à Chriſto datum, & ſic finita datione & acceptione, tum Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum. Vt neceſſario ad Chriſti Corpus ibi ſedentis pertineat, cum iam ante panis ſit datus & acceptus. Hæc niſi fallor eſt vis & lux illa verbi dedit, tam magnificè à te tractata. Ego verò te per Chriſtum oro, vt tecum ipſe conſideres & obſerues ſi potes, quam inſigni cæcitate hic labores. Timeo ne ſic in pœnam tam Sacrilegi dogmatis percuſſus ſis: Age loquamut craſsè, verborum quædam ſunt Euangeliſtæ hiſtoriam recitantis, puta hæc, Accepit panem, gratias egit, deditq; diſcipulis ſuis dicens: Quædam ſunt Domini loquentis, puta hæc, Accipide, Comedite, hoc eſt Corpus meum. Iam tu inter hæc verba Euangeliſtæ recitantis hiſtoriam, & inter verba Chriſti loquentis aliquod ponis interuallum temporis, in quo Chriſtus dederit, & diſcipuli acceperint ac vorarint panem, vorato autem pane tum ſequatur Chriſtus dicens. Hoc eſt, Corpus meum, vbi neceſſario, Hoc, demonſtrant Corpus Chriſti, quia panis iam abeſt, puta datus & acceptus, fortè & comeſtus, vt per Hoc demonſtrari non poſsit. Quis hic non videat ridiculam tuam cogitationem vel ſtudium potius volentis & quærentis errare? Cur non obſeruaſti hanc

Pugnantia in ſententia Lutheri de coena.

Verba Euãgeliſtæ, recitantia hiſtoriam.

Verba Domini inſtituentis coenam.

Datio panis facta ſub dictione verborum.

Euangeliſtæ vocem dicentis. Quia clarè ſignificat inter dicendum datum eſſe panem, & quid dixerit addit, ACCIPITE ET COMEDITE hoc eſt corpus meum. Ex quo perſpicuum eſt dationem panis eſſe factam ſimul ſub dictione vel cum dictione, ſonantibus & prolatis iſtis verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, vt tua cogitatio prorſus nihil ſit, qua panem datum imaginaris ante prolationem verborum, ſicut in libro vel papyro, dedit, ante hanc orationem, Hoc eſt corpus meum ponitur. Igitur iuxta tuum ſenſum augendus eſſet textus hoc modo, Chriſtus fregit deditq; diſcipulis, & illi acceperunt & comederunt, Tunc dixit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, &c. Sic enim tu cogitas mox eſſe factum vbi Euangeliſta verbum dedit legendum deſcripſit, & non vides factum ab Euangeliſta repreſentari his verbis, Accipite & Comedite, hoc eſt corpus meum. Nam finge te adeſſe Cœnæ illi primæ Chriſti, ſpectareq; & obſeruare Chriſtum agentem & loquentem. Hîc vide manus eius quibus accipit panem, nihil dicens de dando, ſed retinente in manibus panem, profert gratias, gratijs actis iterum tacet & nihil de dando dicit, ſed ptofert hæc verba, Accipite comedite; Hoc eſt corpus meum. Sub his verbis vel mox poſt ipſa aut cum ipſis, & non neceſſario ante ipſa fit datio, vt cogit natura facti & hiſtoriæ ſentire, vt nemo poſsit negare panem datum eſſe corpus ſuum, vt quod dando appellat corpus ſuũ. Proinde cum tu interuallum ponis inter dationem & appellationem, fingis contra naturam facti. Certè ad impoſsibile te obligas,

ligas, hoc eſt ad probandum iſtud interallũ, cum Euangeliſta per participium illud (dicens) prorſus tollat interuallum, & inter dicendum, vel cum dicendo factum panem eſſe datũ & Corpus Chriſti appellatum teſtatur. Ita manet nuda & mutilis cogitatio tua de Interuallo temporis & dationis, quã in ipſo factam fingis. Nam quod poſtulas tibi reſponderi, an Chriſtus ſuum corpus dederit antequam primam literã eloqueretur huius orationis, Hoc eſt Corpus meum, quid eſt niſi mera captio & inſidioſa verborum Chriſti cauillatio? Nam finge panem eſſe datum vel poſt orationem completam, vel ante inceptam, quid hoc quæſo ad rem? aut quid hoc te iuuat? cum participium (dicens) demonſtret dantem Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt Corpus meum. Certè ſi tibi centum florenos darem nihil referret ſiue poſt ſiue ante dationẽ ſic dicerem, Hîc ſunt 100 fl. Quanquam natura facti & narratio hiſtoriæ perſuadeat dare & dicere ſimul fuiſſe, vt ſimul dederit panem, & ſimul dixerit, Hoc eſt corpus meum. Nam ſic ſolet in omni actione fieri, vt dator ſimul det & dicat ſeu appellet id quod dat. Niſi forte illam vetulam quæſtionem nobis reuocas de Inſtanti conſecrationis vbi Papiſtæ docent, poſt vltimam ſyllabam adeſſe Corpus CHRISTI & non ante. Nos iſtas cogitationes contemnimus, & DEO non deſignamus inſtantia aut tempora, contenti ſimpliciter credere id fieri certò quidquid DEVS fieri aut eſſe dixerit. Neq; enim nos contendimus, quo inſtante Leproſus ſit mundatus, quando CHRISTVS dixit

Cogitatio de interuallo temporis & dationis.

Papiſtarum quæſtio de Inſtanti Conſecrationis.

Mat-

Matthei 8. volo mundus eſto. Sed ſatis eſt nos credere illum fuiſſe mundum factum, ſicut Chriſtus dixerat. Sic filium Reguli Ioannis quarto credimus ſanatum, ſicut Chriſtus dixerat, vade filius tuus viuit, non curioſi quo ſyllabarum

Ioan. 11. tempore aut inſtanti factum ſit. Et Lazarum reuixiſſe ſicut verbum Chriſti ſonat, Lazare veni foras, otioſis & vaniloquis relinquimus, an ſub voce, veni foras, vel Lazare, reuixerit. Et talia multa, ſic & hic panem eſſe Corpus Chriſti dicimus, quia Chriſtus dicit. Hoc eſt Corpus meum, alijs λογομάχοις concedentes, vt de inſtantibus & ſyllabis diſputent.

Veritas verborum Dei

Nobis enim præceptum eſt, verba Dei vera eſſe credere, non autem diſquirere, quo inſtanti, aut quomodo vera ſint & impleantur.

Ex iſtis puto ſatis clarum eſſe, quod verbum dedit malè trahas ad actionem Cœnæ, cum ſit verbum Euangeliſtæ præteritam Cœnam narrantis, ideo coactus eſt verbo præteriti temporis vti. At ipſa actio verbis præſentibus Imperatiui & Indicatiui modi repreſentatur, puta, accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, quæ non ſinunt interuallum aut præteritam dationem imaginari. Sed obijciunt præſentem dationem à Chriſto fieri eo ipſo quo dicit, Hoc eſt Corpus meum. Quod verò panem appellari iactas 1. Cor. 10. Panis quem frangimus &c. quis negat? ſed quod ſolum panem facis quomodo probabis? ſed de his in nouiſsimo meo

Locus 1. Cor: 10.

libello leges. Nam contra tuum τοῦτο fortis eſt idem locus, panem quem frangimus non eſt ſolum panis, ſed communicatio,

nicatio,ſeu participatio corporis CHRISTI. Et hæ ſunt Scripturæ quas flagitas,quibus corpus datum diſcipulis probamus,nec poſſunt à te ſubuerti quod ſcimus. Equidem admiror cur dicas, Fruſtra tibi obijci hæc verba, Hoc eſt corpus meum,nulla alia cauſa,niſi quod dicis: Hîc de dandi verbo controuerti.Deinde aliud ſignificare verbum dedit, & aliud verbum, Eſt, vt autem diuerſa ſignificant, ita diuerſa probant. Quid hic velis non intelligo, niſi quod contemni à te credo iſta verba,Hoc eſt corpus meum,& tamen nihil affers quam quod aliud ſignificent, dedit, aliud,eſt. Quaſi non & nos ſimiliter poſſimus tuum dedit contemnere & dicere, Aliud ſignificat corpus, aliud meum. Imò quodlibet vocabulum ſuum ſignificatum ſignificat, nunquid rectè hinc ſequitur, Orationem ex talibus conſtitutam eſſe falſam aut contemnendam?

De Translatitia ſignificatione, qua datum corpus & fractum pro nobis diſputas, permittimus vt dicas quantum voles. Nam & nos aſſerimus CHRISTVM in cruce datum pro nobis,quamuis fractum in cruce negemus.Nec tu id probabis nec probaſti hactenus.Sed eſſe in cœna Domini translaticiam dationem non eſt verum, quamuis verum ſit corporalem ibi dationem figurare ſpiritualem dationem, qua ſpiritus Sanctus nobis in cor donat CHRISTI carnem credere,ſicut idem dat in cœna corporaliter comedere eandem carnem. Nec duæ iſtæ dationes ſeſe mutuo impugnant aut vicißim excludunt, ſed pulchrè conueniunt, ſicut cum ſeſe

Refutatio translaticiæ ſignificationis.

dedit miniſtrum corporaliter diſcipulis lauando pedes & miniſtrando menſæ, non impedit quo minus ſpiritualiter ſeſe det credendum. Tu conſequentias facis peſsimas, ſcilicet, Eſt ſpiritualis datio, Ergo non eſt corporalis in cœna. Conſequentias inquam eiuſmodi probare deberes, qui tranſis ſemper & probas nobis antecedens, quod nos tamē concedimus, nec opus habet probatione. In ſumma petis vt Scripturam apertam proferā, quæ dicat CHRISTVM accepiſſe & dediſſe corpus ſuū, ſicut tu probaueris CHRISTVM accepiſſe & dediſſe panē. Benè ſi hoc vis vrgere & non vis credere, niſi iſtas ſyllabas & literas produxero, (CHRISTVS accepit corpus ſuū, & fregit & dedit diſcipulis ſuis) victor eſto & ſequere caput tuum, Ego tales ſyllabas non poſſum producere. Sed ſimul vide tamē, ſi talem poſſem textū producere, CHRISTVS accepit corpus ſuum & fregit & dedit diſcipulis ſuis, quid opus eſſet ipſum apellare & dicere, Hoc eſt corpus meū? An otioſum Battologū cupis fieri tantum, vt loquatur verbis à te ſibi præſcriptis? Nos ſcimus in his verbis, Accipite & comedite, ipſo geſtu ſignificari præſentem dationem, quod nemo negare poteſt, ita vt ſi quis Gloſſam ſuper illis verbis velit ponere, ſic ſcribere poſſet ſuper verbum (ACCIPITE) Ecce hîc fit datio quædam præſens. Habita autem datione iſta præſenti ſub verbo (ACCIPITE) cogit appellatio ſtatim ſequens ſine interuallo, ſine perſonæ mutatione, ſcilicet, hoc eſt corpus meū, qua appellat panem verè dari corpus CHRISTI. Nam contra omnē ſenſum eſt, aliud datum intelligi, quam id quod appellatur à dante eo facto & tempore, quo datur & apellatur ab ipſo,

Aperta Scriptura, in negotio cœnæ Dominicæ prolata a Luthero.

ipſo,vt etiam in primo libro contra te vernaculo declaraui. Ideo tuum præteritũ verbum(Dedit)prorſus corruit,& tollitur per verbum præſens ,Accipite,in quo non dedit, ſed dat neceſſario intelligitur.Et relinquitur dedit in ore Euangeliſtæ præterita narrãtis, & dat in ore præſentia narrantis, & Chriſtum præſenter dantem & eloquentẽ,panemq́; acceptũ corpus ſuũ appellantẽ audientis & videntis.Et quantum tu vrges verbũ dedit quod eſt Euangeliſtæ præterita narrantis, tantũ nos vrgimus verbũ Accipite,quod eſtChriſti pręſenter agẽtis.

Cum autem ex CHRISTO agente pendeat intelligentia cœnæ,manifeſtè patet vitioſa tua diſputatio,dum de actione CHRISTI inſtituiſti loqui,& ea omiſſa apprehendis narrationẽ Euangeliſtæ.Imò non narrationẽ ſed tẽpus narrantis,ſcilicet, quia Euangeliſta longè poſt cœnã narrat, cogitur propter elapſum tẽpus verbo præteriti vti, quod tu paralogiſta confundis in ipſam actionẽ Chriſti ante tẽpus præteritũ præſenter factũ. Nec cogitas ſi Euãgeliſta potuiſſet præſens præſentẽ actionẽ deſcribere,nõ fuiſſet dicturus Dedit,ſed ſic,IESVS accipit & dat,dicẽs Accipite,&c. Tu igitur vide tuum ſyllogiſmum, qui à tempore arguis ad opus, ac ſi dicas, Euangeliſta diu poſt ita ſcripſit, Ergo Chriſtus tunc ſic non fecit, quia ille in præterito ſcripſit, dedit igitur Chriſtus præſenter non dat. Mirum quomodo poſsint tam nihili cogitationes tibi occurrere, magis mirum te ſic illis inniti. Fuſius illa dixi, quia video te fidere & multa hîc iactare,quæ tamen ſolo verbo, Accipite, ſtatim confutaſſem , ſed volui latè loqui, ne putares te contemptum in tuo multiloquio.

Intelligentia Coenæ ex Chriſto agente pendet.

Argumentum a tempore ad opus.

Poſt hæc de perſona dantis diſputas, multis verbis agens CHRISTVM eſſe vnicum illum & inſignem illum qui corpus ſuum dat. Quaſi hoc vllus ignoret aut dubitet cum ſatis ſcias nos planè ſentire & docere, CHRISTVM ſolum ipſum eſſe Datorē ſui corporis in cœna. Neq; enim vllus noſtrum dicit in perſona ſua, Accipite hoc eſt corpus meum, imò nullus dicit, Accipite hoc eſt corpus CHRISTI, ſed CHRISTVS loquitur, & corpus meum dicit, mandans nobis ſic dicere. Quid eſt igitur, quod ita copioſê argumentaris, à nobis dari corpus CHRISTI, cum tibi potius probandum fuerat, CHRISTVM non dare corpus ſuum per nos tanquam per organa ſua. Nonne & Baptiſmum ſuum dat ipſe ſolus & vnicus, ſed per nos? Nonne remittit peccata ſolus ipſe & vnicus, ſed per nos? Nonne ſolus docet Euangelium & predicat & exhortatur (vt ait Paulus) ſed per nos? Nonne ſolus ipſe dat cibum potum & veſtem, vxorem, domum & omnia, ſed tamen per alios tanquam inſtrumenta? Quare non opus erat docere, CHRISTVM ſolum eſſe, qui dat corpus ſuum, hoc enim nemo negat. Sed iſtam conſequentiā debebas probare, quam præſupponis & non probas, ſcilicet, Quod per homines non poſsit dare corpus ſuum, cum omnia alia det per homines, Ipſum filium dederit per virginē Mariam, & ipſam diuinitatem dederit per humanitatem. Verum tua argumenta ſunt quæſita potius reſiſtendi ſtudio, quam oblata aut mouentia affectum diſcendi. Eadem ratione negares Spiritū ſanctum eſſe datum per Apoſtolos, imò nec CHRISTVM quidem

An per homines Chriſtus det corpus ſuum?

ſufflatu

ſufflatu ſuo corporali Spiritum ſanctum dediſſe dicetur, cum ipſe ſolus DEVS ſpiritum dare poſsit, ſi iſtis argumentis præſciuiſſem te moueri, non fuiſſem tecum pactus de hac re diſputare. Quid enim obſtat quo minus vſq; ad finem mundi, omnibus horis talium argumentorum multa plauſtra producas, quæ ſcias nihil ad rem facere, & tempus & opus melius interim impedire? Sperauerã argumenta audire, quæ te mouerent, nunc mihi ſatis aliâs occupato audire datur quã varia & impertinentia tu fingere poſsis aut cogitare, quaſi hoc nemo alius poſsit quam tu ſolus. Quare te iterum oro, vt deinceps ſi argumentari voles mihi parcas, & hac moleſtia leues, ne me doceas quæ me noſſe & cõcedere noſti: Hoc eſt, ne aſſumpta proponas tantum, ſed ſubſumpta & conſequentias diſcutias & probes, Aſſumpta tua ferè omnia concedo, ſed Subſumpta & conſequentias nego. His probandis velim te inſudare, ſed perpetuò his neglectis inſudas in probandis aſſumptis, quæ nemo negat, vt hîc, CHRISTVS ſolus dat ſuum corpus, Ergo nos non damus, probari debet conſequentia. Nam aſſumptum cõceditur, CHRISTVM eſſe ſolum datorem ſui corporis, ſed cõſequens, nos non dare, hoc probari debet. Nam etiamſi nos non damus, tamẽ quia CHRISTVS per nos dat, rectè & nos dare dicimur tanquam miniſtri. Sicut Eleemoſynã quam dat Herus, rectè & ſeruus dare dicitur Heri ſui iuſſu & mandato. Cum & Paulus Euangelium ſuum dicat, cum tamen ſit DEI. Et CHRISTVS doctrinam ſuam non ſuam dicat, atq; maiora facturum pro-

Ihenæ inter Lutherum & Carlſtadium deſcriptione & diſputatione factum fuerat. Anno 1524. hoc colloquium in 2. Germ. Tomo Ihe. inuenitur, folio 462. a. b.

Effugia & latebræ Carlſtadii.

mittit eum, qui credit, quam ipſe fecerit, cum tamen ipſe faciat in nobis omnia. Hæc inquam diluere & conſequentias tuas contra talia ſtabilire oportuit. Cogor hîc ſiſtere calamum, nam cum iſta interruptis vicibus ſcribere vix potuerim, tum alijs occupationibus impeditus, tum quod tertio Torgam vocatus, & in aulam profectus ſum, & iam quarto vocatus ſum, volo interim iſta legi à te & videre inſtitutam reſponſionem, plura vbi rediero, & quam primum potero reſponſurus. Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Deridet Aſtrologorum iudicium & nugas de ſua Geneſi, Articulum Veſaliæ de regno Dei petito in oratione Dominica quomodo accipiat, exponit.

GRatia & pax. Rectè ſentis me occupatum eſſe, tamen mitto ac remitto omnia ſicut voluiſti. Geneſin iſtam meam iam ante videram ex Italia huc miſſam, ſed cum ſic ſint hoc anno hallucinati Aſtrologi, nihil mirum ſi ſit qui & hoc nugari auſus ſit. Articulum Veſaliæ de regno DEI petito in dominica oratione, aliorſum non puto dictum, quam vt vulgarem opinionem retraheret, qua per regnum DEI, ſolam futuram gloriam intelligant, vt nihil de pręſenti inchoato regno Chriſti curent, quod tamen Scripturæ maximè vrgent. Quanquam ſit idem regnum hîc & in futuro, hîc per fidem inchoatum, in futuro conſumendū per gloriam. Vale & ora pro me, Vuitembergæ, Anno M. D. XXIIII. feria 4. poſt palmarum.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Poenam quam ſtatuit Furibus Deus in Moſe approbat, & a nobis ſeruari eam legem optat, in cauſa matrimonii, animæ primum, ſi periculum eius ſit metuendum, poſtea vero & amicorum vtilitatis, quantum fieri poſsit rationem habendam eſſe ſentit.

GRatia & pax in Domino. Pœnam Furibus nemo ſtatuit æquius, quam is qui creauit omnia DEVS, qui populo ſuo inter cæteras leges ciuiles hanc ſanxit quoq;. Exod. 22. Vt duplum, quadruplum, quintuplum reddetur â fure pro qualitate furti, moreretur autem ſi hominem eſſet furatus, quod ſi non haberet ipſe venderetur. Quam legem & Salomon in Prouerbijs probat vbi dicit, furem poſſe ſubſtantia vendita ſeſe redimere, adulterum verò animam perdere, vtinam hæc lex reciperetur. De amici tui matrimonio ſic ſentio, Anima plus eſt quam corpus, & ſpiritus maior quam venter, cum ergo hic anima eius periclitetur, illic verò ſolum venter amicorum, vides quid ei ſit præeligendum. Nempe vt maturet vxorem accipere, & primum animæ ſuæ conſulere, poſtea ei ſuperſit vnde & illorum ventri & neceſsitati ſuccurrat, faciat, ſin minus DEO illos commendet, & animam ſuam lucrifaciat, & non tentet hîc Dominum. Staupitio nondum reſpondi, audio verò ingentes minas Nurmbergæ parturiri. Vale & ora pro me Vuitembergæ 2. Maij, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

NICOLAO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, NICOLAO HAVSMANNO.

Emſerum pertinaciter contra conſcientiam peccantem ac Chriſtum bla ſphemantem, anathemate dignum, meritoq; pro Excommunicato qui breui Deo atroces pœnas ſit daturus, habendum pronuntiat.

GRatia & pax in Domino. Emſero nihil eſt reſpondendum, optime Nicolae, quia is eſt, de quo Paulus dicit, ſub uerſus eſt & ſuo iudicio damnatus & vitandus, peccat enim peccatum ad mortem. ADHVC MODICVM ET ORABO CONTRA EVM, VT REDDAT EI DOMINVS SECVNDVM OPERA SVA, melius eſt enim vt moriatur, quam vt ſic pergat contra conſcientiam ſuam CHRISTVM blaſphemare, ſine ergo eum, velociter nimis ſatis compeſcetur miſer iſte. Sed & tu deſine pro eo orare. Vale in Domino, & ora pro me, die proxima poſt Marci, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Diligentiſsime commendat Ioannem Apellum, vt interceſsione Spalatini apud Principem Vuitembergæ præficiatur Lecturæ defuncti Doctoris Schuuertfegeri, vxoratus etiam. Bremenſes, Duces Mekelburgenſes & ducem Heinricum Brunſuicenſem incipere amplecti Euangelium, ac vocare Doctores Euagelicos, Item diſputationem Ioannis Heſsi Vratislauiæ, reluctantibus multis Regum Legatis & Epiſcopis, foeliciter proceſsiſſe nuntiat.

GRatia & pax. Doctor Schuuertfeger optimus vir heri placida morte defunctus eſt, & dormit in Domino, mi Spalatine. Nunc ſcis hic eſſe Ioannē Apellum aliâs Principi cōmendatum, qui ſuffici poſsit ad Lectionē illius & optat. Quid

Quid autem opus ſit eum tibi commendari, qui noris hominem non ſolum idoneum pro ea lectura, ſed & pium & Chriſtianum? Vt taceam quam ſit hactenus re familiari & nominis iniuria iactatus, degitq; in ſumma penè penuria, vrgeturq; egeſtate domeſtica. Quamobrem vides, quam piè collocaturus ſis operam tuam, ſi illum Principi commendaueris & autor fueris vt refricetur eius commendatio, & ſpes data bona antea. Quod ſi vxorcula obſtat, quo minus palam adſciſci poſsit, poterit alieno nomine profiteri, ſtipendio clam tributo. Quanquam quid proſit, vt vos perpetuo diſsimuletis, cum nihilo minus inaccuſatos vos illi non dimittant, & iure poſsint, quod hæreticos foueatis & alatis. Bremenſes proficiunt in verbo, vt iam vocarint noſtrum Iacobum Iperenſem pro Euangeliſta in alteram Eccleſiam, duces Mekelburgenſes ambo, alter per Hanſen Loſer, alter per Priorem Sternbergenſem petunt Euangeliſtas. Dux Heinricus Brunſuicenſis teſte Cordo Rucio incipit Euangelion amplecti, vocato quodam noſtri ordinis ex Helmſted in Concionatorem, quem poſtquam Senatus Brunſuicenſis recuſaſſet, ipſe conſtituit in domo ſua Brunſuigi, vt predicet. Nam Vuilhelmum fratrem ipſe captiuum quidem ſed Chriſtianiſsimum predicat. Vratislauiæ diſputatio Ioannis Heſsi proceſsit fœliciter, fruſtra reſiſtẽtibus tot Legatis Regũ & technis Epiſcopi, hæc ſunt noua. Benè vale in Domino, & Apelli ne obliuiſcaris 11. Maij, Anno M.D.XXIIII.

Bremenſes profitentur Euangeliũ.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, OMNIBVS CHRISTIANIS ET FRAtribus in Chriſto, qui ſunt Rigæ in Liuonia.

Hortatu quorundam piorum hominum, Lutherus ſcripſit hanc Epiſtolam ad incolas vrbis Rigæ, ac in ea Epiſtola enarrat Pſalmum 127. vt a ſtudio Auaritiæ & ſolicitudine acquirendarum rerum temporalium ipſos auellat, & ad earundem parandarum & tuendarum chriſtianam rationem ita pertrahat.

GRatiam & pacem à Deo Patre noſtro & Domino Iheſu Chriſto. Iam pridem pleriq; poſtulauerunt aſsiduis fermè precibus me fatigantes, amici chariſsimi, ne committerem, quin aliquid quod ad Chriſtianam rem promouendam conduceret, ad vos perſcriberem. Quorum precibus quanquam libenter fuiſſem obſequutus pro meo in vos amore & ſtudio, noſtræ tamen hactenus cum voluntati tum conatui omnis generis obſtaculo fuerunt negotia, ad hoc quod etiam iuſtam ſcribendi occaſionem mihi deeſſe videbam. Præſertim verò cum tam munificè Deus omnipotens inæſtimabili verbo ſuo vos donauerit, adeò vt vobis ipſis alteris alteros mutua conſolatione confirmare & erigere, docere & monere integrum ſit, illudq; fortaſſe rectius poſsitis quam nos. Quia tamen hoc iam crebrius à me deſideratum eſt, ne viderer vnquam amicorum poſtulatis refragari, viſum eſt mihi tantum temporis cæteris negotijs ſuffurato, vtriuſq; ſpiritum & meum & veſtrum cœleſti quopiam & ſpirituali carmine expergefactum demulcere velle. Cuius rei gratia. 127. Pſalmum breuibus quibuſdam ſcholijs enar-

Poſtulationes Liuonienſium.

rar-

randum ſuſcepi. Et hunc quidem eam ob rem potiſsimum, quod videbam hunc Pſalmum hominum animos ab auaritiæ ſtudio, atq; à diurni victus conquirendi ſolicitudine, ad fiduciam Dei pulchrè pertrahere, Compendio quodam docentem Chriſtianam rerum temporalium parandarum & tuendarum rationem. Periculum enim eſt, ne melior Euangelij hoc tempore denuo ſuborti futura ſit conditio apud homines, quam quæ illis fuit temporibus Chriſti & Apoſtolorum, atq; adeo quam à conditi ſeculi initio habuit. Cum ne dum Euangeliſtæ, verum etiam omnes Prophetæ hoc vno ore conqueſti ſunt, nimirum, quod habendi cupido & perperam ſuſcepta pro rebus temporaneis acquirendis ſolicitudo Euangelij incrementum magnopere eſſet remoratura. Vnà enim pretioſum & nobile Dei verbum inter ſeminandum in ſpinas cadit, à quarum denſitate ſuffocatum ἄκαρπον redditur, veluti illud cotidianis experimentis nec illis obſcuris obſeruamus. Sed & Paulus ipſe nihil perinde crebris quærimoniarum lachrymis deflet, quam quod nemo non quæ ſua ſunt quærat, ijs quæ Chriſti ſunt neglectis & poſthabitis.

Enarratio Pſalmi. 127

Summa iſtius Pſalmi:

Solicitudo acquirendarum diuitiarum, remoratur Euangelium

Multũ nunc & concionando & ſcribendo monui, ex vſu fore publico, ſi bonis Scholis oppidatim inſtitutis cũ maſculi tã puellæ liberaliter educati optimis diſciplinis imbuerentur, è quibus boni Paſtores & Predicatores facti, horũ opera Euãgelicæ functionis adminiſtratio exerceretur ſtrenuè. Qua in re ſic vtili, ſic neceſſaria ſano cõtempto cõſilio immane quãtũ omnes homines maximã in partẽ ceſſatores eſſe video, tã frigidè & ſupinè ad hoc affectos, perinde ſi nemo non velit

Lutheri adhortatio ad conſtituendas ſcholas.

deſpondere animum, & omnibus propter annonæ caritatem fame ſit contabeſcendum. Adeo, vt putem breui nobiſcum ventum iri, vt ſubmotis Præceptoribus & Predicatoribus, iiſdem ſit operandum manibus, aut alia ineunda via, qua famem à ſe propulſare queant, relicto verbi officio. Quemadmodum olim Leuitis terra aratro proſcindenda fuit, & Dei cultus deſerendus, vt ex Nehemia clarè colligitur. Cui autem hoc non videatur miſerandum & ærumnoſum? Vnum quodq; Oppidum, quod quingentos aut quadringentos ciues muro cingit, potuit hactenus impijs tantum monachis ſexingentos aureos, aut amplius annua ferè penſione tribuere, præterquam quod Epiſcopi, Officiales, & omnes Prædones cæteri ab ipſis falſò & mendaciter emungentes, deprædati ſunt. Quin etiam inſuper eiuſmodi Ciuitates fortaſſe pro Galeris ſubinde nouis coëmendis plus quingentis aut ſexingentis ſingulis annis profuderunt aureis, vt interim ſilentio prætercam, quanto pretio Condimenta aromatica, Sericum, Aurum, Purpuram, & quicquid eiuſmodi eſt rerum inutilium redimant. Præterea quantum cereueſiæ, quantum vini aſsiduis compotationibus diu noctuq; abſumitur? adeo, vt ſi horum quæ præter neceſsitatem fiunt ſumptuum rectè rationem ſubduxeris, certò comperies, vno quoq; anno plus mille aureis non ſecus dilapidare ac perdere, quam ſi in fluuium aliquem aut lutum abijciant. Talis tam perdita Rerũ publicarum adminiſtratio iam totam penè occupauit Germaniam, breui funditus exhauriendam.

Paupertas Concionatorum.

Liberalitas hominum in Papatu erga ſacrificulos.

dam. Porrò ſi centum ijsdem tantum aurei pro Scholis publici commodi gratia erigendis, & Concionatore probato nutriendo forent pendendi, ibi dum mox omnia præſentem intentant inopiam. Hîc mendicorum nobis formidanda eſt conditio, hîc nihil eſt quod dari poſsit. Hîc breuiter occupata arce regnat auaritia, obſtat victus diurni anguſtia & tenuitas, & imminentis famis periculum.

Quid ad hæc porrò dicturus eſt Deus? Hoc proculdubio: Quod timuit impius, hoc occupabit eum. Famem prætimeſcimus, fame quoq; laborabimus, cuius mali medendi, nullum dabitur remedium, & cum citra neceſsitatem tanquam Gentiles impij & increduli cura diſtorqueamur ſoliciti, ne nobis fame ſit periclitandum, verbum & opus Dei negligentibus ſuboriri tempus permittet breui, quod tota curarum plauſtra adducturum eſt ſecum, quas nulla nobis deponendi dabitur facultas aut occaſio. Suborta verò iam annonæ caritate, dum demum incredulitatis pœnas dabimus, quas omnibus modis noſtra impietate diuina ira prouocata meruimus. Ante enim Seductoribus impijs ſacerdotibus & Monachis noſtras vxores, filias, ſorores turpiter vitiantibus, & nos illata vi temere opprimentibus, ita, vt ſub diabolo, vix ſeruato tenui ſpiritu, anhelaremus: Adhæc peſtiferis doctrinis animas noſtras occidentibus, & ad inferos demergentibus nedum abunde ſatis præſtitimus, ſed etiam ijſdem agros & populos, vrbes & arces poſsidendas conceſsimus, factis potentioribus quam nos ipſi fueramus.

Prophetia Lutheri, propter auaritiā Germanorum.

Libidines ſacrificulorum.

Erroneæ doctrinæ in Papatu.

Nunc verò poſtquam diuina munificentia bonorum & doctorum hominum nobis obfuſa eſt copia, dicto & facto diſciplinam & caſtitatem promouentium, & perſuaſi connubij beneficio ſcortationis malum minus facientium, prætere a omni deligentia & ſtudio corporis & animæ noſtræ ſalutem quærentium recta ad cœlum monſtrata via, hos negligenter poſthabitos nullius pretij æſtimamus. Et quos ab extremis Indis aut Britannis omnibus ſolutis impenſis debebamus aduehere, ijs eum deferimus honorem, quem Commeſſator ille Euangelicus diues egenti habuit Lazaro. Nec opis eſſe noſtræ clamitamus nunc vel tres Predicatores maritos pietate vitæ & eruditione ſpectatos, alere, quorum loco prius omni luxu & rerum abundantia maximum turpiſſimorum ſcortatorum gregem fouebamus. Quantum verò hic peruerſus mos Deo ſit placiturus, propèdiem experiemur. Nullius obduratis auribus aut monitionem aut conſilium admittimus, propterea & ipſe ſemel occluſis & obſeratis auribus noſtras preces reſpuet. Sunt adhuc in terris nonnulli, ijs è vita ſublatis, rem ipſam tantopere prædictam & nunquam creditam videbimus.

Contemptus verorum Doctorum.

Nec video huic noſtræ pertinaciæ & negligentiæ curandæ melius poſſe dari remedium, quam quod de integro peior (ſi fieri poſsit) erigatur Papatus, cuius inexplebili voragine ad viuum vſq; exugamur, longè crudelius quā priori barathro abſorpti ſumus, ſicut haud dubiè fieri neceſſe eſt, diei extremi aduentu non intercedente. Cupimus enim ſeduci, falli

Poena negligentiæ & pertinatiæ.

falli & expilari planiſsimè, veluti Sapientia prouerbiorum primo conqueritur : Vocaui, inquit, & renuiſtis , extendi manum meam,& non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & omnes increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit, Tunc inuocabunt me, ſuisq; conſilijs ſaturabuntur.

Cantilena Lutheri cõtra Auaritiam.

Quamobrem ſtatui adhuc vnam cantilenam auaritiæ ſtudioſis occinere, ſi quo modo fieri poſsit, vt excitarentur aliquot, quorum beneficio & opera iam iam venturam Dei omnipotentis iram diutius propellere queamus. Hanc verò cantilenam oportet eſſe hunc Pſalmum cuius ἐπιγραφὴ eſt, Canticum in alto Salomonis. Quamobrem verò is & pleriq; alij Pſalmi hoc titulo inſcripti ſunt, ſcire non poſſum, ſunt qui putant ideo ſic inſcriptos, quod Sacerdotes & Leuitiæ eos Pſalmos cantauerint inter aſcendendum in Templum ſuper gradus,atq; inde dictos eſſe quoq; Cantica graduum. Hanc tamen opinionem falſam eſſe ex hoc liquet,quod nullo Scripturarum teſtimonio queat vt veriſimilis comprobari. Quantum tamen coniectura poſſum conſequi, eius generis Pſalmos alta voce cantari ſolitos arbitror, qualis eſt puerorum aut mulierum ad virorum vocem collata. Atq; idem eſſe quod pleriq; Pſalmi apud Hebræos LAMNA ZEHA inſcribuntur &c. Veruntamen quoniam hic mos canentium Leuitarum exoleuit, incertum eſt quid veriſimilius hac de re ſtatui poſsit aut dici, quam rem tamen parui momenti eſſe duco, Pſalmo ſaltem rectè intellecto.

Titulus huius Pſalmi. 127.

Salo-

Antor huius Pſalmi.

Solomon verò huius Pſalmi author fuit, nedum illuſtratus Spiritu, ſed qui in cotidiana imperij gubernatione verſatus, huius rei facto ſubinde periculo didicerit, quam nequicquam impia crudelitas rerum parandarum curis & ſolicitudine detenta diſtringatur, cuius rei prora, quod aiunt, & puppis in Dei benedictione & cuſtodia ſita ſit. Vbi enim ille alicuius laborem ſua benedictione adiecta non ſecundat, ibi omnis luditur opera fruſtra ſuſcepto conatu. Et vbi ille non tuetur, hîc omnes curæ & excubiæ vanæ ſunt.

Pſalmus ſic habet.

I. Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra laborat quiſquis eam ædificat.

II. Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat quisquis eam cuſtodit.

III. Fruſtra eſt mane ſurgere priuſquam illuxerit, & ſero cubitum ire, & cum magna moleſtia panem edere, ſic dabit Dilectis ſuis ſomno.

IIII. Ecce filij hæreditas à Domino ſunt, & proles munus illius.

V. Velut ſagittæ in manu valida ſunt, ita ſunt & hi iuuenes.

VI. Fœlix eſt qui pharetram ſuam talibus impleuit, non confundetur quoties in porta res erit cum hoſtibus.

Domum ædificare quid ſit.

Primò non eſt ignorandum, Domum ædificare hîc non eſſe lapidibus & lignorum compagine domum extruere, vt coniunctis parietibus & conſtructo tecto Hypocauſta habeamus & cubicula, ſed multo magis quæ in domum cotidiano vſui neceſſaria attinent, qualiter vernacula lingua dicimus,

dicimus, diſpenſare rem domeſticam, veluti Ariſtoteles ſcripſit περί τῆσ οἰκονομίασ, de diſpenſatione domeſtica, ſeu curanda re familiari, ad quam vxor, liberi, ſerui, ancillæ, armenta requiruntur & pabula. Veluti quoq; Exodi. 1. Moſes ſcribit Deum duabus Obſtetricibus benè feciſſe & eiſdem domos ædificaſſe, propterea quod timuerint eum, & non occiderint, iuxta Pharaonis edictum, Hebreorum maſculos: Hoc eſt, auxiliebatur eis in acquirendis maritis, filijs & filiabus, & omnibus ad eoſdem educandos & alendos attinentibus. Salomon enim Matrimonium chriſtianum deſcribere & omnes homines erudire ſtatuit, qua via & ratione aliquis Chriſtianus maritus & Paterfamilias eſſe poſsit.

Ratio & Mundus opinatur, rei domeſticæ diſpenſationem iuxta ſuum inſtitutum debere ſuccedere, quam obrem cupiunt eidem multis laboribus & voluntate propria conſulere, ac ſi ea res in noſtra manu aut labore ſita ſit, aut effecta reddi queat. Quod quidem Salomon pernegat, & nos ſurſum ad Deum pertractos ea omnia recta fide à Deo petenda & expectanda eſſe docet: Quæ quidem & cotidianis experimentis obſeruata videmus. Non rarò contracto Matrimonio iunguntur duo, quibus initio vix Interula eſt reliqua qua pudenda contegant, quorum diuitiæ citò in immenſum excreſcunt. Ediuerſo duos reperias à quibus vtrinq; opes extructiſsimæ cõportatæ ſunt, opimis acceptis dotibus, quæ tamen ſenſim dilabuntur, ita, vt vix famem effugere liceat. Sunt quos amor coniunxit, & res ex voto ſucceſsit vtriſq;,

Rationis humanæ iudicium de diſpenſatione œconomiæ.

Ludus Dei in Oeconomia.

quanquam poſt hac nullum diem voluptuoſum ſimul exigant. Nec deſunt, quos anxia liberorum acquirendorum cura ſolicitos excruciat, quibus tamen orbis è vita emigrandum eſt. Nonnulli minus hac de re ſoliciti, omnes angulos liberorum plenos acquirunt. Alius ſecurè compoſita vita rem domeſticam diſpenſare quærit, & verſis vicibus præter ſpem in diuerſum cedunt omnia. Ita in omnibus alijs mirabilis ludus eſt. Quis verò eius in matrimonio & re domeſtica procuranda tumultus & tragœdiæ χορά̀γος & autor eſt, ſuo arbitrio rem temperans? Is nempe de quo hîc agit Salomon. Vbi Dominus domus curam non habuerit, hic omnem curam ſumi temere. Hæc verba vera perhiberi vult & cupit, non ob aliud, quam quod incredulitatem flagellet, & præſumptionem rationis cum omni ſapientia & labore pudefaciat, & nos ad ſibi fidendnm perducat. Hic itaq; verſiculus adeo ſolus ſatis vehemens eſſe debebat, vt lentis & cunctabundis ad contrahendum matrimonium calcar adderet, & omnibus iam matrimonij iugo ſubiectis conſolationem præſtaret profligata auatitia. Hoc enim homines adoleſcentulos perterrere ſolet à connubio, videntes mirabilem adeo matrimonij ſcenam per vniuerſum mundum, & dicunt multa in domum pertinere, & multis ad alendam familiam opus eſſe. Item, ducta vxorcula, accepto malo peritum fieri. Hoc inde fit, quod non videant harum rerum autorem, & quamobrem hæc ita fieri permittat, non intelligunt. Et quia humanæ rationis oculi hîc nihil aut parum in numerato vident, ex ſe verò nihil auxilij ſibi pollicentes, matrimonij ca-

Flagella incredulitatis.

Coniugatorum conſolatio.

piſtrum

piſtrum recuſant pertinaciter. Et hoc eſt, quod in luxuriam incidimus, matrimonium detrectantes, aut auaritiæ contagium contrahentes. Hîc verò parata ſtat conſolatio, ſine, vt Dominus domum ædificet, & rem familiarem diſpenſet, ne tu tibi eius opus obeundum vendices, ſui eſt animo eſſe ſolicito, non tui, Patriſamiliâs curarum onus incumbit, non domeſticis. Quod ſi multa in domum deſyderanda veniunt, ſanè Deus domo maior eſt. Qui enim cœlum & terram implet, haud dubiè & vnius domus angulos implere poterit, præſertim verò cum has ſui officij partes eſſe per totum orbem de ſe magna voce predicare & canere permittat. Quid nunc mirum eſt, ſi multa deſyderantur in ædibus, vbi Deus non eſt Paterfamiliâs? Donec eundem non conſpexeris, cuius beneficio domus implenda eſt, non poſſunt non inanes eſſe omnes anguli. Hoc verò animi oculis conſpecto, nunquam ſenties quicquam eſſe vacuum. Arbitraris omnia eſſe plena, quaqua verſum circuntuleris oculos, & reuera plena ſunt omnia. Si verò plena non ſunt, tuorum oculorum vitio hoc fieri ne dubites, perinde vt cæci ſolem aſpicere non potentis. Rectè verò videnti, Deus hoc verbum inuertit, non dicenti, multis opus eſſe in domo, ſed multa exeunt è domo. Ita videmus rem domeſticã fide diſpenſandam eſſe, volentes nihil deeſſe, vt cognoſcamus in noſtris viribus aut opera ſitũ eſſe nihil, ſed in Dei omnipotentis benedictione & auxilio. Hæc tamen ita intelligenda ſunt, ne putemus propterea nobis cõpreſsis manibus otiandũ eſſe. Laborandũ eſt ſanè, victus verò copia & domus plenitudo nullo

Conſolatio eorum, qui matrimonium contrahent.

Res domeſtica fide adminiſtranda eſt.

Abundātia victus labori non aſſcribenda eſt.

modo labori, ſed bonitati & benedictioni diuinæ adſcribenda eſt, vbi enim hæc labori tribuitur, quantocyus auaritia & ſolicitudo inuadit hominem, reputantem rem domeſticam multo labore promouendam eſſe. Hîc mox diuerſum ſentitur, ita, vt bona pars hominum immenſis laboribus ſemet excruciat, è quibus tamen vix atri panis ſiccam bucellam lucrari poteſt. Alijs negligentius & oſcitantius agentibus diuitiæ adfluunt. Hæc omnia hinc proueniunt, vt Deo, tanquam omnium bonorum Autori omnis tribulatur gloria. Nam quanquam perpetuis centum annis aratro terræ moleſtus ſis, omnium hominum exhauſtis laboribus: Tamen ne ſic quidem, vel vnicum culmum aut ſtipulam quibis producere, ſed Deus ipſe citra tuum laborem, & te dormiente culmum & ſpicam producit, multa grana aut pauca, ſicut illi viſum fuerit, proferentem. Propterea Salomon laboris ſedulitatem hîc approbare, Auaritiæ tamen ſtudium & ſolicitudinis moleſtiam reprobare nititur. Non enim dicit, Dominus ædificat domum, nemine ſcilicet laborante ſed ita, Niſi Dominus ædificauerit domum, nequicquam labore defatigari ædificantes eam. Perinde ac ſi diceret, labore quidem opus eſt, ſed huius conatum fruſtra ſumi, ſi ſolus erit. Haud enim laboris ſedulitas, ſed Dei benedictio rem ſecundat & omnia perficit. Proinde ita labora, ne fruſtra & nullo tuo commodo laborando inanes culmos excutias. Tandem verò fruſtra laborabis, quando ſolicitudine plenus, plus ſpei & fiduciæ in laborem tuum poſueris, quo certò putas te alen-

Fertilitas agrorum ex Dei benedictione prouenit.

Labor approbatur ſed auaritia improbatur.

Benedictio Dei.

alendum eſſe, quam in Dei benedictionem. Tuum eſt laborare manibus, Dei verò te laborantem alere, & rei familiaris curam habere. Proinde tanto diſcrimine hæc duo tibi ſe iungenda eſſe intelligis, laborare, & domum ædificare, quanto interuallo cœlum à terra ſeparatum eſt, & quantum Dei omnipotẽtia humana imbecillitate maior eſt & præſtantior.

Quamobrem ſæpe legitur in Sententijs Salomonis, Inertes & homines pigros grauiter affligi, propterea quod laborem ſubterfugiant, dies feſtos agentes, dicitq́;, Manus pigræ laborant inopia, manus verò impigræ congerunt diuitias. Hæc & eius generis verba perinde ſonant, ac ſi rerum fœlix prouentus in labore ſitus ſit, vt alamur, tametſi ibidem (quod etiam in hoc Pſalmo facit) affluentem rerum copiam benedictioni diuinæ acceptam referendam eſſe contendat. Et quemadmodum Germani dicunt, Gott beſcheret/ Gott beret/ vt hic ſit ſenſus: Deus præcepit Adamo panem in ſudore vultus ſui edendum eſſe, volens vt laboret. Nihil autem eidem ἀπονητήωσ καὶ ἀνυδρότως præſtari ſtatuit. E diuerſo nihil quoq́; propter laborem illi vult largiri, ſed tantum propter bonitatem & benedictionem ſuam, Ita, vt labor nihil aliud ſit, quam aſsidua exercitatio, qua carnis in hac vita domatur petulantia, & refrenetur libido. Adamum itaq́; hac in re obtemperantem omnibus rebus affluentem facit. Deus enim alia ratione nulla alit hominem, quam omnia reliqua Animantium genera, iuxta Pſalmi teſtimoniũ, Ipſe paſcit omnem carnem, etiam Coruorum pullos ſe inuocantes. Præ-

Salomonis adhortationes ad laborem.

Laboris vtilitas.

tes: Præterea Pſalm 103. Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illis in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, hoc eſt, plenitudine & ſaturitate. Nunc verò nullum animal victus parandi gratia laborat, ſed vnicuiq; opus ſuum deſtinatum eſt, cuius ductu quæſitum cibum adinuenit. Auiculæ volant, cantillant, nidificant, pullos educant, & hic illarum eſt labor, ſed de quo non viuunt aut aluntur. Boues iugo alligati, trahunt aratrum. Equi ſeſſoris tyrannidem perferunt & belligerantur, ſed inde victum ſibi non conquirunt, terra verò benedictione diuina graminis ferax eſt, cuius eſu aut pabulo victitant, ſicut Chriſtus ipſe Matth. 6. iubet nos reſpicere volatilia cœli, non ſeminantia nec metentia, ſed nec in horreum quicquam congerentia, & tamen à patre cœleſti alenda, hoc eſt, faciunt quidem ſuos labores, nec tamen illos, vnde viuerent aut alerentur. Ita hominibus quoq; laborandum eſt & aliquid operandum, non tamen ignorare oportet aliud eſſe, cuius bonitate cotidie ſint nutriendi, nempe diuinam benedictionem. Quanquam ita in ſpeciem appareat ac ſi omnibus ſuo labore ſit victitandum, dum otium agenti & pigro nihil præſtare vult Deus, veluti auiculis, tametſi non ſeminent aut metant, nihilominus fame pereundum eſſet, niſi in pabulum profectæ cibum quærerent. Quod verò cibum inueniunt, hoc ſui laboris non eſt, ſed diuinæ benignitatis munificentia. Quis enim eò cibum poſuit inueniendũ? procul dubiè ipſe Deus, quemadmodum Geneſis primo memoriæ proditum eſt. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem

Animalium & Auicularum labor.

Victus auicularum ex Dei benignitate.

rentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa lingna habentia in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam,& cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, &in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. In ſumma,tametſi hæc Scriptura non doceret cotidianis tamen experimentis hoc verum eſſe perdiſcimus. Quo enim Deus nihil poſuit, hic nihil quoq; reperitur, vel vniuerſo mundo ad mortem vſq; quærente & laborante. Hæc oculis videmus & manibus palpamus, adhuc tamen eius rei etiam perſuaſiſsima nos ambigua tenet hæſitatio. Rurſus quoq; cuius ille diuitias iã magno ſudore partas non tuetur,huius nõ poſsunt non dilapidari,vel ſexcentis ſeris opes munitæ & obſeratæ, diſsipantur & euaneſcũt in morem pulueris à vento diſiecti, vt ignoretur quo peruenerint.

Experientia noſtra de ratione victus noſtri.

Dic verò quis aurum & argentum in montes condidit inueniendum? Quis autem in agros tantum boni annuatim excreſcendum ponit frumenti, vini & omnis generis fructuum, vnde omnia viuunt animantia? Num hoc humanus labor facit? Nequaquam laborando quidem hæc inueniuntur, à Deo verò iſtic ante ponenda ſunt, & deinceps â nobis eruenda & inuenienda. Quis eam vim indidit carni, qua ſingulis tot auiculis, piſcibus & animantibus totus repletur orbis, facit ne hoc quoq; noſter labor? non opinor. DEVS enim longè prius præſto eſt ſuam inſpirans benedictionem, vnde tandem magna copia cuncta proueniunt. Hinc clarè conſpicimus omnium noſtrum conatum & laborem nihil aliud eſſe,quam DEI omnipotentis bonorum colle-

Deus dat metallum & frumentum.

Labor humanus eſt inueutio bonorm Dei.

collectionem & inuentionem, non autem acquiſitionem aut cuſtodiam. Ex his videmus liquidò Salomonem in hoc verſiculo compendioſè perſtrinxiſſe & docuiſſe quæſtionem longè maximam, multo etiam tempore inter homines iactatam, de qua tot libri conditi, totq; viæ & rationes repertæ ſunt, quo nam miſerum ventrem exaturemus. Id quod Salomon in vniuerſum reprobat. hoc totum fide complectens & inquiens, fruſtra ludis operam, ſi hoc animo laboraueris, vt temetipſum alas & domum ædifices, benè multis quidem te inuolues curis & laboribus, verum tali præſumptione & temeraria incredulitate periculum eſt, ne Dei exaſperati iram in te concites, & tibi non niſi egentiori reddito funditus demum ſit pereundum, dum illud facere in animum induxiſti tuum, quod illius fuerat. Et quanquam fieri poſsit, vt hac impietate rem faceres, diues ſupra modum factus, hoc tamen poſtremum in perditionis cumulum proculdubio ceſſurum eſt, cum Deus te ſinat in ea opinione excæcari, & deinceps in eadem incredulitate perire. Statuiſti verò benè te & ſecurè rebus paratis nutrire velle, & rem domeſticam Chriſtianè diſpenſare, arrige aures. Dilige certi laboris negotium, quo temet exercens panem in ſudore vultus tui manduces. Poſtea animo ſecuro, & otioſo eſto, nihil ſolicitè cogitans, quomodo alendus ſis, & qua ratione talis labor domum tuam ſit ædificaturus, hæc omnia Deo curanda relinquito, vt ipſe ædificet Domum, & te alat ſua bonitate, fretus ipſius promiſsionibus certam fidem habeto

Quæſtio de exaturãdo ventre in hoc Pſalmo.

Chriſtianorum victus & alimonia.

habeto plena manu & copioſè proponet, quod tuo labore inueniendum & inueſtigandum eſt. Vbi enim nihil propoſuit, ibi quicquam inuentu tibi erit impoſsibile, & fruſtra ſumitur inueſtigandi opera. Ita totus hic verſiculus fidem docet acuratiſsimè, aduerſus impiam habendi cupidinem, & ventris exaturandi ſolicitudinem, quæ nunc paſsim Euangelij fructum remoratur. Hoc verſiculo intellecto totus Pſalmus intellectu facilis eſt, quamobrem verſiculos ſequentes breuiter percurremus.

Fides excercenda eſt contra ſolicitudinem victus.

NISI DOMINVS CVSTODIERIT CIVITATEM FRVSTRA VIGILAT QVISQVIS EAM CVSTODIT.

In primo verſiculo cuiuſq; priuatæ domus auaritiam, curam & incredulitatem reprehendit, in hoc ſequenti totius Communionis vanè ſuſceptam curam obiurgat. Communio enim nihil aliud eſt, quam multarum ædium congregatio. In hac comprehenduntur omnis generis Principatus, Dominationes & Imperia. Proinde Mundus eſt in ea opinione, quia DEVM & opera eius nimirum oculis captus videre non poteſt, vt communibus alicuius πολιτεία floreſcat, & diu ſalua perduret, hoc ſitum eſſe in ſua ratione, prudentia, conſilio & viribus. Propterea magnas opes congeſtas reponunt, multa tormenta bellica comparant, munitiſsimas turres & muros extruunt, arma multa in promptu habenda putant, prudentibus legibus Rempublicam gubernandam inſtituũt, omnia benè excuſſo conſilio faciunt & incipiunt, ita præſumptuoſi elata ceruice incedentes, vt ne DEVM quidem ſe-

Auaritia priuatarum domorum reprehenditur

Mundi cogitationes de politiarũ ſucceſſu.

mel quidem pro Reipub.ſtatu ſalutare dignentur, non ſecus atque ij qui turrim illam Babylonicam extruere decreuerant. Interea loci DEVS ſuper thronum ſuum ſedens in excelſis, filios hominum è ſublimi ſpectat, quam prudenter & intrepidè nihil non attentare audeant, ſinitq́; illis hunc occinere Pſalm. nempe 33. Dominus diſsipat conſilia Gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum. Et iterum, DEVS nouit hominum cogitationes quia vanæ ſunt. Et iterum, Principibus adimit audaciam, & mirabiliter agit cum Regibus terrę. Permittit quidem tales Reſpub. & imperia aliquantiſper emergere, & nonnihil roboris concipere, verum ex inſperato eadem funditus euerſa, expugnat, & communiter quo maiora & potentiora ſunt imperia, hoc euertit citius. Et hæc quanquã aliquanto tempore dominium potenter obtineant, hoc tamen in oculis DEI vix exordij locum habere putatur, & nullum hactenus ex omnibus regnis etiam eminentiſsimis eò aſcendit culminis, quo aſpirabat & viam affectabat.

Turris Babylonica.

Pſalm.33.

Pſalm.94.

Pſalm.76.

Conſideremus adeò Annales & Chronica Imperiorum in Aſſyria, Babylonia, Perſia, Græcia, item Romanorum & aliarum Gentium potentiſsimarum, nihil aliud inueniemus in omnibus, quam quod hic canit verſiculus. Et omnis illorum pompa & magnificentia, nihil aliud fuit, quam quidam ludus DEI in humanis rebus ludentibus, & permittentis alterna vice, nunc hoc, nũc illud efflorefcere, mox hoc mox altero euerſo. Et quemadmodum breui tempore humana ratione & præ-

Magnificentia Imperiorum eſt ludus Dei.

& præſumptione excreuerunt emerſa, ita multa celerius corruerunt euerſa. Non quod hîc aut militum fuiſſet inopia, aut pecunia defuiſſet, aut aliarum rerum neceſſariarum penuria laboraſſet, ſed quod verus cuſtos ibidem excubias agere deſierat, volens omnibus cognitum facere, quidnam humanæ rationis vires, ſtudium & diligentia ſuis ceſſantibus excubijs poſsint. Inde ſtatim comperiebatur, rem illorum nihil aliud eſſe perinde quam inſtituta vaniſsima perfectu & abſolutu impoſsibilia, atq; hoc illud ipſi intelligentes ingenuè confeſsi ſunt. Ita enim ſcribit Vergilius de tuenda non amplius Troia, vbi Hector iam peremptus in ſomnis Æneam alloquitur, ſi Pergama dextra defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent. Et Lucanus, Magniſq; negatum ſtare diu. Ita apertè opus DEI verſatur in propatulo, & tamen non cognoſcitur, ita, vt huic quoq; obuerſo capite occurramus. Hoc illud quoq; fatentur rei militaris periti, nempe victoriam non in multitudine militum, aut numeroſi exercitus robore, ſed in fortuna (quam fingunt) ſitam eſſe. Scriptura verò eandem penes DEVM eſſe affirmat Pſalm. 23. Ipſe Dominus eſt potens in ſolio. Et iterum Pſalm. 33. Non in fortitudine equi benè placitum habet, &c. Et Eccleſ. 9. Vidi nec velotium eſſe curſum, nec fortium bellum, &c.

Sine excubiis Dei Imperia non conſiſtent.

Ethnicorū dicta.

Omnis victoria a Deo.

Vult itaq; Salomon hoc verſiculo breuiter omnes Reges, Principes, Magiſtratus & Præſides docere, qua ratione queant compoſita pace benè & fœliciter adminiſtrare Reipublicæ functionem, & eandem in proſpero ſtatu diu

Ratio fœliciter adminiſtrandi Reſpublicas

conſeruare. Nimirum, vt primum pro officio fidei ſuæ concredito diligenter excubant. Haud enim dicit, non eſſe vigilandum, aut nullam impendendam nobis operam, quaſi DEVS nobis dormientibus & ceſſantibus omnia ſit confecturus, quemadmodum ſuperius laborare non vetuit. Cum Paulus quoq; Romanis ſcribens, capite 12. iubeat eos qui in poteſtate conſtituti ſunt ſolicitos eſſe, & diligenter aduigilare, ſed vult ne illorum vigiliæ fruſtra ſuſcipiantur, ſed vtiles fiant Reipublicæ. Secundo vt excubias DEO fidentes excubandas relinquant, exonerata in eum cura & ſolicitudine vt Ciuitas tuenda ſit, ne falſa præſumptione inducti, putent Reipub. tranquillitatem ſua opera, ſtudio & vigilijs conſeruari atq; defendi, ſed depoſitis curis, DEO gubernandam Reipub. conditionem concedant. Vanæ præſumptionis perſuaſionem à vigilijs tuis ſepara, & rem fide agito. Quippe tametſi DEVS nihil cuſtodire decreuerit, niſi noſtra quoq; adiecta fuerit opera, & ſtatutarum excubiarum nocturna cuſtodia, non tamen vult, vt putemus noſtram diligentiam & vigilias hæc facere, quod vnicè atq; adeo ſolius gratiæ DEI opus eſt.

Cura & ſolicitudo noſtra Deo relinquenda.

Vigilantibus enim nobis neceſſario ſequitur, aut præſumptio aut curarum plena trepidatio, ſi fœliciter res ceſſerit omnibus ſaluis & ſecundis, noſtræ diligentiæ vigilantia factum eſſe nobis falsò perſuademus, ſin minus curis diſtorquemur ſoliciti. DEVS verò ex his neutrum ferre nec vult nec poteſt, hoc eſt, nec quod ſimus ſoliciti rebus afflictis & perditis,

perditis, nec temerè præſumentes aliquid ijſdem ſecuris & ſecundis, ſed vult nos recta & firma fide ſemper vigilantes noſtro perfungi officio, & tam non ſolicitudine teneri in turbulento rerum ſtatu, quam nihil præſumimus rebus accifis & aduerſis. Talia verò non facit niſi cor credulum, quemadmodum Dauid loquitur aduerſus ſolicitudinem Pſalm. 3. Non timebo millia populi circundantis me. Et Pſalm. 26. Dominus protector vitæ meæ, à quo tepidabo? Si inſurrexerit aduerſum me bellum, in hoc ego ſperabo. Contrario quoque modo aduerſus impiè præſumentes ſic loquitur Pſalm. 43. Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.

Teſtimonia Scripturæ contra trepidationem

Cur autem iubet nos vigilare & laborare, volentes nos quoq; muros munitos, arma adornata, & cætera vſui neceſſaria habere in promptu parata? Quemadmodum filios Iſrael aduerſus Cananeos bellare iuſſerat. Nihil ne in numerato habendum eſt? Portæ non ſunt claudendæ? & ſe nudum obijcere trucidandum hoſtibus? veluti Machabeos feciſſe legimus? Nequaquam, audiuiſti enim iam paulo ante Magiſtratus officium eſſe vigilare, & data diligentia cuncta facere quæ Magiſtratus requirit officium, nimirum portas claudere, muro oppidum cingere, arma induere, cuncta parare in numerato, & non ſecus diligenter obire ſingula, ac ſi nullus præſto eſſet DEVS cui fidendum foret, & nos noſtra manu tuendi eſſemus atq; gubernandi. Veluti patriſamiliâs laborandum eſt ſtrenuè, ac ei qui de laboribus ſuis alendus ſit.

Officium Magiſtratus

Hoc tamen caueat, ne cor ſuum ob talem vigilantem diligentiam in vtramuis aurem ſecurè dormiat, impia præſumptione ſopitum, vbi res paulo ceſſerit fœlicius, aut ſolicitum ſit, vbi ſecus, ſed ſinat his omnibus quæ in parato ſunt DEVM Hiſtrioniam ſuam agere, quibus ipſe ſolus vtitur & operatur atq; hoc quod deſideramus effectum reddit. Eam ob rem tales quoq; expeditiones fieri imperat, ſub quibus ipſe opus ſuum in occulto habet, vt impiè præſumentes caſtiget, ſolicitudine verò correptos fortificet, ne quo modo ipſum tentemus. Adhunc modum ipſe omnia bella Dauidis in veteri Teſtamento, atq; adeo totius populi Iſraelitici pugnas ipſe inſtruxit & adminiſtrauit, ſuoq; ductu & auſpicio commiſſæ ſunt ſemper profligatis hoſtibus. Hoc ipſum nec hodie quidem recuſaret, ſi tales adeſſent Imperatores. Ita quoq; Abrahamum, Iſaac, Iacob, & pleroſq; alios per laborem manuum ſuarum multis diuitijs affluentes fecit, vt non malè dici poſsit mundi curſum (quem vocant) præcipuè verò ſanctorum ſuorum ſtatum & conditionem diuinam eſſe Hiſtrioniam, qua tectus in mundo tam mirabiliter regnat & tumultuatur.

Bella Dauidis.

Diuina hiſtrionia.

FRVSTRA EST MANE SVRGERE PRIVSQVAM ILLVXERIT, &c.

Impia præſumptio & ſolicitudo hic taxatur.

Hæc omnia dicta ſunt aduerſus impiam præſumptionem & ſolicitudinem, ac ſi dicat: Quod mane diſcuſſo ſomno ſurgitis, & ſero cubitum itis, exiſtimentes, quo vehementius laborem labore cumulaueritis, hoc plus vos habituros

lucri &

lucri & compendij, fruſtra eſt, quandoquidem benedictio diuina hæc præſtat. Et quanquam plus alijs lucrabimini, non ita anxiè & moleſtè laborantibus, tamen eo non ſunt perduraturæ veſtræ opes, quo aliorum non ita ærumnosè ſe excrutiantium, ſed ſub manu euaneſcent, ſicut teſtatur Pſal. 36. Melius eſt iuſto modicum, quam magnæ opes impiorum. Et Salomon in ſententijs: Melius eſt holuſculum cum charitate, quam bos pinguis & ſaginatus cum odio. Porrò hunc eſſe ſenſum, nec DEVM laborandi ſtudium interdicere, ex hoc planum fit quod dicit, & editis panem cum moleſtia, hoc eſt, Veſtrum panem & victum ipſi vobis durum, calamitoſum, laborioſum & acerbum facitis, tametſi laboris culpa ſit minimè, ſed veſtri cordis increduli, non credentis DEVM vos aliturum, ſed properantis ante implere arcas, loculos, cellas promptuaria, ita, vt tantum videat in numerato paratum, quantum multis annis fami depellendæ ſatis eſſe putat. DEO verò fidens nihil ſolicitus eſt de craſtino, ſed in diem viuens hodierno victu contentus, tacito & ſecuro corde laborat cum gaudio, complexus CHRISTI conſilium in Euangelio dicentis, Ne ſitis ſoliciti in craſtinum. Nam craſtinus dies curam habet ſui ipſius, ſufficit ſua diei afflictio. Ecce ijs victus parandi ratio nihil amaritudinis, nihil etiam adducit Abſynthij, nam tametſi & ipſi panem ſuum οὐκ ἀπονήτως καὶ ἀνυδρότως manducent, hoc tamen fide firmati faciunt, & hilari interna conſcientia.

Poſthæc claudit, offirmans hæc omnia à DEO benignè dari

dari inquirens, Sic dabit dilectis ſuis ſomno. Hæc omnia cum domos ædificare tum vrbes cuſtodire, dat tanquam in ſomno dilectis ſuis, hoc eſt, ſinit quidem illos laborare & diligentes eſſe, ita tamen ne ſint ſoliciti aut præſumptuoſi, ſed hilari corde euntes ſuis intenti laboribus, cætera DEO curanda commendent. Ipſi porrò ſecuri & quieti viuunt, non ſecus atq; is qui profundo & adulti ſomno correptus, ſtertit animo ſecuriſsimo, nullius rei ſolicitudine diſtrictus, qui tamen vtcunq; ſui impotens & neſcius, nihilominus cuſtoditur & ſaluus permanet, omnium enim rerum paratam habent copiam, atq; adeo eandem non poſſunt habere, quicunq; certa fiducia ex DEO pendent, ipſi omnium rerum cura commiſſa & tradita, veluti 54. Pſalm. iubet. Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet. Et 1. Petri 5. Humiliemini ſub potenti manu DEI, vt vos extollat, cum erit oportunum, omni cura veſtra in illum coniecta, Nam illi cura eſt de vobis.

Piorum ſecuritas.

ECCE FILII HÆREDITAS A DOMINO, &c.

Hæreditas â Domino & præmium idem ſignificant, quemadmodum filij & proles. Vult itaq; dicere, quid vtilitatis adfert nimium vos diſtorqueri & ringi cura & ſolicitudine, vt rem faciatis, cum etiam filij & quicquid â mulieribus conceptum in lucem producitur veſtræ poteſtatis non ſunt, & fructus ventre æditi, nec domus, nec vrbis communio perdurabit? Cum itaq; ij ſint hæreditas & præmium â Domino, hoc eſt, DEI donum & munus gratuitum, quorum nomine tantopere eſtis ſoliciti. Tum ſi vniuerſus mundus con-

Hæreditas a Domino.

Liberi donum Dei gratuitum.

Mundus coniunctis in vnum viribus hoc conaretur vnicè, non poſſet tamen tantum efficere, vt vnicus puerulus in ventre muliebri conciperetur aut naſceretur, ſed totum hoc opus DEI ſolius eſt. Quorſum itaq; nequicquam eſtis ſoliciti pro diuitijs & Filijs, cum ne hoc quidem in veſtra manu ſit ſitum, cuius gratia ſolicitudine teneamini? Proinde non iniuria ita dicendum eſſet patrifamiliâs, Ego quidem laborabo, penſum meum abſoluturus, Ille verò qui domum liberorum procreatione, & vrbem populi multitudine (qui omnes ſunt fructus è ventre æditus) implet, eoſdem quoq; affatim quod ſatis eſt ſuppeditato victu aliturus eſt & cuſtoditurus. Ita fieret, vt nec huic labor videretur moleſtia plena abſynthij, nec alteri oneroſa cuſtodia, ſed res tota fide ageretur. Hæc omnia quoque CHRISTVS Matthæi. 6. attigit his verbis: Non ne corpus pluris eſt quam indumentum? & anima pluris eſt quam cibus? Quaſi diceret, Tamen filij & fructus corporis non ſunt in veſtra cura, quomodo igitur pro opibus & Filijs eſtis ſtultè ſoliciti? Quis enim, creditis, rationibus probabiliter & veriſimiliter explicare poterit, vnde hoc proueniat, vt omnibus filijs hominum è muliebri carne naſcendum ſit? Quis verò tantam hominum multitudinem & vim in carnem abdidit, & tam mirabili partu producit? Præter hunc profectò nemo alius, quam qui filios pro hæreditate, & corporis fructus, ſuis dilectis præmij vice præſtare ſolet etiam dormientibus. Dicunt Germani veriſsimo prouerbio. Gott beſchert vber nacht, id quod non admo-

dum diſsimili prouerbio de Timotheo Athenienſium Imperatore iactitauit antiquitas, vt diceret εὕδοντος κύρτον αἱροῦντα.

VELVT SAGITTAE IN MANV VALIDA SVNT, ITA SVNT ET HI IVVENES.

Homines cōparantur ſagittis.

Filios & homines ſagittis confert in manu Herois validi, ſpicula ſua quocunq; viſum eſt torquentis. Ita quoq; videmus pari ratione DEVM nobiſcum agere. Aduerte verò, quam mirabili vinculo virum & mulierem coniungat præter omnium opinionem, & quo deinceps interdum ſuſtollit eoſdem culminis, quod nunquam futurum putaſſent aut ſperaſſent, ita, vt in admirationem ducantur omnes. Sed & plerumq; aliter res cadere ſolet, quam aut parentes ſibi perſuaſerant, aut vnuſquiſq; animo conceperat. Adeò vt DEVS hoc verſiculo fateri videatur & dicere, omnium hominum inſtituta faciam irrita, & cum filijs hominum pro meo arbitratu agam, vt in mea manu ſint non ſecus atq; ſagittæ in manu Gygantis robuſti. Quorſum igitur attinet nimia cura nos angi & ſolicitari, quem finē noſtra res ſit ſortitura, cum aliter poſsit cadere hæc alea, ſcilicet vt à DEO ſemel iacta & deſtinata eſt: Proinde conſultiſsimū eſt intentum eſſe labori, & futurorum curam DEO commendare, Præcipuè verò filios Iuuenes vocat, vt eos qui domeſticæ procurationi nondum idonei, nihil neq; priuatim, neq; publicè adminiſtrare poſſunt, quos putamus in totum noſtræ rationi tuendos & curandos eſſe relictos. Nihilominus tamen & hos ille adeò ſolus domi foriſq; curat, & quod ſua voluntati libitum eſt,

Iuuenes.

cum

cum iiſdem hoc ſtatuit, vt videremus liquidò, nos omnes ex æquo DEO curæ eſſe, & nobis aliud relictum eſſe officij nihil, quam quotidiani laboris penſum abſoluendũ, ne opinemur DEO tantũ curæ eſſe infantes in cunabilis dormientes, poſthabitis potentibus ſua fretis prudentia, ratione, conſilijs & Liberi arbitrij ductu viuentibus. Imò potentes non ſecus gubernat & regit atq; Iuuenes. Et ij ſunt ſagittarum vice in ſua manu coacti volare quo & quomodo ipſi viſum fuerit. Eiusdem ponderis & exiſtimationis coram DEO eſt ratione præditus iuxta inſipiens, cœlum & terra, iuuenes & ſenes, nobilis & agricola. Quid quod cum ſapientibus & ratione præditis plus eſt illi negotij, quibus cum agit mirabiliter, vt illorũ conſilia interturbet, eosq; aliter ducat, prȩter animi conſiliũ. Ideo huius verſiculi verba ſunt, quod non filios & fructus corporis (quos hæreditatẽ & dona DEI nominat) ſed filios iuuentutis nunc magnos & ſapientia ornatos in manu ſua habeat, perinde, vt Heros quiſpiam ſemideus ſua tenet ſpicula, permittens hos ſua ſe ratione regere, & ipſe interim puerorum curandorum ſtudio detineatur. In hoc breuiter tota verſatur controuerſia, vt ipſe adempto hominibus imperio, & curis in ſe deriuatis nobis obnitatur, certo animo perſuaſum habentibus ipſum adeò ſolum nos ſedula pietate foturum recturum, noſtri curam habiturum, nos benignè & dapſiliter aliturum. Quo omnibus his illi nos commendantes tantum noſtris laboribus intenti certa fiducia de ſe omnia nobis proſpera & fœlicia polliceamur.

Deus omnium curã gerit.

Filii Iuuentutis.

FOELIX EST, QVI PHARETRAM SVAM TALIBVS, &c.

Optat, vt eius generis Iuuenum à DEO datorum & cognitorum magna ſit vis & multitudo. Ita enim benè agi in rebus humanis putat, id quod nemo negare poteſt, ſi enim cupimus omnibus rebus benè conſultum eſſe, operę pretium eſt & Iuuentutem liberaliter inſtitutam eatenus educari, quæ noſtris veſtigijs incedens adminiſtratione Reipub. ſuſcepta vitam in terris exigat. Quemadmodum ille Gygas optimè inſtructus eſt, qui habuerit pharetram ſuam ſagittis grauidam & refertam. Ita quoq; patriſamiliâs & Reipub. ſtatui probè proſpectum eſt, quæ eius generis Chriſtiana diſciplina educatæ iuuentutis magnam vim â DEO datam poſsidet. Illic enim DEVS ipſe cum priuatim tum publicè omnium rerum fidus Diſpenſator eſt.

Iuuentus liberaliter educata.

Tanta verò demiſſa cœlitus Gratia inſectationibus & cruce non carebit. Vbicunq; enim vita Chriſtianis legibus inſtituta piè viuitur, ibi quoq; diabolicas afflictiones eſſe neceſſe eſt. Mundana impietas & auaritia hanc vitam & doctrinam ferre non poſſunt. Proinde eiuſmodi patresfamiliâs & Reipub. conditio pijs ornata & inſtructa legibus, inimicis & perſecutoribus certius habebunt nihil, quorum maleuolentia, calumnijs, probris & blaſphemijs dilacerabuntur miſerè & crudeliter. Aduerſus horum verò inſultum & linguæ virulentiam, hîc præſto eſt conſolationis antidotum, nimirum vt ipſi honore conſequuto omnes inimicos in porta, hoc eſt, coram

Pietatem ſequitur adflictio.

eſt,coram omnibus pudefactos coarguent iniquitatis &mendacij. Nullius verò Panopliæ nomenclaturam perſtringit, ſed ſolum verbum,inquiens, loquentur cum inimicis ſuis in porta,ac ſi diceret, doctrina ſuperiores erunt præcepta inimicis victoria,quam rectam & euangelicam eſſe obtinebunt, quantumcunq; omnes inimici aduerſus hanc pugnauerint.

Hæc eò ſcripta & dicta ſunt,amici chariſsimi, vt vos monerem,quo vnà nobiſcum diligentiores eſſetis, vt Euangelium fieret fœcundum & fructuoſum apud vniuerſos in plena CHRISTI cognitione & bonorum operum impigro exercitio. Aduerſus quod potenter adeo impietatis fructus auaritia pugnat. Dominus noſter IHESVS CHRISTVS fortificet & corroboret nos. Cum enim etiamnum infirmi ſumus,ita,vt ventris implendi curam poſthabere nequeamus,quomodo Mundi rabiem, mortis tyrannidem, contumelias, & omnia nobis aduerſantia & repugnantia perferemus? Et quomodo perſiſtemus, vbi nunc falſi & emẽtiti ſpiritus Carolſtadianæ fecis & ſentinæ perditiſsimi cacodæmones nos falſa doctrina impetiuerint,quam iam paſsim omnis ſeditionis & calamitatis authorẽ miſera ſuſtinet Germania. DEVS verò totius miſerationis Pater, qui verbum & opus ſuum apud vos incepit, dignetur ſenſum & corda veſtra cõſeruare in ſimplici & ſyncera cognitione IHESV CHRISTI Seruatoris noſtri, cui ſit honor & gloria in perpetuum, Amen.

Quo animo Lutherus hanc enarrationem Pſalm. 127. dedicauerit Rigenſibus.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Intercedit pro pauperibus Sacrificulis, vt cum abiecerint ſuas idolatrias Princeps tamen permittat illos ali de ſuis ſuperioribus cenſibus, & quæritur de pertinacia reliquorum idola colentium, deinde certior fieri cupit, quid Princeps mandarit Breſſenio, de ſtipendio ipſis pendendo.

Pauperes ſacrificulos alendos eſſe

GRatia & pax. Venit ad te Ionas Præpoſitus bona propoſiturus, neſcio an & conſecuturus. Scripſi & antea, mihi videri bonum & officij eſſe pij, ſi pauperes illi ad vitam ſuam permitterentur cenſibus iſtis frui, qui aliam artem non didicerunt, & in abominationes iſtas lapſi ſunt ignoranter. Me ſanè malè habet, quod Bethauen iſtius cultores nihil mutare velint, etiamſi ſciant & confiteantur eſſe impijſsima, Deinde & Principem ſentiant diſsimulare, niſi etiam vrgere & exigere intelligant, ac ſic contra conſcientiam ſæuiſsimè prudentes inſaniant. Quibus malis, ſi quid potes, cum Iona conſule. Cæterum ſcire cupio nomine Prioris an Princeps ſcripſerit Breſſenio (vt nuper ſcripſiſti) proprio mandato, pro ære nobis pendendo. Nihil adhuc accepimus nec audiuimus, & grauat nos graueſcetq; indies æs alienum. Ego ſanè alia ratione cogar alimoniam quærere tandem. Leimbachij cauſa ego liberari nequeo, veniam mox & Principem vexabo, Vale Dominica Cantate.

Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Indicat Informationem ſuam ad Principem SaxoniæElectorem,de negotio quodam matrimoniali, contra Senatum Vuitembergenſem, iuſtam & veram eſſe,& Monachum quendam vult præfici Parrochiæ in Heinichen.

GRatiam & pacem in Domino. In primis te oro, vt opinionem meam apud illuſtriſsimum Principem redimas, his teſtibus literis, quæ nonnihil læſa eſt per inconſultum reſcriptum Senatus noſtri Vuitembergenſis, vbi Principi ſignificarunt, non eſſe eum rectè informatum de cauſa diuortij inter Michaelem Hancken & vxorem eius, ignorabant forte à me eſſe factam informationē, ideo id magis auſi ſunt. Nam ego eos conuici coram Quæſtore & Gregorio Sotio Cōmiſſario eſſe rectam informationem meam, & promiſerunt meo iudicio ſeſe ceſſuros, id quod ex Quæſtore & Gregorio ſciſcitari poterit an mentiar nec ne. Verum nolim grauari eos, quaſi mendatio Principem illuſerint, fortè vt ſumus homines, & à Sathana ſemper impellimur, præoccupati ſunt hoc delicto, ideoq; in ſpiritu lenitatis ferendi, conſiderantes, quod & nos, quiſq; ſuos patimur manes, & nemo mundus à ſorde. Cum vito Ierige Gardiano egi, is promptus eſt ſuſcipere Paſtoris officium in Heinichen, ſicut & dignus & idoneus eſt, modo vocetur & eligatur. Agam itaq; apud Præfectum in Dibon, vt ſimul cum ciuibus eum petant & vocent, Tu quoque age apud Principem, vt ei permittatur & offeratur. Vale in Domino, Vuitembergæ, ſecundo Iunij, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEOR-

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, GEORGIO SPALATINO.

Implorat operam Spalatini, vt reditus Monaſterii conſequantur a C. a. B. reddit etiam eum certiorem de morte Neſeni viri doctiſsimi, qui in Albi dum forte fortuna cum ſotiis corpus laua ret, ſub merſus fuerat.

GRatia & pax. Venit hic Hans Lufft, mi Spalatine, noſtro nomine petiturus æs noſtrum ab Chriſtoff von B: quamuis parua ſpes ſit, nos effecturos quod opus ſit. Nam non video, vt fieri poſsit, vt debitis exoneremus nos, cum iam inſtet tertius annus, quo iam tertio 90. florenos pendere debet, vnde autem tantam ille ſummam accipiet? Mitto literas Oſiandri. Non aſſunt Capitonis, Neſenum Diabolus abſtulit, tribus ſotijs miraculoſè ſeruatis, ne & hos perderet, conturbauit nos iſto caſu Dominus vehementer, & aperuit os blaſphemantibus, ſed mutaturus id in gloriam ſuam, poſtquam indurati & excæcati fuerunt Amorræi hac infirmitate populi ſui Iſrael. Vale & ora pro me. Tu quoq; age vt Canonici tres pro hac gratia aliam gratiam obtineant, Indignum enim & iniquum eſt, vt qui prius ſolarijs lectionum erant donati, nunc nec Canonicatus nec lectiones habere & duplo priuari & puniri debeant, Vuitembergæ Dominica poſt Kiliani, Anno M.D.XXIIII.

Neſenus ſubmerſus Albi.

Martinus Lutherus.

GEORGIO

GEORGIO SPALATINO.

Remittit Spalatino Thomæ Muntzeri Paſtoris in Alſtet libellum & eius errores ac corruptelas doctrinæ cœleſtis vult deuitari : Tandem aulica Sapientia ſe impediri ſcribit, quo minus honeſtiſsimæ virgini Hannæ Spigelinæ auxilium ferre poſsit.

GRatia & pax. Remitto tibi furiam Alſtetinam, dignam quæ etiam aliqua præbenda honoretur, ne dum in terra foueatur. Sic Chriſto placuit, vt indigni ſimus & agnoſcere & curare ea quæ Dei ſunt, qui hactenus ſic curauimus ea quæ Satanæ ſunt, vt ſemper eadem foueamus. De Hanna Spigelina nihil eſt quod conſulam, quod Aula non ſoleat, nec forte poſsit ſequi conſilium Dei, ſufficit illi ius & prudentia humana quibus ſine me ſatis abundat, Vale Vuitenbergæ. Dominica poſt Iacobi M. D. XXIIII.

Martinus Lutgerus.

GEORGIO SPALATINO.

Vult differri æditionem libelli ſui in Epiſcopum Moguntinenſem, ac grauiter conquæritur de Aulæ Saxonicæ incredulitate & quod opera Dei ad ſuos ſenſus attemperet. Receníet & ſuam ſententiam de quibuſdam ſacerdotibus maritis liberatis ex carcere & coniugium Sacerdotum aſſerit &c.

SAlutem. En ne nihil tibi videar conceſsiſſe, mi Spalatine, permitto differri libelli in Mogunt: æditionem, verum Philippo volo tradas, cui mandaui, vt acerbiora tradat. Nam Epiſtolam omnino volo ad eum mitti, ac denuo aliam pro-

Aeditio libelli Lutheri contra Moguntinenſem differtur:

prio nuncio ad eum mittam. Sum contentus, quod ſcribis de eius concione futura, & tu benè facis, qui non temere iudicas. Sed non benè facis, quod mihi etiam non aliquando credis. Scio cogitationes Sathanæ, mi Spalatine, ſed nihil aduerſus cogitationes Domini, deniq; & aliam fore technam Sathanæ noui, quæ maiore ſpecie nos petat quam iſta, nec ſic quidem eum metuam, Dominus enim viuit, cui vos vt decet aulicos, non creditis, niſi temperet opera ſua ad ſenſum veſtrum, vt iam credere non ſit opus. Nihil æquè me offendit in iſta aula, atq; incredulitas, quæ nec credit iſta quæ fiunt, ſolo conſilio de fieri, nec probat, niſi quid noſtris viribus ſpes ſit conſummari, adeò nihil profectum eſt hactenus tot experientijs & exemplis vel in hac cauſa ſola. Scribis ſacerdotes eſſe dimiſsos ab illis, quaſi non ſit demiſsio illa ſepties cruentior, quam captiuitas, etiamſi occidiſſent, dum coegerunt miſeros peierare & veritatem DEI abnegare. Scilicet ij ſunt, quos ad bonam frugem rediſſe iactes, & ab ijs expectes vt ex animo Euangeliſent aliquando. Obſecro, ſi veritas eſt, iſtum Cœlibatum & Monaſticen diuinitus damnari, ſicuti non eſt dubium, cur non liceat diuerſum tentare & ſequi? an perpetuo de verbis DEI diſputandum ſolum eſt, & opere ſemper abſtinendum? ſed quid ſurdo fabula? Non enim credit ſenſus tuus aulicus nimio, hoc eſt & ſapiens & timens nimio. Ego credam Epiſcopos concionaturos Euangelium, ſi videro eos relictis ſuis Epiſcopatibus ſoli verbo ſeſe dedere, nec

Cogitationes Sathanæ.

Aulica incredulitas.

Coniugiũ Sacerdotum.

re, nec ante credam. Interim Sathanæ conſili blaſphemantis hoc miniſterium ſacrilego fuco non metuam. Video tandem cõſilia Hominum perrumpenda eſſe in hac cauſa, quibus hactenus variè impeditus ſum, fruſtra timentibus ruinam cœlorum. Si nihil aliud agendum eſt quam hactenus egimus, nihil aliud quoq; doctum oportuit. Mitto & Exhortationem vernaculam, quam velim quantocius ædi, in occurſum rudium illorum & inſulſorum noſtri nominis iactatorum. Hic quaternio G. in Methodo Philippi ſuperfluit, deſunt autem in fine tres quaterniones nouiſsimi Q. R. S. quos complebis in tempore. Græcum Teſtamentum Philippo reddes, ac vale cum tota Aula, quam Chriſtus aliquando reddat fidelem fide ἀνυποκρίτων. Amen Anno M. D. XXIIII.

T. Martinus Luther.

SENTENTIA D. MARTINI LVtheri, an matrimonium coactum valeat?

PRimum Iure Chriſtiano, hoc eſt, charitatis & Spiritus certum eſt, debere & Iuuenis & puellæ conſenſum accedere. vt patet in Rebecca, cuius voluntatem requiſierunt Gene. 24. Et Parentes Simſon, Iudicum. 14. ceſſerunt voluntati filij ſui. Quanquam verum ſit, alterum coniugum peccare, ſi cogi ſe ſinit, & Coactionem non confitetur, vel teſtatur palàm dum traditur.

Quare certiſsimum eſt eius conſcientiam eſſe coram Deo tutam, ſi Puella non conſenſiſſe probatur, vt iſta relicta aliam ducat. Nam & Adam ſuam Heuam non accipit inuitus & coactus, ſed cum ante non inueniretur ſibi Adiutorium, mox adducta muliere accepit volens & dicens, Hoc eſt os.

Nec Heuam vi adduxit, ſed creatam oſtendit, & illa ſe applicuit viro, volente ſic Deo, quod dicit Scriptura: Adduxit eam ad Adam.

Iure Moſaico vbi planè ſubijcitur proles parenti, aut Viceparenti, cedet coniunx quorſum parens volet.

Quare in caſu propoſito conſulerem, vt ſi negatur ſponſa, concedatur negantibus, ſiue hoc fiat diſſenſu puellæ, iuxta Euangelicum ius, ſiue vi parentum etiam puellam cogentium diſsentire. Quia in primo tuta eſt conſcientia iuuenis lege Chriſtiana, in ſecundo vi tuta eſt, iure eodem, quod violentis cedendum eſt, Matth. 5. & relinquenda conſcientia illis qui negant M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS ET Dominis, D. Friderico ſacri Rom: Impe: Archimarſcalco Electori, & Ioanni, Saxoniæ Ducibus, Marchionibus Miſniæ, Landgrauijs Turingiæ, Dominis ſuis clementiſsimis, &c,

Agit

Agit hic erudite ac luculenter de Munzerico Spiritu, quem vocat Alſtetinum Spiritum & offitii ſui Magiſtratum ſeu Principes commonefacit, adiectis multis memorabilibus picturis Ingeniorum Hæreticorum & ediuerſio probatorum Spirituum.

GRatiam & pacem à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Ita diuinitus comparatum eſſe videmus, ſiue hæc eſt diuini verbi fortuna ſiue conditio, vt huic emergenti Sathanas omnibus ſuæ poteſtatis & imperij viribus repugnet. Primum quidem intentata vi & poteſtate temeraria, quæ ſi ſatis non eſt, aut parum ſuccedit, mox linguis virulentis, erroneis ſpiritibus, & peſtiferis doctoribus rem aggreditur, hanc ob cauſam, vt cum poteſtatis violentiam & impetum opprimendo verbo imparem & irritum viderit, illud ſaltem dolis & mendatijs opprimat. Euangelii Curriculū.

Ita quoq; principio vbi Euangelium primitus in mundum venerat, feciſſe legitur, dum per Iudeos & Gentes Euangelij abolendi negotio potenter cepto multum ſanguinis profuderat, & Chriſtianitatem (vt ſic loquar) infinitis Martyribus prorſus impleuerat. Poſtea verò quàm hoc quoq; haud ita multum auido conatui reſpondere videt, & Chriſtianorum numerum per quotidie occiſos Martyres non niſi numeroſiorem fieri & animoſiorem, reperta noua fallacia, magnam Pſeudoprophetarum & ſpiritum erroneorum turbam extrudebat, ita, vt omnes Mundi angulos diuerſis Hæreſibus & ſectis faceret refertiſsimos, donec illud PONTIFEX ROMANVS meris ſectis & impijs hæreticis Hiſtoriarum veterum teſtificatio.

(quod vltimi & potentiſsimi Antichriſti fuit offitium) prorſus oppreſſum & euerſum eradicauit planiſsimê.

Noſtrorum Temporũ experientia

Ita quoq; nunc agit, vnde cognoſcimus omni remoto ſcrupulo, illud eſſe veriſsimum Dei verbum quod predicamus. Præſertim verò cum id ætatis non alijs prematur aut ſubiectum ſit inſectationibus, quam quibus olim premebatur initio. Papa, Cæſar, Reges, Principes & impij Epiſcopi manuum violentia adoriuntur Euangelium, volentes illud crudeliter, & more Tyrannico opprimere. Non ſecus atq; mente capti, aut rationis parum compotes hoc ipſum indicta cauſa condemnant, calumniantes & inſectantes. Vtcunq; tamen laxis furiarum habenis furiant, iamdudum noſtræ fiduciæ pronunciata eſt ſententia Pſal. 2. Quare tumultuatæ ſunt Gentes, & Populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Verum qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tũc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit illos.

Nihil noui ſub ſole Eccle. 1.

Non aliter quoq; furentibus noſtris Principibus impiæ veſaniæ aleam ceſſuram eſſe credo, ad quam totis viribus aſpirant. Nihil enim neq; conſilij neq; expurgationis duras demittere in aures cogitant, ſed excæcati ſunt à Deo in hoc, vt in ſcopulum perditionis facto naufragio incurrant. Sunt iam moniti plus ſatis. Hæc omnia perſpicit acutis oculis Sathanas, animaduertens talem furorem & efferatam veſaniam perrupturam non eſſe. Et quæ diuini verbi natura eſt,

probè

probè videt hoc latius illud ſerpere, & maiori augmento illud ſuccreſcere, quo vehementius oppreſſum fuerit. Propterea illud oppugnandi gratia, ementitos ſpiritus & ſectas perditas producit in medium, quod quidem nobis neutiquam propterea perturbandis perſuaſum eſſe debet. Neq; enim aliter fieri poteſt, atq; Paulus ad Corinth. prædixit: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſtè fiant. 1. Cap. 11

Ita poſtquam eiectus Sathanas iam per tres annos circumuagatus per loca arida, quærens requiem, nec tamen inueniens, tandem in Illuſtriſs: D. V. ditione manſione in Alſteto reperta nidum congeſsit, in animo habens, ſub noſtra pace & defenſione aduerſus nos pugnare. Illuſtriſsimi enim Principis D. Georgij dicio, quanquam hîc in proximo ſita ſit, eius fecis ſpiritibus imperterritis, & (vt iactant) inuictis plus iuſto mitior eſt & benignior, ita vt nulla relinquatur ijſdem ita audacter & ferociter agendi facultas. Quamobrem miſerabili eiulatu boat & conqueritur, multa ſibi mala toleranda eſſe, tametſi hactenus nec pugnis, nec ore nec calamis impetitus ſit. Sed ſibiipſi nequicquam intolerabilis crucis pondus ſomniat, humeris ſuis cotidie ferendum. Iſta leuiter citra probabilem mentiendi occaſionem impudenter mentitnr Sathanas, occultare ſe nequiens.

Hac non ſucceſsit alia aggreditur via.

Hoc verò ſingulare mihi prebet gaudium, huius inchoatæ veſaniæ noſtros non fuiſſe Autores. Cum ipſi ſe iactent hoc nomine noſtrarum partium non eſſe ſe, atq; adeò nihil didiciſſe à nobis aut accepiſſe, ſed quod de cœlo deſcenderint perpetuos tres annos cum ipſo Deo collocuti, veluti cum Ange-

Leuamen in aduerſis 1. Cor. 10

Delyria Munzerianorum.

Angelis, vt cum alio quopiam congerrone aut compotore benè poti facere ſolent. Et parui momenti res eſt, Vuitenbergæ fidem, charitatem, & crucem doceri. Audienda tibi ipſi Dei vox eſt, inquiunt, & opus Dei in te tibi ferendum eſt, vt ſentias quantum grauitatis tuum obtineat Talentum. Quid multis oneror? Breuiter, ſcripturam nihil eſſe aut poſſe identidem vociferantur, dicentes, ia Bibel, Bubel, Babel &c. Quæ verba, ſi à nobis dicerentur de illis, dum crederem illorum crucem ipſius Chriſti paſsione & cruce longè debere eſſe pretioſiorem, & longe maiori quoq; laude celebrandam.

Impoſtoribus id proprium in 4 gradu.

Ita libenter cuperet miſer hic ſpiritus paſsionem & crucem de ſe ſuperbè iactari, quanquam hoc, quod eſt minimum, ferre nequeant, ſi quis ſuper illorum cœleſti voce & diuino opere hæſitans, aliquanto tempore deliberandi ſpatium ſumpſerit. Sed volunt hanc citra vlteriorem animi colligendi moram firmiter & indubitanter credi ab omnibus, vt ego, ita me Chriſtus benè amet, ſuperbiorem & elatiorem Spiritum ſanctum (ſi tamen eſt) neq; legerim neq; audiuerim. Verum hoc tempus non fert eius nunc doctrinam iudicari, quam prius bis cognitam iudicaui. Et nunc tertio neceſsitate cogente eidem iudicandæ diuina gratia me ſufficientem eſſe non diffido.

Cauſa ſcriptionis impulſiua.

Has tamen literas ad illuſtriſs: D. V. propterea dedi, quod intellexerim multorum ſignificationibus, nec minus è Scriptis horum Spirituum perceperim, quod Spiritus Alſtetinus

tinus negotium Euangelicum non ſolo verbo tractandum eſſe putet, ſed multo magis ipſa re, hoc eſt, pugnis exercendum, ita, vt in animo habeat omnibus viribus ſeditione externè concitata Poteſtatibus obniti & reſiſtere. Hîc Satanas nequitiæ ſuæ conceptum virus, & animi perditi prauum conſilium amplius celare non poteſt. Quid non auderet hic Spiritus efferata rabie, collecta vulgi multitudine? Hoc ipſum ante quoq; Vuitenbergæ ex hoc Spiritu audiuimus, Verbi diuini negotio omni armorum genere couſulendum eſſe. Quod verbum perculſit ilico animum, Atat cogitabam, hoc illud eſt, hinc ille lachrymæ, horſum ſcilicet horum Spirituum ſpectat conſilium, vt ipſi euerſis Poteſtatibus orbis ſint Domini & Tyranni, tametſi hoc Chriſtus coram Pilato neget, affirmans ſuum regnnm non eſſe ex hoc mundo, doctis inſuper Diſcipulis, ne poteſtatem perinde vt Gentium Principes ambirent aut exercerent. Quanquam nunc illud addubitandum mihi non abitror, illuſtriſs: D. V. hac in re non deeſſe ſtatuendi conſilium, diligentiæ tamen meæ quoq; intereſſe opinor, id quod conſultum videro, non reticere. Ioan. 18. Luc. 22.

Quamobrem illuſtriſs: D. V. oro, velint ſeriò atq; adeo magna impenſa diligentia pro veſtri Magiſtratus officio futuræ ſeditionis tumultum præcauere. Siquidem illuſtriſs: D. V. obſcurum non eſt, in hoc ius gladij & poteſtatem vobis à Deo traditam eſſe & commiſſam, vt pacem compoſitam debellatis ſuperbis & ſeditioſis tueamini. Sicut Paulus Offitii ratio 1. Cor. 4.

 hoc ip-

hoc ipſum docet, ſcribens Romanis cap. 13. Hinc illuſtriſs: D. V. hac in re in vtramuis aurem dormiendum & oſcitanter agendum non eſt. Deus enim officij commiſsi & negligentiæ ſupinæ rationem acuratè reddendam poſtulabit. Sed & coram mundo illud facile excuſatu non erit, ſi illuſtriſs: D. V. hominibus ſeditioſis & temerarijs tutò & ſecurè tumultuandi, & omnia ſurſum ac deorſum miſcendi licentiam impunè permiſerint.

Anteuertit iſtorum obiectiones.

Porrò ſi dixerint (quemadmodum ſunt verbis magnificis) ſe agi à Spiritu, & rem Euangelicam opere comprobandam, pugniſq; promouendam eſſe: Reſpondeo primum, viliſsimi Spiritus hoc eſſe inditium, alia ratione virtutem ſuam comprobare nequeuntis, quam Diuorum delubris & monaſterijs diruendis, Imaginibuſq; concremandis. Quod etiam factu procliuius eſt, quibuſuis perditiſsimis nebulonib: præſertim verò, vbi impunè & tutò ad hunc modum eius fecis hominibus inſaniendi copia relicta eſt. Hoc verò putarim animi non inſtrenui opus eſſe, ſi Spiritus Alſtetinus, aut Dreſdam, aut Berlinam, aut Ingolſtadium profectus, ſic expugnatis monaſterijs, imagines deiectas corrumperet.

Spirituoſi Hæretici & phanatici.

Secundo, quod Spiritum iactant, parui momenti res eſt, quandoquidem Iohannes ſpiritus probare iubet, vtrum ex Deo ſint. Porrò Spiritum Alſtetinum hactenus à nemine probatum eſſe conſtat, ſed pro mera animi libidine tumultus & ſeditionis concitandæ inſanienti vulgo faces ſubminiſtrat. Si enim bonus eſſet, probationis examen nunquam

ſubter-

ſubterfugeret, ſed aliorum iudicio lubens & vltro ſeſe ſubmitteret, ſicut Chriſtum feciſſe non ignorat. Atqui hæc virtus eſſet, nec illa quidem infima boni Spiritus, qua liquidò eius bonitatis perſpicuum fieret teſtimonium, ſi non ita inſenſus luci abiret in angulos, ſed palam coram aduerſarijs conſtitutus reddita ratione cauſam diceret. Spiritus autem Alſtetinus hoc deuitat, perinde vt Diabolus crucem, vt ut interim in ſuo nido audax verbis intrepidis ferociat. Non ſecus ac ſi triplici munitus ſit ſpiritu, adeò vt immodica iſta, nec minus vana iactantia certo indicio ſit, quid iſtud ſit Spiritus.

Ita enim in Scriptis ſuis ſe offert, velle ſcilicet ſe coram Communione non ſuſpecta, non autem in angulis coram vno aut altero ſtare & reſpondere, nec hoc ſine diſcrimiue corporis & animæ &c. Dic ſodes, quemnam Spiritum intrepidum & audacem hunc putas? ſeipſum adeò in auguſtum cogentem, & volentem non niſi coram Communione non ſuſpecta doctrinæ ſuæ rationem reddere, præterea coram duobus aut tribus multo fortius reſpondere recuſat. Quid hoc eſt Spiritus? qui vnum aut alterum timet, & communionem ſuſpectam ferre non poteſt.

Perditorū Aſylon.

Ego tibi dicam, Auguratur aliquid mali futurum, poſteaquam Vuitenbergæ in Cœnobio noſtro ſemel atq; iterū os illi obſtructum eſt, & hoc eſt quod tergiuerſatur trepidus, recuſans ſtare vſpiam vbi ſui ad manum non ſunt ſemper,

Solidum Luth. iudicium.

illud euge turpiter aſſentiendo occinentes. Quod ſi ego (quē prorſus putat ſine ſpiritu,& vocem de cœlo nunquā audiſſe) talia de me predicaſſem, Papiſtis meis conſcijs & audientibus, Dij boni, quos non triumphos, quæ non tripudia vidisſes? & me impoſito ſilentio ter maximum hæreticum proclamaſſent. Ego cur me adeò ſublato animo & verbis magnificis efferam, cauſam nullam video, Sum enim miſer & ærumnoſus homo, adhæc impotens, vt qui ſuam rem tanta audacia non inceperit, ſed magno timore ac tremore, ſicut & Paulus de ſeipſo fatetur ingenuè 1. Corin. 3. cui haud dubiè & ipſi diuinam vocem & reuelationem iactare licuiſſet.

Eccle. 3. Quanto maior es, &c:

Quam humiliter Papatum adortus ſum, quam pedetentim & non ſtatim ad maxima & atrociſsima proſiliebam, multo conceſſo reſipiſcendi tempore? cui rei teſtimonio ſunt primitus Scripta mea in lucem ædita, Nihilominus tamen tam demiſſo adeoq; deiecto vſus ſpiritu hæc effecta reddidi, quæ ἀνθρωποφάγος hic ſpiritus nunquam tentare, aut cogitare auſus eſt, ſed quæ hactenus militariter ſatis defugijt. Cuius quidem fugæ tam non eundem diſpudet rubore perfuſum, vt etiam huius nomine immodicè ſe efferat atq; ſuperbiat.

Pius timor Iob. 9

Et ne quid dicam iactantius, ſteti Lipſiæ diſputans coram periculoſiſsima communione. Sed & Auguſtæ, non impetratis ante promiſsæ ſecuritatis (quas vocant) literis, coram perditiſsimis hoſtibus apparui. Præterea Vuormaciam in Cæſaris & totius ordinis Nobilitatis Germanicæ comitia & conſpectum venire ſuſtinui, tametſi præſciebam

Lutheri mens immota & magnanimum pectus.

fidem

fidem publicam iam ante violatam, & varias inſidias mihi inſtructas eſſe. Vtcunq; hîc infirmus eram & egens, eum tamen animum tunc temporis obtinebam, vt, ſi compertum habuiſſem tot malos Genios aduerſum me direxiſſe ſpicula, quot lateres Vuormaciæ in intectis, tamen ingreſſus aduenissem, quanquam nihil etiamdum neq; de voce cœleſti, aut diuinis talentis & operibus, ſed neq; de Spiritu illo Alſtetino percepiſſem.

Atqui etiam in angulis ſtare coactus ſum ad reddendam doctrinæ & fidei meæ rationem, iam vni iam duobus, mox tribus, quoties & vbicunq; viſum & libitum eſt illis. Liberè enim & in propatulo ſpiritu meo quantumuis infirmo ſtandum fuit, perinde vt campeſtri Floſculo, nec vllum mihi licebat tempus, aut vllam perſonam, nec locum, nec modum, nec menſuram vllam decernere, ſed omnibus exigentibus ex æquo ad dicendam cauſam paratum eſſe, iuxta doctrinam S. Petri.

Priuata certamina Luth.

1. Cap. 4.

Porrò hic ſpiritus Alſtetinus qui tanto nos interuallo poſt ſe relinquit, quanto Cœlum à terra diſiunctum eſt, & qui nos vix dignatur habere pro Lumbricis, ſibiipſi locos non periculoſos, amicos iudices, fauentes auditores & arbitros decernit, recuſans pertinaciter vni aut alteri ſeorſim in angulis reſpondere. Sentit, inquam, aliquid mentis malæ ſibi conſcientiæ præſagio, quod inuito ſentit animo, putatq; inflatis buccis nos conſternatos ſtatim abiecturos animum.

Lucifugi ſe ductores Noctuarũ ſimilimi.

Sanè nos nihil poſſe fateor, niſi quantum à Chriſto nobis da-

Iuxta illud Quid habes 1.Cor. 4.

bis datum fuerit, à quo deſerti etiam Foliorum ſtrepitu metu exanimamur. Hoc ipſo verò præſente, & animum noſtrum ſuo verbo confirmante, huius ſpiritus Thraſonicam iactantiam nihil moramur, tantum abſit, vt formidemus, quam ipſe qualis ſit, forſan ſuo malo propediem ſentiet. Paratus quoq; illuſt: D. V. iubentibus vera relatione exponere, quid inter me & ſpiritum hunc Vuitenbergæ in Muſæo noſtro actum ſit: Quibus expoſitis, illuſtriſs: D. V. & omnes cæteri cuius cunq; per Germaniam ordinis homines clarè cognoſcent, hunc verè mendacem Diabolum, & tamen non minus vilem eſſe & contemptibilem. Peiorem enim non rarò expertus ſum, cuius moleſtijs etiamnum infeſtor. Spiritus enim Thraſonicis verbis ferocientes & glorioſi, parum obeſſe poſſunt, ſuſpenſo verò gradu pedetentim & tacitè irrepentes, & qui malum citius quam ſentitur dederint, ij tandem ſunt noxij & mali Dæmones.

Memorabilis cõmonefactio Viri Dei.

Hæc eo dicta volui, ne Illuſt: D. V. huius Spiritus conſilijs obtinendo ſegniter & negligenter agerent, ſed ſeriò obuiam irent, vt monitus abſtineret ab expugnandis monaſterijs, Eccleſijs diruendis, & Imaginibus violandis feriantes. Cupientes tamen omnino ſuum ſpiritum hominibus teſtatum facere, hoc alia aggrediendum eſſe via ſibi intelligant, ſuum ipſorum ſcilicet ſpiritum alienæ probationi ſubmittendo, ſiue noſtro ſiue Papiſtarum, quandoquidem nos longè peiores inimicos reputant, quam Papiſtas. Quanquam interim quoq; noſtro ſudore parta vtuntur victoria, ducen-

Inſtructio Luth:

Vere Thraſonice:

ducentes vxorculas, & Papiſticas conſtitutiones reſpuentes, quam libertatem ſuo marte non parauerunt, multo minus hanc ob rem vindicandam periclitati ſunt.

Ego porrò hoc diſcrimen capitis mei periculo ſubiui, ego inquam. Video enim hic opus mihi eſſe iactantia, propterea cum Paulo glorior, tametſi multo libentius omitterem, glorióſis hominibus parum æquus, ſi liceret præ mendacium ſpirituum malignitate inglorium tutò quieſcere. Quod ſi iterum pro more ſolito dixerint, ſuum Spiritum eſſe ſublimiorem, & noſtrum humiliorem, quam vt illorum doctrinam percipere queat: Reſpondeo, ſanctum Petrum quoq; non ignoraſſe ſuum & omnium Chriſtianorum Spiritum ſublimiorem eſſe, quam aut Gentilium aut Iudæorum, nihilominus tamen iubet nos paratos eſſe debere, vt omnibus promptè & benignè fidei noſtræ rationem reddamus.

Depredicatio ſuorũ geſtorum.

Quid quod & Chriſtus ipſe probè ſciuit ſe Spiritu excelſiore eſſe, quam Iudæos, iudicium tamen illorum non deuitabat, inquiens: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et ad Annam adductus, ſi male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo &c. Scio etiam & certus ſum Sacrarum literarum me omnibus Sophiſtis & Papiſtis eſſe peritiorem, ab arrogantiæ tamẽ vicio hactenus me ſeruauit CHRISTVS, ſed & poſthac ſpero ſeruabit, ne quo minus recuſem reſpondere, & mei audiendi copiam facere etiam minimo & contemptiſsimo, cum Iudæo, tum Gentili, aut cuicunq; tãdem. Quid verò tandẽ dicemus ſubeſſe cauſæ, quod & ipſi ſuam doctrinam libellis æditis & excuſis inuulgant?

Chriſtus nõ detrectauit inquiſitionem Ioan. 18.

dum co-

dum coram vno autaltero ſtare pertinaciter renuunt. Nam putant ſua ſcripta paſsim euulgata tautum in manus venire communionis inſuſpectæ, non etiam eadem ad duos aut tres ſeorſim perferri.

Mendaces memores eſſe oportebat.

Et profecto non modica me tenet admiratio, qui nam ſui Spiritus obliti homines nunc verbis atq; adeò ſcriptis libellis docere in animum induxerunt? cum tamen ſine fine iactent & clamitent, vnicuiq; diuinam vocem cœlitus audiendam eſſe, è ſublimi nos irridentes, quod Verbum Dei lingua & calomo hactenus tractauerimus, tanquam rem actam egiſſemus. Et habent, quantum ego intelligo, longè ſublimius ipſo Chriſto, Apoſtolis & Prophetis offitium, qui omnes Euangelij negotium, aut lingua, aut ſcriptis tractauerunt, nec vnquam quicquam de audienda cœleſti voce ſuis Chriſtianis propoſuerunt. Ita furit hic veſanus Spiritus, vt nec ſeipſum loquentem intelligat.

N.B.

Spiritus Principalis certitudo.

Hoc ſcio, nos, qui Euangelium habemus & profitemur, quantumuis miſeri ſumus Peccatores, habere tamen Spiritum, aut (ſicut Paulus inquit) primitias Spiritus, tametſi plenitudinem Spiritus nondum obtinuimus, ſed nec alium eſſe Spiritum certum eſt, ſua munera variè & mirabiliter diſtribuentem. Scimus enim quid fides, quid charitas, quid crux ſit. Nec eſt quicquam excellentius & cognitu magis neceſſarium fide & charitate. Qua cognita, iudicare poſſumus, & cognoſcere, quæ doctrina verè Chriſtiana ſit, & quæ ſecus, quæq; fidei conſentanea & quæ diuerſa ſit.

Quem-

Quemadmodum & hunc ſpiritum iudicamus quid breui faciendum ſtatuerit, Scripturam nimirum tollendam, Verbum DEI ore non tractandum, ἐυχαριςίας Sacramentum abolendum eſſe contendit,& nos in ſpiritum ducendos, vbi proprijs operibus & liberi arbitrij viribus Deum impiè tentemus, eius opus expectando, eidemq; tempus, locum,modum, & menſuram nobiſcum operandi ſtatuendo. Adeò enim impiam præſumptionem horum ſcripta manifeſtè indicant, ita vt etiam Διαῤῥήδην aduerſus S. Marci Euangelium ſcribere non vereantur, ita verbis expreſsè poſitis contra Marci vltimum capitulum, ac ſi Marcus impiè de Baptiſmo ſcripſiſſet. Atq; vbi ad eum modum S. Iohannem non auſi ſunt conſpurcare, & coarguere erroris & mendacij perinde vt Marcum, ſcribentem cap. 3. Niſi quis renatus fuerit ex Spiritu ſancto &c. neſcio quid monſtri ex vocabulo aqua ibidem confingunt, reprobandi baptiſmi gratia, qui in aqua fieri ſolet. Munzerinus Spiritus.

Optarim autem ſcire, cum Spiritus ſit impiger & nunquam ſine fructu, & illorum Spiritus multo excellentior eſt noſtro, nunquid etiam excellentiores fructus produceret quam noſter? Et reuera æquum eſſet vt tanto ſit fructuoſior, quanto eſt noſtro melior & ſuperior. Nos porrò docemus, & profitemur, noſtrum Spiritum à nobis predicatum eos producere fructus, quos Paulus ſcribens Gal. percenſet cap. 5. Cuius generis ſunt, charitas,gaudium,pax,lenitas,benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Et vt Rom. Spiritus veri πρόκείμενα.

docet cap.8.quod mortificet opera carnis, & crucifigat Adamũ veterem vnà cũ concupiſcentijs. Et vt paucis cõplectar, fructus noſtri Spiritus eſt decem præceptorũ Dei perfectio.

Argumentum Achilleum.

Porrò Spiritum Alſtetinum,cui noſter collatus nihil eſt, aliud excellentius fide, charitate,patientia &c.producere neceſſe eſt, tametſi Paulus charitatem ſummum fructum eſſe contendat 1. Corinth. 13. & multo meliora facere,quàm fortaſſe à Deo præcepta ſunt. Quæ autem illa ſint cumprimis ſcire velim, cum non ignoremus Spiritum à Chriſto impetratum in hoc dari nobis,vt Dei præceptis ſatisfaciamus, veluti Paulus inquit Roma. 8.

Cauillatio de vitæ diuerſitate.

Quod ſi iterum nobis obiecerint, vitã noſtram non reſpondere doctrinæ,hoc eſt, nos non viuere vt docemus, nec eum habere Spiritum tales fructus producentem. Hæc non grauatè patiar dici ab illis, hoc enim certiſsimũ ſignũ eſt, nullum bonum eſſe Spiritũ ex ſe loquentem.Hoc ipſum ingenuè fatemur ipſi, nec opus eſt diuina voce & excelſiore Spiritu è longinquo petito comprobari, Nos quidem, quæ noſtra eſt infirmitas, non omnia facere quæ facienda forent. Quandoquidem & ipſe Paulus in Gala. 5. putat omnia in perpetuum non poſſe fieri, donec Spiritus & caro ijſdem vinculis conſtricti in terris egerint repugnantes.

Noſce teipſum.

Sed neq; Alſtetini Spiritus fructum illum ſingularem & præcipuum animaduerti hactenus, niſi quod rem temerario auſu agere contendit, monaſteria expugnet, imagines deijciat, charitatem, pacem, patientiam, bonitatem & lenitatem certiſsimos Spiritus ſancti fructus, vita Chriſtianè in-

ſtituta

ſtituta hactenus teſtatos facere neglexit, ea fortaſſe ratione inductus, ne fructus ſpirituales nimium vulgares facti vileſcant. Apud noſtrates verò non parum multos veracis ſpiritus fructus indicare poſſum.

Sed & me ipſum adeò ſolum (qui minimus ſum & peſsimus) non dubitarim opponere omnibus Alſtetini Spiritus fructibus, vtcunq; meam vitam improbus ille Conuitiator illoto ore commaculet. Quæ verò iniquitas eſt, ob alicuius vitam paulo culpatiorem, etiam doctrinam Euangelij vocare & trahere in partem contumeliæ & reprehenſionis? Hoc certè Spiritus ſancti opus non eſt, Spiritus enim ſanctus falſas doctrinas reprehendit, infirmos verò in fide patienter & benignè ſuffert, ſicut Paulus Rom. 14. & 15. acuratè docet. Luth. parrheſia.

Neq; in hoc admodum diſertus aut pugnax eſſe volo, quod ſpiritus Alſtetinus infructuoſus ſit, ſed quod ita mentitur impudenter, & aliam doctrinam erigere conatur. Sed neq; cum Papiſtis rectè docentibus admodum pertinaciter, velim contendere, eorum enim via vitijs inquinata & ſceleroſa, non ita multum nocere poteſt, peſtilens verò eorundem doctrina multis exitio eſſe poteſt. Quia verò hic Spiritus ita effrenis eſt, & improbè ferox, & cui noſtra vita non benè firma & ſancta præbet offendiculum, cuius gratia petulanter adeò doctrinā quoq; noſtram condemnat, ſatis mihi argumenti præſtaſſe videtur, vt putem, ne micā quidem ſpiritus in eo eſſe. Spjritus enim Chriſti neminē iudicat rectè & ſanè docentē, ſed ſuffert, fouet & iuuat eos, qui nondū plenè iuxta Chriſtianæ vitæ perſcriptū viuunt, nec ita ſuperbè ſaſtidit. Iugulum talibus petendū hoc eſt, doctrina.

Luc. 18. miſeros peccatores ſtatim oborta nauſea, ceu Phariſaicum hunc Spiritum facere conſpicimus. Sed hæc ad doctrinam attinent, cui defendendæ olim potior dabitur occaſio.

Muneris predicatorii libertas.

Quod verò præſentis intereſt negotij, nolim ab Illuſtriſs: D. V. predicandi officium præcludi cuiquam. Concedatur ſanè illis libera predicandi licentia, atq; ipſi ſuæ eruditionis optimum quodq; ſpecimen exhibeant. Dixi enim Pauli teſtimonium citando, non poſſe non eſſe ſectas, & verbo diuino in caſtris militandum & luctandum eſſe. Vnde & Euangeliſtas exercitus dictos eſſe conſtat. Pſalm. 68. Et Chriſtus ipſe Rex exercituum in Prophetis non ſemel dictus eſt. Si nunc illorum Spiritus rectus & probatus eſt, omni depoſito timore præ nobis facile ſubſiſtet. Ita noſter quoq; ſi rectus eſt, vt ſperamus, nec illos, nec alium quemquam timebit. Committantur itaq; conceſſa harena, infeſtis haſtis concurrentes Spiritus.

Obiectio de periculis conceſsionis liberæ.

Quod ſi porrò hoc conflictu nonnulli ſeducti fuerint, hoc pro belli conditione ſolita factum eſſe nemo dubitet. Is enim ludus eſt Martis ἄλλος πρὸς ἄλλον. Vbi enim ſtragis ædendæ gratia manus conſerendæ ſunt, fieri non poteſt, quin magna pars cæſa cadat, & multi acceptis vulneribus abeant ſaucij, Qui verò militariter pugnauerit, coronam accipiet. Euangelici vero offitij pomeria tranſgreſſos, & manus continere nolentes, ſed violentia rem agentes, illuſtriſs: D. V. erit offitium, ad eum modo ferocientes & ſeditioſos compeſcere, & citra vlteriorem deliberationis conſultationem extrâ illuſtriſs:

luſtriſs: D. V. ditionis terminos proſcriptione profligare: Dicentes, hoc facile conceſſerimus vobis, vt verbo pugnetis veræ doctrinæ probandæ & examinandæ gratia, manus verò continẽtes, animi ferociam comprimentes, hæc enim noſtri magiſtratus partes ſunt, aut nolentes dicto audientes eſſe, arrepta fuga ſolum mutate.

Nobis enim qui verbi officio præſumus, gladio pugnare nephas eſt, poſteaquam noſtra pugna, quæ ſpiritualis eſt, non de capite periclitando inſtituta eſt, ſed quæ corda & animas diabolo potenter eripit. Sed & à Daniele ſcriptis teſtatum eſt, Antichriſtum ſine manibus conterendum eſſe. Huic ſubſcribens Iſaias cap. 11. prædixit Chriſtum in Regno ſuo Spiritu oris ſui, & virga labij ſui pugnaturum eſſe. Predicare & crucem ferre Concionatoris offitium eſt, non autem vim facere, & obniti inſectantibus. Itaq; neq; à Chriſto neq; à ſuis Apoſtolis legimus aut audiuimus Eccleſias dirutas, & imagines deiectas eſſe, ſed cordibus diuino verbo rectè inſtructis, atq; ab impietate abſtractis, Eccleſias tandem & imagines per ſe corruiſſe. Ita nobis quoq; faciendum eſt, primum animas hominum à Monaſterijs abſtrahere, ijs verò abſtractis, & Monaſterijs deſolatis, Principum erit tandem hac de re ſtatuere pro arbitratu quicquid viſum fuerit.

Arrigite aures Antichriſtiani.

Cap. 12.

Quid verò incommoditatis nobis adferunt, lapidum & lignorum congeries? Nonne vides qua via ego huic rei conſuluerim? Nunquam hactenus ne minimus quidem lapillus à me dirutus aut deiectus eſt, ſed nec vllum combuſtum eſt

Belligerari cum reb: inſenſatis.

mea opera cœnobium. Nihilominus tamen calamo & ore meo omnia penèdeueſtata ſunt monaſteria, etiam ſub Principibus Euangelio parum æquis & fauentibus. Quod ſi rem oppugnationibus fuiſſem aggreſſus, ſicut Prophetæ noſtri, manſiſſent hominum animi, vt prius, per totum orbem captiui, vtcunq; in vno aut altero loco mea oppugnatione concidiſſent monaſteria. Cui verò hoc fuiſſet lucro & vtilitati? Laudem fortaſſe & gloriam hinc, reportare licuiſſet, animarum porrò ſaluti hac ratione minime conſultũ fuiſſet.

Lutheranũ Stratagema

Sunt quoq; permulti putantes plus incommodi per me ſine manibus allatum eſſe Romano Pontifici, quam vllum potuiſſe Regem etiam totis regni ſui viribus. Quia verò ij Prophetæ præ cæteris nullum memorabile facinus ædere potuerunt, quemadmodum libenter voluiſſent, poſthabito animarum liberandarum officio, ligna, lapides, ſculptas imagines, aut etiam pictas vi adoriuntur, & hoc putant mirabile illud & multis ſeculis memorandum eſſe ſanctiſsimi Spiritus facinus.

Moſaicæ præceptiones de tollendis Idolis Exo. 20. & alibi.

Quod ſi iterum obiecerint, in lege Moſaica præceptum eſſe Iudæis, vt omnia ſimulachra & Idolorum altaria ſubuerterent. Reſpondeo: Nec ipſis quidem hoc obſcurum eſſe, Deum per idem verbum, & eandem fidem, perq; diuerſos Sanctos, diuerſorum operum ab initio fuiſſe Authorem. Id quod Epiſtola ſcripta ad Hæbræos explicat, iubens nos Sanctorum fidem imitari, quod omnium Sanctorum opera ſequi nos impoſsibile factu foret. Quod itaq; Iudæi altaria ſubuertebant, deiectis ſimulachris, huius operis faciendi tunc

certum ſignum & mandatum à Deo acceperant, quod hoc ætatis nobis datum eſſe non video. Quo etiam tempore Abraham filium ſuum Iſaac immolare voluit, certum à Deo mandatum habuit, poſtea verò omnes reliqui, quotquot exemplo Abrahæ inducti, ſuos immolabant liberos, grauiter peccabant, qui tale nihil vnquam in mandatis acceperant.

Non licet nobis eius generis operum imitatores eſſe, alioqui cogeremur, eadem opera more Iudaico circumcidi etiam. Et profectò ſi hoc iuſtum eſſet nobis Chriſtianis, perinde vt Iudæis, Eccleſias ſolo æquatas diripere, videbitur pari conſequentia, nec hoc iniuſtum eſſe, vt omnes à nobis occidantur Impij, quemadmodũ Iudæis præceptum erat de occidendis Cananæis & Amorræis, non aliter quam de ſubuertendis imaginibus. Hoc conceſſo & impetrato, non aliũ Alſtetini Spiritus conatum & opus viderem, quam quod terram multorum fuſo ſanguine rubefaceret, & qui cœleſti voci ſeu dicto audire recuſarent, ab eodem crudeliter occiderentur, ne viuentibus impijs in populo Dei manerent offendicula, quæ longè grauiora & deteſtabiliora præſtantur ab hominibus impijs & viuis, quam a ligneis imaginibus aut ſimulachris mutis & mortuis venire poſſunt.

Quæ non mandata, nihil ad nos

Adhæc tale præceptum Iudæis in hoc datum erat, vt populo miraculis & diuinis prodigijs cõprobato, nulli ſcrupulus foret relictus, hunc certò eſſe Dei populũ: Faciebãt verò hæc honeſta ſeruati ordinis poteſtate & Magiſtratuũ officio, nõ ſeditioſè cõglobati. Alſtetinæ verò ſentinæ furentes Nebulones & Spirituspopulũ Dei eſſe nullo miraculo hactenus, probatũ eſt. Præ-

Finis eius modi iuſsionum.

eſt. Præterea turbas contrahit, ac ſi ſolus eſſet Dei populus, & contempto magiſtratu à Deo ordinato, ſine datis à Deo mandatis, ipſe hanc diruendarum imaginum prouinciam temerè & perperam aggreditur, volens atq; imperans ſpiritui ſuo certò credendum eſſe.

Methodus medendi malis.

Offendicula per verbum Dei, & non alia ratione, tollenda ſunt. Quanquam enim omnes externæ offendiculorum occaſiones ſubmoueantur è medio, hominum verò animis nondum ab impietate detractis, & veram fidem amplexis, parum eſt illas externas ſcandalorum cauſas ſubmotas eſſe. Cor enim incredulum ſubinde nouas offendiculorum occaſiones adinuenit, quemadmodum & inter Iudæos hoc vſuueniſſe nemo eſt qui neſciat, adeò, vt vbi vnius Idoli ſimulachrum diruiſſent, eius loco alibi decem idola conſtituerent. Hanc ob cauſam in Nouo Teſtamento, diaboli expellendi, & offendiculorum tollendorum vera ratio amplectenda eſt, nimirum verbi diuini predicandi exercitium, quo corda abſtrahuntur, quibus abalienatis, diabolo vna cũ tota pompa & poteſtate ſua per ſeſe peſſumeundum eſt funditus.

Theologus ſit Superadtendens & Monitor. Ezech. 33.

Finem Epiſtolæ faciã, Illuſtriſs: D. V. humiliter obſecrans, velint ſeriò his furentibus & temerarijs hominibus obuiã ire, quo diuini verbi gloria adeò ſola hac in re dominiũ obtineat, noſq; vt Chriſtianos decet eiuſdem armis ſolum pugnemus, omnium ſeditionũ concitandarũ feneſtris præcluſis, & occaſionibus ademptis, ad quas alioquin vulgus plus ſatis efferata natura propenſum eſt. Haud enim Chriſtiani ſunt ij cenſendi, qui præter officium verbi quod obire debebant

aſsiduè etiam pugnis & violentia vti volunt, & non multo magis ad ferendam iniuriam, quam ad reddendam eſſe parati: Tametſi ſexcentis ſpiritibus (vt iactant) ſint pleniſsimi. Dextra DEI Illuſtriſs: D.V. fortificet & cuſtodiat ſemper, Amen. Datæ die 21. Auguſti, Anno M.D. XXIIII.

Illuſtriſſ: D.V. obſequentiſſ:

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO GERBELLIO.

Gratulatur Lutherus apud Argentinenſes exoriri Euangelii lucem, ſignificatq́; Euangelium etiam doceri Magdeburgi & Bremæ, ac conquæritur de Prophetis cœleſtibus.

GRatia & pax in Domino. Cum nihil haberem, optime Gerbelli, quod ſcriberē, viſum eſt, vt hoc baiulo occurrente, ſalutarem te & rogarem, vt omnes fratres & ſorores in Domino ſalutares, exhortareris, & me orationibus eorum commendares. Audio enim verbum apud vos penè regnare certè apud nos paſsim latius currit ac longius quò magis prohibetur. Occupat iam Magdeburgam & Bremas mox Brunſuigum ſpero migrabit, præſertim, cum Princeps illis Heinricus, ante infenſiſsimus, iam in alium virum eat. Lonicerum noſtrū arbitror meas literas recepiſſe, audioq́; alium eſſe nactum herum ne Dominus eum deſereret. Sathanas apud nos alio tamen loco ſectam erigit, quæ nec Papiſtas nec noſtros ſuſcipit, Spiritibus ſeſe ferri iactant puris ſine Scripturæ ſc: teſtimonio, inde cernitur. Verbum noſtrū verè eſſe verbū DEI, cum iam non modo vi, ſed & hæreſibus nouis

Noua ſecta cœleſtium Prophetarū

vexetur. Saluus itaq; ſis perpetuò cum coſta tua, ſalutaq; omnes in Domino. Vuitembergæ, ſexta Maij, M.D.XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Deridet quendã qui cum Bulla quadam Vuitembergam venerat, eamq; typis euulgari petierat. Poſtea de cauſa Leimbachiorum, & de Melchiore Lotthero agit. Facit etiam mentionem Tragædiæ Orlamundanæ cum Carolſtadio, quem in reprobum ſenſum traditum eſſe affirmat.

GRatiam & pacem. Inanẽ iuſsi ad te redire nuntiũ iſtum, quem miſeras cum Bulla, mi Spalatine, tu quoq; ſi deinceps eum miſeris ſimul ſignifica, de quorum Regum ſanguine ſit natus, aut quæ Imperia tam magnus vir poſsideat, vt ſciam qua ſpecie latriæ mihi colendus ſit tam Imperialis vir. De Bulla vulganda quid opus eſt conſulere? permittatur vt publicet vbi velit, nec enim Bulla hoc exig t vt defendatur à Principibus, ſi volunt rideri cum ſuis bullis, quis eſt qui eos prohibet? imò cooperemur potius. Leimbachij poſtularunt reſponſum, ego quod ex te audiui eis dixi, ſcilicet, conſtituiſſe Principem vt aliquando cauſa finiatur, video eos premi penuria, cum ſint honeſti viri, præſertim mulier egregia & digna eſt, cui ſoli hoc detur officij, propter prolem quoq; copioſam. Igitur adiuua ne ſic deſerantur, aut in longitudinem dierum differantur. Melchiorem Lotter audio quoq; apud Principẽ eſſe malè traductum, quid obſecro opus eſt afflictionem addere afflictio? parcamus etiã aliquando, ſatis habet pœnæ & mali. Quare eſto mediator bonus, & ſi opus eſt, vt ipſe ſcribam pro eo, lubens faciam. Tragœdiam Orla

mundenſem

mundenſem credo ex iuniore Principe ſatis acceperis, breui enim ſcribi Epiſtola non poteſt. Carolſtadius traditus eſt tandem in reprobum ſenſum, vt deſperem eius reditum, ſemper alienus à gloria CHRISTI fuit, eritq́; forte in perpetuum. Huc perpulit eum inſana gloriæ & laudis libido, Infenſior mihi, imò nobis eſt, quam vlli hactenus fuerint inimici, vt putem non vno diabolo obſeſſum miſerabilem illum hominem, DEVS miſereatur eius peccati, quo peccat ad mortem, Vale & ora pro me. Vuitembergæ, 13. Septembris, Anno M.D.XXIIII. Martinus Lutherus.

Cur Carolſtadius ab Euangelio deſerit.

D. DOCTORI IOANNI HESSO Vratislauienſi.

Quæritur de Principum Auaritia, qui prætextu. Euangelii ad ſe rapiunt bona Eccleſiaſtica & priuato commodo ſeruiunt, cur Senatui Vratislauienſi nondum ſcribat ſe excuſat.

GRatiam & pacem. Nihil mirũ ſi Principes in Euangelio ſua quærant, & raptores noui raptoribus veteribus inſidienter, Lux orta eſt, qua videmus quid ſit Mundus, nempe regnum Sathanæ. Sic & Paulus quæritur, illos omnes quærere, quæ ſua ſunt, porrò hæc ipſa nos animare debent, quod omnia reſpondent priſcis exemplis Euangelij. Senatui vrbis veſtræ nondum videtur ſcribendum, aut alio tempore ſcribam. Ego ſanè ſufficere non poſſum, tot ſcribendi officijs, & multa cogor ſine ſcriptis relinquere, tu autem vale, & pro me ora, Vuitembergæ, Anno M.D.XXIIII.

Vratislauienses amplectuntur Euangeliũ.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Suum ſcribit Iudicium de libro Carlſtadino, qui anonymos prodierat mala fide & calumnioſe, referẽs acta Lutheri cum Ihenenſibus & Orlamundanis ſpiritibus,& exponit ſuum conſilium, qua tolerantia & quam ob cauſam,deuorare velit iſtas iniurias.

GRatiam & pacem. Mihi vehementer placet libellus de Actis meis Ihenenſibus & Orlamundenſibus, hoc nomine, quod video homines malæ fidei & conſcientiæ metuere ſibi,& in hoc præuenire voluiſſe,& gloriam præripere, & opinionem mei lædere. Id quod illius ſpiritus ingenium ſolet, ſed quia futurum eſt, vt Carlſtadius prodeat, & liber ſic mendatijs mixtus cum veritate ſine nomine prodit, patientia ſuperandus & deuorandus eſt, ne gloriam & vindictam videar quærere,atq; ne Principali cauſa amiſſa ad contentionem de rebus noſtris ſcribendo veniamus. Tales enim libros ſcribere, nihil docere, nihil prodeſſe eſt, ſed gloriam captare & vulgus mouere, quod propriè Carlſtadianum eſt. Ego multo melius vellem ornare eiuſmodi librum,ſed CHRISTVS tandem iudicabit cauſam ſuam.Mihi quoq; meus ferendus eſt Abſolon.Vale feria 2.poſt Michaelis. Anno M.D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO GERBELLIO.

Erudit Gerbellium,ne miretur ob Diaboli immenſam Tyrannidem & potentiam, Affirmat & Carolſtadium Diaboli mancipium eſſe,ac propter vanam gloriæ cupiditatem veritati aduerſari,ac contra eum oratione pugnandum eſſe.

GRatiam & pacem in CHISTO. Sub Principe, imo DEO huius mundi fieri ea quæ tali DEO digna ſunt, & aduerſaria DEO vero, mi Gerbelli, quid eſt quod miremur nos qui ſcimus, quam non fruſtra nec falsò ille qui non mentitur, tantum Sathanæ tribuat, vt eum appellet Principem ac DEVM, non vnius gentis, ſed totius mundi ſcilicet? Quod nos velit admonitos, id non eſt mirandum potius, ſi vel paucæ reliquiæ ſupereſſe poſsint, ſub tanta tyrannide, quæ rectè ſapiunt, & ſaluæ fiant, vt opus mirabile DEI veri excellentius emineat. Proinde rectè facit Carlſtadius, vt olim Sathanæ traditus, tandem prodat ſui DEI myſteria. Huc nihil perpulit hominem, quam toties per Chriſtum impedita gloriolæ vanæ indomita libido, qua ardet cor iſtud inextinguibiliter. Proinde noſtrum eſt, iuxta doctrinam Pauli, ſecuros agere, nihil ſolicitos eſſe, ſcientes, quia Dominus propè eſt, tantum vt præcationes noſtræ cum Gratiarumactione innoteſcant apud DEVM. Neq; enim eo fœlicius pugnabimus aut vincemus, quo magis angimur aut ſoliciti ſumus. Nec eo infœlicius cademus, ſi læti ac hilares fuerimus. Triſtitiam relinquamus cum ſolicitudine ſpiritui Carlſtadij. Nos iſtam pugnam velut alia agentes ſuſtineamus, cauſa DEI eſt, cura DEI eſt, opus DEI eſt, victoria DEI eſt, gloria DEI eſt, ſine nobis pugnabit & vincet. Quod ſi nos dignabitur pro armis ſuis apprehendere, proni libenteſq; erimus. Hæc ſcribo vt horter te & per te alios, ne Sathanã formidetis, nec conturbetur cor veſtrum. Si iniuſti ſumus, quid iuſtius quam vt opprimamur?

Carlſtadius Seruus Diaboli.

mur? Si iuſti, iuſtus eſt DEVS qui educet iuſtitiam noſtram tanquam meridiem. Cadat itaq; quod cadit, ſtet quod ſtat, res noſtra non agitur, qui nõ ea quæ noſtra ſunt quærimus. Vale mi Gerbelli & ora pro me Vuitembergæ Sabbatho poſt Lucæ. Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Mittit Formam Scholæ Principi Friderico Electori proponendam, ac indicat ſe nihil quidquam adhuc ſtatuiſſe de mutandis impiis ceremoniis in Templo arcis Vuitembergenſis.

GRatia & pax in Domino. Remitto tibi libellum tuum, mi Spalatine, ſimul & formam Scholæ Principi proponendam, non magna ſpe, tamen tentandum in nomine Domini. De mutandis impijs ceremonijs in arce, pecunia indignè ſuſtentatis, nihil dum ſtatui, erit tempus cùm DEVS volet & de his conſultandi, interim vale in Domino, Vuitembergæ feria 2. poſt Galli, M.D.XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Rogat Spalatinum vt Pauperis cuiusdam Fœminæ cauſam de aliquot modiis Siliginis, quos a Quæſtore ex Principis horreo mutuo acceperat, diligenter agat apud Principem. Carolſtadium binas ſcripſiſſe literas ad Orlamundanos valde patheticas & acerbas in Lutherum indicat.

GRatia & pax in Domino. Ecce tibi Argulæ literas, quæ & mihi & Philippo ſcripſit, meminit reſponſionis ſuæ cuiuſdam aduerſus Ingolſtadienſes, ſed nondum vidi. Cæterum

rum mandaueram nuper Lucæ, vt pro paupere Mochinna illa apud Principem ageret, quæ à Quęſtore vexatur pro 10. modijs Siliginis; ex Principis horreo, mutuo acceptis, quorum 4. redditos ille negat & vrget ſimul reddere, cum redditos poſsit illa probare. Deinde reliquos ſex promittit reddere alio anno, hoc anno non poteſt, ſic ſæuiente Albi, perijſſe eis in agro etiam conſtat ſata eius hoc anno, niſi volet eam & pane & ſemine prorſus priuari etiam pro futuro anno. Bona & proba ſed miſera mulier eſt, viro inutili (vt ſcis) iuncta, rectè feceris itaq; ſi pro ſegni Luca tu hanc rem illi impetraueris. Carolſtadius literas Orlamundæ ſcripſit, alteras viris, alteras fœminis, quæ publicè vocatis per campanas lectæ ſunt omnibus ſimul flentibus. Erat autem ſubſcriptio talis, Andreas Bodenſtein **vnuerhort vnd vnuberwunden durch** Martinum Lutherum **vertriben** / tantum ſcribit mihi Rector C. Glatius ex Orlamunda. Vale, Dominica poſt Symonis & Iudæ, Anno M.D.XXIIII.

Martinus Lutherus.

DOMINO GOTSALIGO CHRISTI fideli Seruo apud Zellam.

Excuſat ſe, quod hactenus Gotſaligo non reſponderit, ac gratulatur illi conditionem Eccleſiaſticam in vrbe Ducum Lunenburgenſium Zella, ac monet puſillamitatem Ducïſſæ Margarethæ, Sororis Principis Friderici Electoris Saxoniæ, ferat, conquæritur etiam de Bauarica perſecutione, & de D. Carolſtadii furoribus & monſtris.

Gratia

GRatiam & pacem in Domino. Semel tandem tuis ternis literis reſpondeo, mi Gotſalige, quarum priorem ex Arce Hoya, reliquas ex Cella datas accepi, ſed ſemper ita euenit vt Nuntij non poſſent referre literas meas aliò ſcilicet acti, & ego ad te aliâs pertingere non potui. Gaudeo ſanè te Cellæ eſſe, ac meam commendationem tibi profuiſſe. Matrona ſatis bona eſt Domina Margaretha, fortiter etiam â fratribus ſuis principibus noſtris monita, non tantum â me, verum mulier longa Monachorum Tyrannide ſic contritam habens conſcientiam & pauidam, vt breui reparari non poſsit. Interim ſatis eſt eò perueniſſe, vt verbum ferat ac non perſequatur, quare feres eius puſillanimitatem. In Bauaria multum regnat crux & perſecutio verbi, etiam non palam ſeminati, ita ſæuiunt illi Porci, ſed ſanguis fuſus ſuffocabit eos. Carolſtadius ſeſe martyrem gloriatur â me factum ac fugatum, totusq; furit in nos, noua monſtra parans miſer, quod aluit diu, tandem parere cepit, ſed ſectas eſſe oportet. Nam illum Tho: Munzerum audiſſe te credo, Tu vale & ora pro me, Vuitembrgæ, Dominica poſt Symonis & Iudæ Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Vt locos Philippi (quod ante annum quibusdam rogantibus hanc operam receperat) in Germanicum transferat, otium ſe non habere. Ad librum Sicophanticum per Martinum Reinhardum Ihenenſem predicatorem in ſui ignominiam, & ad ornãdum Carolſtadium æditum, ſe non reſponſurum,

reſponſurum, Carlſtadium Inuectiuam in Lutherum ad Orlamundanos ſcripſiſſe. Lutheranos ab Egrano quoq; iniuſtæ Tyrannidis accuſari. Carolſtadii dogma de Sacramento latiſsime eſſe ſparſum. Plebanum Calenſem ad mentem ſaniorem rediiſſe, Martinum Ihenenſem eiectum mendicando viaticum collegiſſe nuntiat.

GRatia & pax. Tardè reſpondeo, mi Amsdorffi, nuntiorum inopia, dicito igitur Ioanni Loro & vxori, ne vllum ex me periculum ſibi metuant. Nihil minus ago, quam vt locos Philippi transferam, quanquam ante annum id à me poſtulatum, & à me receptum fuerat, tamen aliјs obrutus negotiјs in ſpongiam cadere ſiui, quicquid id erat inſtituti operis, cum noſtris prælis quotidiano & præſenti opere ſatisfacere nequeam. Orlamundæ acta nequiter ædidit Martinus Reinhardus Ihenenſis Predicator in meam ignominiam & Carolſtadiј gloriam, ideo non reſpondeo, ne mea quæram & gloriam illi ſtudeam auferre, cum nihil ibi de cauſa agatur. Carolſtadius interim ſcripſit Orlamundenſibus, addita quoq; ſeorſim ſubſcriptio erat, Andreas Bodenſtein vnuerhort vnd vnuberwunden / vertriben durch Martinum Lutherum. Vides quod ego qui martyr debui fieri eò perueni, vt martyres ipſe faciam. Egranus quoq; Martyrium iactat, ſcribens ſe expulſum tam à Papiſtis quam Lutheranis. Vix credas quam latè ſerpſerit iam etiam dogma Carlſtadiј de Sacramento. Plebanus Calenſis reſipuit & veniam petit, dum eſſet & ipſe iuſſus terra cedere, ſcripſi pro eo neſcio an impetrem. Martinus Ihenenſis iuſſus cedere, plorans valefecit in cathedra, ſupplicansq; pro venia, quinq; florenos pro

Dogma Carolſtadii de Sacramento.

reſponſo accepit, deinde per oppidum mendicare procurans 25. Groſſos accepit. Arbitror hæc in bonum omnium Concinatorum fieri, vt ſimul tentetur ſpiritus eorum, & ſimul diſcant cum timore predicare & agere. Vale & ora pro me, Vuitembergæ feria 5. poſt Criſpini, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Petit reddi certior, an Elector Saxoniæ Dux Fridericus velit diſsipatam iri Academiam Vuitembergenſem, (ſicuti fama ea de re increbuerat) Interpretatur etiam locum de Sacrificio placito Deo & oblatione munda in omni loco, &c. & refert iudicium & cenſuram ſuam de liberi arbitrii libello Eraſmi.

GRatia & pax. Id quod nuper dixi, mi Spalatine, iterum dico & moneo, vt diligenter explores, ſit ne animus Principis, vt labatur & ruat iſta Academia? Quod eò libentius ſcirem, vt eos qui aliorſum vocantur quotidie, non fruſtra retineam. Nam ea fama iam ſic percrebuit, vt Nurmbergenſes per ſubornatos pro Philippo euocando ſolicitent, ſic planè perſuaſum habent & ſcribunt fore vt deſeratur hæc Schola. Scis autem Principem neq; cogi debere neq; poſſe. At interim dum cunctatur perit nihilominus quod perit, & negligendi non ſunt alij, quibus in tempore conſuli poteſt. Nihil poſſum promittere exemplaris illi Benedictinenſi vxorato cum noſtros ne dimidio quidem explere queam, libenter facturus omnia ſi poſſem modo. Sacrificium Iuda & Iheruſalem

ſalem placitum DEO, & oblatio munda in omni loco, ipſum eſt quod Paulus Rom. 15. iactat dicens, Sanctifico Euangelium CHRISTI, vt oblatio Gentium fiat accepta. Nam Euangelicum miniſterium, quo ſanctificatur, glorificatur, predicatur DEVS, eſt ſumma omnium ſacrificiorum veterum, Hæc enim mundiſsima eſt oblatio. Quid enim verbo DEI, quo ſacrificatur ſacrificium laudis DEO, mundius? eo autem ſacrificio & nos offerimur, dum per verbum vetus homo crucifigitur, & nouus DEO totus offertur in fide. Hoc autem ſacrificium & nullum aliud eſt in omni loco, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & predicatum eſt in omnem creaturam, ait Paulus. Vetera autem, quia erant opera & non verbum nec virtus verbi, eatenus erant munda, quatenus is qui offerebat, per ſeſe verò immunda neminem mundant. Hæc autem Sacrificia mundant ſacrificantes & ſacrificata. Caſpar Tauber placuit, CHRISTO gratiæ, incredibile eſt quam faſtidiam libellum de libero arbitrio, nec dum vltra 2. quaterniones eius legi, moleſtum eſt tam erudito libro reſpondere tam eruditi viri. Vale & ora pro me. Vuitembergæ feria 3. omnium Sanctorum M.D.XXIIII.

Sacrificium placitum Deo & oblatio munda.

Pſalm. 19.

Lutheri iudicium de Eraſmi Liberi arbitrii Libello.

Martinus Lutherus.

NICOLAO HERMANNO.
in valle Ioachimica.

Dat Ni. Her. conſilium, an ipſi ex valle Ioachimica cedendum ſit nec ne.

GRatiam & pacem in Domino. Conſuluit me M. Stephanus tuo nomine, mi Nicolae, an è valle cedendum ſit tibi compoſitis actis & cauſis. Ego verò cenſeo, poſtquam Dominus tibi iam dederit gratiam, vt præteritum caſum patienter viceris, perſeuerandum tibi eſſe, præſertim cum ſeſe iam amicos exhibeant, vt ſcribis, donec in finem omnia vincas. Quis ſcit, quid DEVS ſuper te cogitet, aut quid per te facturus ſit? Noſti illud Salomonis, SI PLACVERINT DOMINO VIAE VIRI, ETIAM INIMICOS EIVS CONVERTET AD PACEM, vince itaq; bono malum, & cum bonitate expedias te & Fide iuſſores tuos, valedicto ſtricto illi (vt dicunt) iuri & rigori. Diligēter te cōmendaui Dominę Capitaneæ, cum hîc eſſet, ſi velis eam meæ cōmendationis cōmonefacere, & ea vti licebit, videbatur mihi vltro fauere & tibi & Stephano. Ego verò has literas violentas & fraudulenter raptas & inuulgatas, non ſolum apud illam verbis expoſtulaui, ſed & literis apud Capitaneum, ſignificans mihi vehementiſsimè diſplicere & iniquiſsimè eſſe factum, atq; ſatis fortiter egi cauſam tuam, vt ſpes ſit omnia fore meliora tandem operante CHRISTO, in quo benè vale & ora pro me peccatore. Vuitembergæ, 6. Nouemb. M.D.XXIIII. Martinus Lutherus.

Proue. 16.

GEORGIO SPALATINO.

Petit a Spalatino, vt vna cum Ioanne Doltzig ſuas adiungat operas in Pſalmis aliquot ad cantilenarum formas transferendis in vſum & ad captum vulgi, vt vel hoc modo vulgus diſcat verbum Dei, abſq; magno negotio, eaq; ratione doctrinæ cœleſtis cognitio inter homines conſeruetur ac propagetur.

Gratia

GRatia & pax. Conſilium eſt exemplo Prophetarum & priſcorum Patrum Eccleſiæ, Pſalmos vernaculos condere pro vulgo, id eſt ſpirituales Cantilenas, quo verbum DEI vel cantu inter populos maneat. Quærimus itaq; vndiq; poëtas, cum verò tibi data ſit & copia & elegantia linguæ Germanicæ, ac multo vſu exculta, oro vt nobiſcum in hac re labores, & tentes aliquem Pſalmorum in cantilenam transferre, ſicut hîc habes meum exemplum, velim autem nouas & aulicas voculas omitti, quo pro captu vulgi, quam ſimpliciſsima, vulgatiſsimaq́;, tamen munda ſimul & apta verba canerentur. Deinde ſententia perſpicua & Pſalmis quam proxima redderetur, liberè itaq; hîc agendum & accepto ſenſu, verbis relictis, per alia verba commoda vertendum, Ego non habeo tantum gratiæ, vt tale quid poſſem, quale vellem. Itaq; tentabo, ſi tu vel Heman, vel Aſſaph, vel Iedithum ſis. Idem peterem à Ioanne Doltziko, qui & ipſe copioſus & elegans eſt, ſic tamen, ſi vobis otium fuerit, quod ſuſpicor modo non eſſe tantum. Habes autem meos ſeptem Pſalmos pœnitentiales & commentarios, è quibus ſenſum Pſalmi capere poteris, aut ſi placet aſsignari tibi Pſalmum primum, Ita, Domine ne in furore, vel ſeptimum, Domine exaudi orationem. Ioanni Doltziko Pſalmum ſecundum, item, Beati quorũ, aſsigno, nam de profundis, à me verſus eſt, Miſerere mei iam prędeſtinatus fieri, vel ſi hi difficiliores ſunt, arripite illos duos, Benedicam Dominum in omni tempore, Et exultate iuſti in Domino, id eſt, 33. & 32. vel Pſalm. 103.

Benedic anima mea Dominum. Reſponde verò quid nobis in vobis ſit ſpei. Vale in Domino, Vuitembergæ Anno M.D.XXIIII. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Adhortatur Spalatinum, ne deſerat Aulicam vocationem, eumq; conſolatur vt vincat Sathanæ Tentationes de deſerendo ſuo miniſterio.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Vide vt cogitationes faſtidij vincas aut contemnas, quibus de miniſterio verbi deſerendo fatigaris. CHRISTVS vocauit te, huic cede, ſerui & formare pro ſua bona voluntate, quod facis neſcis modo, ſcies autē poſtea: Mera tentatio eſt, quam quare pateris non ſatis agnoſcis, Nos qui tui ſpectatores ſumus melius videmus. Itaq; non tibi ſed nobis potius credere debes, qui in Domino & coram Domino, imò Dominus per nos te alloquitur, ſolatur, & hortatur. Neq; enim aliud ſpectamus quā gloriam & voluntatem Domini nō noſtrum commodum, aut quicquam tale in tua vocatione. Certum deniq; ſignum non ingrati DEO miniſterij tui, neq; infructuoſi apud homines, quod de faſtidio eius ita tentaris. Si enim DEO ingratum eſſet, anhelares & ambires potius, ſicuti faciunt qui DEO ingrati ipſoq; inuīto currunt cum non mittantur, loquuntur cum nihil ſit eis mandatum, Ita fit, vt Sathanas eos quos videt gratos, tædio & faſtidio retinendi tentet, quos verò ingratos, ſtudio & impetu ambiēdi inflāmet. Quare vir eſſe debes fortis & faſtidii ſpiritum animoſè contemnere. Ora verò

CHRISTVM

CHRISTVM & aderit tibi, Orabimus & nos mutuò. Vale, 3. Septembris, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI HESSO.

Confirmat Doctorem Heſſum, vt animum paratum habeat ad ſuſtinendas varias adflictiones propter doctrinam verbi. Deinde cauſam oſtendit, cur non ſcribat adhuc Senatui, quod officium Heſſus rogarat. Poſtremo conſolatur ipſum, promittens auxilium a Deo, & ſuam quoq; operam illi deferens.

GRatia & pax in Domino. Qui te vocauit ipſe te confortet & perficiat Amen. Ecce conſolationem tui ex me, optime Heſſe, nam quam tu ex me petas inſtitutionem, non ſatis intelligo, omnia mea in libellos effuſa ſunt, quos habes & vides. Deinde Timothei & Titi Inſtitutiones habes Paulinas, & omnium Apoſtolorũ Chriſtianam Mat. 10. quid vis amplius? Aſcendiſti igitur in nauẽ cum CHRISTO, quid expectabis? Serenum? Imò ventũ & procellas & fluctus nauem operientes, vt mergi incipiat, ſed hoc baptiſmo baptiſandus prius es, tum ſequetur Serenum, excitato & implorato CHRISTO, qui ſaltem dormiet aliquando. Senatui ſcriberem, ſed neſcio quis animi affectus moratur, vt primum res iſta verbo DEI per tuum miniſterium tentanda eſſe videatur, ne nimis feſtinaſſe videaris ad pacem & Serenum. CHRISTVS etiam impium creauit ad diem malum, in quo noceat, ſeducat, fallat & perdat eos qui ita digni ſunt: Vbi verò aliquantum depugnaſti verbo, aderit ille, adero & ego, ſi quid in me fuerit. Vale igitur in Domino, & canta illud Viriliter agite & confortetur cor veſtrum, & ſuſtinete Dominum omnes

omnes qui ſperatis in Domino, Amen. Vuitembergæ, feria 4. Anno M.D.XXIIII. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Aut vtramq; ſpeciem cœnæ Domini ſumendam, aut prorſus ab eius vſu abſtinendum eſſe, Cum haud facile Princeps, vel tota etiam Aula illuſiones populares Bennonii Idoli prohibere queant vllis edictis, ad eas vt conniueant hortatur, Carolſtadium vocatum Vuitembergam ingreſſum eſſe, a ſe autem nondum conſpectum nuntiat.

GRatiam & pacem. Sic alijs & ſemper conſulo, ſi quis verbo DEI cõſcientiam adeptus ſit, vt non poſsit vnam ſolam ſpetiem ſumere, & tamen ſic infirma eſt eius fides, vt metu hominum, vtramq; non audeat ſumere, interim abſtineat in totum, cum nullum ſit ibi periculum omiſiſſe totum Sacramentũ. Ineptijs illis de Bennone ſanctificando vos Aulici melius noſtis illudere quã nos, vt qui eſtis his Tentatoribus ciuiliter refutandis callidi & experti. Mihi tamen videtur, non eſſe in manu Principis præſtare quod petitur, præſertim hoc ſeculo, & ſic moratis & affectis hominibus, cum ne Cæſar & imperium hactenus, nec ipſe Dux Georgius in terra ſua potuerit aut poſsit. Nam ego ipſe ſimul vt Schedulã inſanã affixam percepero, ædito ſermunculo non prohiberi me ſinã, quin monendi cauſa iſtas tentationes ſathanæ inuadam, ſine itaq; vt affigant, certè vt non cõtumelijs vexentur, prohiberi non poterit ſolo edicto, ac vix etiam armata manu obſeruante ad ſchedulã dies & noctes aſsiduè. Aliud non habeo. Carlſtadius ab Vniuerſitate dicitur vocatus Vuitembergam, Sabbatho ingreſſus, nec dum hominem vidi, Vale in Domino, M.D.XXIIII. Martinus Lutherus.

Sanctificatio Bennonis.

EPISTOLA D. M. LVTHERI PRAEfixa Commentario D. Ioannis Pomerani in Pſalterium.

Inſigni Encomio ornat commentarium D. Bugenhagii Pomerani, quem vult omnibus eſſe quam commendatiſsimum, & propter quæ impedimenta inchoatum ſuum commentarium in Pſalmos abſoluere non poſsit, oſtendit.

GRatia & pax pio lectori. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos hoc ſeculo rurſum benedixit omni benedictione ſpirituali cæleſtium rerum, & abundantia frumenti & vini electorum ſuorum nos ſatiat, miſſoq; verbo ſuo lique facit Criſtallum, pruinam & nebulam, ante quorum frigus hactenus nemo potuit ſubſiſtere. Ex eorum numero eſt & hic Ioannes Pomeranus Epiſcopus Eccleſiæ Vuitenbergenſis, voluntate Dei & Patris noſtri, per cuius miniſterium tibi, chariſsime lector, donatur hoc Pſalterium Spiritu Chriſti, qui eſt clauis Dauid, reſignatum. Quod vt multis verbis ornem, non eſt operæ pretium, quod abunde ſatis tibi (ſcio) commendatum erit, non meo teſtimonio, ſed ſuo ipſius argumento, quo te coget (ſi legeris) teſtificari, Spiritum eſſe, qui loquitur myſteria hæc à tot ſeculis abſcondita. Nam vt conferri poſsit tam priſcorum quam recentiorum commentarijs, etſi odioſum eſt ſtatuere, audeo tamen dicere, à nemine (cuius extent libri) eſſe Pſalterium Dauid explicatum, eſſeq; hunc Pomeranum primum in orbe, qui Pſalterij Interpres dici merea-

tur. Adeò cæteri ferè omnes tantum opinionem quiſq; ſuam eamq; incertam in hunc pulcherrimum librum congeſsit. Hic verò Iudicium Spiritus certum te docebit mirabilia. Porrò & ego aliquando in hoc libro cepi operam impendere, ſed Papiſtarum Tyrannis ſuſpendere me coegit organum meum in ſalicibus Babylonis iſtius, verum Chriſtus meam ſortem vindicauit glorioſè. Nam loco mei vnius, cuius ſtillas noluit ferre Satan, cogitur plurium & maiorum ſuſtinere tonitrua & cataractas, ita me oportet minui, illos verò creſcere. Quare non eſt, optime lector, vt meum expectes pſalterion amplius, ſed mecum gaude, gratulare & gratias age Chriſto Saluatori noſtro, qui pro vno Luthero paupere & tenui, iam ipſiuſmet Dauid, Iſaiæ, Pauli, Ioannis, atq; adeò ſui ipſius tibi ſpem, imò rem & copiam fecit clarè & palam videndi, audiendi & palpandi, non vnius tantum calamo aut lingua, ſed exerciti multo vt Pſal: 67. ait, Gratia tecum Anno M. D. XXIIII.

Lutherus cœpit commentari in Pſalterium.

GEORGIO SPALATINO.

Quo dicto Scripturæ Zacharias Ioannem Huſs vexarit pro defendenda authoritate Papæ narrat. Cauſam Matrimonii inter N. N. maritum moroſiſsimum & vxorem eius rogat per Spalatinum Principi commendari. Noua de defectione Conſtantiæ ad Heluetios. Item de Appellatione coniugum Sacerdotum Argentoratenſium contra ſuum Epiſcopum perſcribit.

Gratia

GRatia & pax. Locus Ezechielis 34. eſt in medio, vbi dicitur, Ecce ego ipſe ſuper Paſtores dicit Dominus &c. quo Ioannem Huſs à Zacharia fuiſſe vexatū, retulit ſeſe audiſſe Staupitius ex Andrea Proles, ſicut noſti. Cæterum hanc Schedulam obſecro cum adiuncta ſupplicatione cures Principi offerri, & age vt reſpondeatur. Ego enim etſi inuitiſsimus his cauſis matrimonij miſcear, tamen deſidia & tyrannide vtriuſq; Poteſtatis hactenus res ſic eſt in profundum demerſa, vt ipſo CHRISTO opus ſit iudice & conſule. Cogor itaq; ſeruire miſeræ neceſsitati, quam & tu ne detrectes rogo. Fama eſt apud nos vltra iſtos tres Ferdinandi ſeruos, quatuor alios eiuſdem Ferdinandi repertos in vna arbore ſuſpenſos, cum armis & calcaribus in nemore Nurmbergenſi. Et Conſtantiæ defectio ad Heluetios narratur tentari, ob Fabri violentiam. Sacerdotes coniuges Argentorati vehementem Appellationem ædiderunt contra Epiſcopum ſuum, quam mittam breui, O Principes & Epiſcopos peſti futuræ deuotos, qui in tanto rerum & annorum motu, non cogitant, quid Deus illis minetur, quin vltro vrgent & accerſunt ſibi malum. Vale & ora pro me Vuitenbergæ Anno M. D. XXIIII.

Appellatio Sacerdotū coniugum.

Martinus Lutherus.

CASVS MATRIMONII SIC HABET.

Exponit caſum Matrimonii inter N.N. & vxorem eius, & quam in illo tulerint ſententiam, cui cum aduerſetur Magiſtratus Vuitenbergenſis

 petitur,

petitur, vt Princeps ſuam in hac cauſa autoritatem interponat & inocentem tueatur.

EGo Martinus Luther præſente Parocho & Iudice prophano audiui cauſam inter N. N. & vxorem eius. Tandem octo teſtibus, viris fide & autoritate pollentibus, conuictus eſt Michael, quod vxor in periculo aſsiduo mortis penes eum ſit iam multis annis. Sic feriat, ſic ſæuiat, ſic ſtricto gladio eam toties petat, vt inſanire putetur, nec eam alit, imò ſi quid domi eſt, foras fert & prodigit. Hæc illis teſtantibus concorditer, protulimus ſententiam vt ipſa ab illo ſeparetur, relicto Magiſtratibus arbitrio, quo illum vellent punire prophano iure. Super hæc illa conſentit redire ad eum, modo ipſe ad quartam anni vel dimidium, vel probetur vel caſtigetur, an forte mutari velit aut poſsit. Hîc Magiſtratus coacto concilio, dicitur, neſcio quod milibus doctorum ſeſe non conſenſurum, vt hoc diuortium ratum ſit, nihil curatis tot teſtibus, quin ad periculum mortis (quod vanum eſſe dicunt) eam cogere volunt, cauſantes exemplum Diuortij manaturum eſſe latius. Hîc petitur vt illuſtriſsimus Princeps mulieri miſertus cauſam alijs quam magiſtratui aut nobis committat, & Iuſticiam & Iudicium faciat inopis, ſicut debet, vt habet ſupplicatio hæc adiecta.

NICOLAO HAVSMAN.

Pollicetur ſe reſponſurum Eraſmo. Cur differat reſpondere Carlſtadio in re Sacramentaria dicit. Zvuinglium & Leonem Iudeum in Heluetiis cum Carlſtadio conſentire. Miſſam vernaculam ſe optare, ſed de ea re concilium cogi ſe nolle, certis de cauſis, quas exponit grauiſsime, Noua nunciat de Caſparo Tauber & Bibliopola quodam. Vngaro Martyribus.

Gratia

GRatia & pax in Domino. Non oblitus ſum tui, mi Hausmanne, quanquam verum ſit varietate rerum & cauſarum mihi memoriam etiam accedente ætate infirmari. Eraſmo reſpondebo non propter ipſum ſed propter eos, qui autoritate eius abutuntur in gloriam ſuam contra Chriſtum. De Euchariſtia quod antea monuiſti differo ſcribere donec Carolſtadius prodierit ſua venena profuſurus, vt mihi promiſit accepto etiam aureo nummo à me, quanquam iam potiorem partem inſulſorum eius argumentorum teneam. Zuuinglius cum Leone Iudæo in Heluetijs cum Carolſtadio eadem ſentiunt, ita latè ſerpit hoc malum, ſed Chriſtus regnat nedum pugnat. Miſſam vernaculam opto magis quam promitto, quod impar ſim huic operi, quod Muſicam ſimul & Spiritum deſiderat, interim permitto quoslibet in ſenſu ſuo abundare donec alia Chriſtus dederit. Mihi non ſatis tutum videtur, Concilium ex noſtris cogi pro vnitate Ceremoniarum ſtatuenda, eſt enim res mali exempli, quantumuis bono zelo tentata, vt probant omnia Eccleſiæ concilia ab initio. Ita vt & in Apoſtolico Concilio ferme de operibus & traditionibus magis quam de fide ſit tractatum, in poſterioribus verò nunquam de fide, ſed ſemper de opinionibus & quæſtionibus diſputatum, vt mihi Conciliorum nomen penè tam ſuſpectum & inuiſum ſit, quam nomen liberi arbitrij. Si vna Eccleſia alteram ſponte non vult imitari in externis iſtis, quid opus eſt conciliorum decretis cogi, quæ mox in leges & animarum laqueos vertuntur? Imi-

Lutherus pollicetur reſpondere Eraſmo:

Zuuinglius Carolſtadii errorem de cæna Domini tuetur.

An Concilium cogendum ſit pro vnitate ceremoniarū

tur? Imitetur ergo altera alteram liberè, aut ſuis moribus ſinatur frui, modo vnitas Spiritus ſalua ſit in fide & verbo, quantumuis ſit diuerſitas & varietas in carne & elemento mundi. Credo te vidiſſe Caſparis Tauber hiſtoriam martyris noui Viennæ, qnem cæſum capite ſcribunt & igne exuſtum pro verbo Dei. Idem accidit Budæ in Vngaria Bibliopolæ cuidam Ioanni, ſimul cum libris circa eum poſitis exuſto, fortiſsiméq; paſſo pro Domino. Sanguis ſanguinem tangit, qui ſuffocabit Papam cum Regibus & regnis ſuis. Vale & ora pro me peccatore, Vuitenbergæ feria poſt Martini, Anno M.D. XXIIII.

Caſpar Tauber Martyr.

Martinus Lutherus.

DOMINO M. GEORGIO SPALAtino, ſeruo Chriſti, &c.

Spalatino ſingulari fide ac ſolicite commendat D. Thomam Eſchaub Medicum, vt is curet apud Aulam huic Doctori Stagmanno diſceſſuro ſuffici in collegio Medicorum Vuitenbergæ.

GRatiam & pacem. Hoc quod modo ad te ſcribo, mi Spalatine, vellem qua ſoles fide & diligentia curares, id quod à te petitur & ſuppliciter & fortiter. Doctor Stagmannus dicitur diſceſſum meditari vel aliò vocatus, vel eo ſtipendio non potens ali, ſicut creditur facile. Huic ſuccedere cupit D. Thomas Eſchaub vir iam ætate grauis & accepto morbo ſimul accurſum hominum amittens, anxiè ſolicitari incipiens ne in ſenectute mendicet, id quod donandum eſt infirmitati ſeculi. Iam verò cum de Academia ſit benè meritus, &

ritus, & ſatis fœliciter præ alijs medicam rem exercuerit, ſicq; adhuc optimus & primus inter noſtros, adde quod & neceſsitate hîc manere cogetur, deinde medicinæ præſertim practicæ cui ſufficiendus eſt teſtibus auditoribus ſit abunde ſatis idoneus, nec dubium, quin ad hoc ab auditoribus poſtuletur & rogetur vbi ille diſceſſerit, vt ſi in Collegio non poteſt domi ſaltem prælegat, quantus eſt illius diſciplinæ Scholarium numerus. Dignus eſt pro quo & nos oremus, & tu fideliter labores, vt hoc auctario honoratus & adiutus, vſq; ad finem ſuum (qui forte velocior veniet quam putatur) ſuſtentetur apud nos honeſtè, præſertim cum id nec gratis optet, & cum fructu poſsit reſpondere. Hoc igitur ſupplicationis officium cum illi negare nec debeam nec poſsim, in tuum ſinum commendo, qui facturum ſpero te quod commode poteris præſtare. Benè vale in Chriſto, Vuitenbergæ feria 6. Poſt Martini Anno M. D. XXIIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Suas literas ad Argulam vt mittat, cauſam Kemburgenſium in conſtituenda Schola, quem conatum pium Liſthani impediunt, vt promoueat apud Principem, & Tilomanni Paſtoris Leiſnicenſium, contra iniurias & ſorditiem ſuorum Ciuium, vt rationem habeat diligenter orat.

GRatiam & pacē. Si qua reſponderis Argulæ noſtræ, mi Spalatine, rogo meas has ſimul ad eam literas mittas, potes enim quod ego nō poſſum. Cauſam Kembergenſem etiam tibi cōmendo, Sacerdotioliū ex maiore parte ex Ciuiū bonis

bonis conſtitutum, nunc collapſis Miſsis, cogitant id in Ciſtam communem conferre, inde ſolarium Ludimagiſtri prouiſuri, pia eſt cogitatio, ſanctum & neceſſarium opus, Scholas conſtituere vt noſti. Nunc Liſtani obſiſtunt, qui vicario iure cum Senatu Kembergenſi alternis collationem exercent eius ſacerdotioli. Id autem contulerunt cuidam, qui aliâs tribus Parochijs potitur, deinde non reſidet, nec quidquam facit, niſi quod reditus nec merito nec neceſſario conſumit, interim neglecto opere, quod his promoueri poteſt, præſertim cum ſit ciuium ſubſtantia. Fac itaq; quod potes ac vale in Domino. Leiſnicenſes Tilomannum fame tandem expellent, Bonus vir grauiter quæritur, cur Princeps ibi ceſſat? Sed his exemplis credemus fore, vt Parochias reſignent boni viri, qui ſic poſtea derelinquantur, An rurſus ad Monaſteria propellentur potius? Diſcruciat me vehementer hoc peſsimum exemplum, quod vt primum ita oportuit eſſe optimum, pertinet ad te quoq; huius cauſæ cura vel maximè, iterum vale Vuitenbergæ, feria 5. poſt Eliſabeth Anno. M.D.XXIIII. Martinus Luther.

DOMINO M. GEORGIO Spalatino.

Interrogatus a Spalatino rurſus cohortatur eum, ne deſerat ſuam vocationem, docendi Aulam Saxonicam ſubiiciens huius ſui conſilii rationes, niſi animum ad coniugium appellere velit, quam cauſam non eſſe occultandam cenſet, Argulæ agere gratias iubet quod ex rumore falſo ipſi gratulata eſt nuptias, eiq; ſignificari vult ſequanquam non omnibus flammis careat, tamen vxorem ducere nondum in animum in duxiſſe, ſed potius hæretici ſupplicium expectare.

Gratiam

GRatiam & Pacem. Quod de relinquenda aula & officio conſulis, mi Spalatine, ſic ſentio, eſt ſanè nonnulla cauſa tibi, non auditur verbum, ſicut Sapiens dicit, Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem, verum ſi aliqui audiunt, non eſt ceſſandum, alioquin & ego iamdudum in tanto contemptu verbi tacuiſſem. Niſi ergo alia ſubſit cauſa tibi, quæ conſcientiam grauet, aliena iniquitas & malitia non eſt ſatis, vt propter eam locum deſeras aut quippiam facias. Nam niſi coniugium te iſto loco amouerit, ne fingere quidem poſſem cauſam, quæ te mouere deberet. Ac qui nunc expertus aulam plane noueris, & multis apud Principem prodeſſe queas, vbi ſi Nouitius acceſſerit, quid faciet antequam diſcat aulam iſtam? Et vt omnia ſimul præſtentur, quando fiet vt tantam fidem & opinionem coram Principe obtineat, atq; tu habes, longo vſu paratam. Aut ergo mane, aut ſi diſcedis, vxore cogente diſcedas. Niſi fortaſsis hanc cauſam metuis allegare, & loco eius aliam prætexere velis, quod quid proſit, non video, cum tandem prodenda ſit ipſo facto, ſi feceris. Quod Argula de vxore mihi ducenda ſcribit gratias ago, nec miror talia de me garriri cum garriantur & multa alia, verum tu ei gratias age nomine meo & dicito, me eſſe quidem in manu Domini ſicut creaturam, cuius cor mutare ac remutare, occidere & viuificare poteſt, ſingulis momentis & horis. Hoc tamen corde quo hactenus fui & modo ſum non fiet vxorem vt ducam, non quod carnem meam aut ſexum non ſentiam, cum neq; De ducenda vxore Luthero rumor.

lignum neq; lapis ſim, ſed animus alienus eſt à coniugio, cum expectem quotidie mortem, & meritum hæretici ſupplicium, itaq; nec Deo figam terminum operis in me, nec in corde meo nitar. Spero autem quod non ſinet me diu viuere, Vale & ora pro me, Vuitenbergæ die Andreæ, Anno M. D. XXIIII. Martinus Luther.

D. M. GEORGIO SPALATINO.

Graui, vehementi & libera expoſtulatione Iuſtum Ionam per Spalatinum apud Principem illuſtriſsimum, aduerſus iniurias quaſdam Canonicorum Vuitebergenſium vult defenſum, eiuſq; egeſtati aliqua præbenda ſuccurri, aut eum aperta dimiſsione eiici. Nec ſe quieturum prius quam Miſſas iſtas idolatricas abrogarit minitatur.

GRatiam & pacem. Quid accidit tibi, mi Spalatine, vt tam ſcribas minaciter ipſe potius, ac imperioſe? Nondum eſt Ionas tibi principiq; tuo ſatis contemptus, niſi pergatis optimum virum toties fodere? Certe non eſt opus vt bonos viros tam leui penſos, tam ſuperbe relegetis, erit forte, vt plus nimio alias relegentur, Meum ſi quid valet Teſtimonium, innocens eſt in hac cauſa. Solus ego hoc ſaxum voluo, Tu autem vetus aliquid in illum alens monſtrum, ſtatim mendacibus & Sacrilegis, Canonicis credis, quicquid ſcribunt, & in illum ſuſpitionem vertis, & me ſeditionis arguis. Sed notum eſt ingenium Principis, quod viros leuipendit, Sic Euangelion honoramus, vt eius miniſtris non quæamus fauere vnam

præben-

præbendulam pro vita ſua. Cum alijs ſine difficultate, copias ſubminiſtremus, vt blaſphement Deum noſtrum, deinde hoc longe iniquiſsimum & inſidioſiſsimum eſt, quod ſic abire iubetis, vt nihil minus quam iuſsiſſe velitis videri, & eam vafriciam Chriſtum non videre putatis, Cur non aut planè iubetis, aut ſimpliciter fertis? Significa tantum, ſtatim Stomacho veſtro medebimur, ſi adeo ſumus odio aut nauſea. Ionas vir is eſt, quem oportuit multo prætio emptum & ſeruatum in terra. Sed vobis tiſpula & alga vilior, Iuſtus autem Deus, qui vos cogit, pro tali inquitate, ingratiſsimos nebulones & nocentiſsimas Hypocritas ſumptuoſiſsimè alere, deinde arbitror, nos non fuiſſe aut eſſe Principi damno, vt comoda taceam, Niſi nullum comodum vos putatis Euangelion per nos ortum, quo & animæ veſtræ ſaluantur, & ſubſtantia mundi non parua ad marſupium Principis redire cœpit, ac quottidie magis redit, vt ſi ab alijs meremur inuidiam, à vobis certè meliorem quam hanc gratiam mereri debueramus, Niſi forte impleri oportet illud. Retribuebant mala pro bonis, vel illud, Non eſt acceptus Propheta in patria ſua, ſed tamen Dominus paſcet etiam nos vt nihil nobis deſit, ſi vos ſubmoueritis alimonia & maledicta pecuniola. Si autem vos in hac re aliquid molimini, optare licet, ſperare neq; libet neq; oportet, Ego, ſi Dominus volet, iſtas Miſſas abrogabo, vel aliud tentabo, Si tu voles tueri, tuetor ſanè, Mihi fraus & vis ſubdola in iſtis ſemi tribus Canonicis aduerſus vnitatem totius Eccleſiæ noſtræ

Miſſarum abrogatio.

noſtræ ferenda non eſt amplius, video quid alant, quod tu mulierculæ vnius factum cauſaris. Proinde mi Spalatine, tracta, quæſo, nos pauperes & exules Chriſti mitius, aut rotundê profer ſententiam, vt ſciamus quo tendamus, tantum ne ſimul noſmet confundere cogamur, obliqua iſta iuſſione quam futuram captatis, vt coacti abire nullum poſsimus coactorem nominare, niſi nos ipſos, & vos cum honore maneatis, ſimul expulſores & ſeruatores. Vale & ora pro me. Dominica 1. Aduentus M. D. XXIIII.

Martinus Luther.

DOMINO NICOLAO AMSdorffio.

Expoſtulat cum Amsdorffio de pertinaci eius ſilentio, & quæritur Caroſtadii venenum latiſsime ſerpere. Nam & Zuuinglium & Leonem Iudeum, alioſq; plurimos eius Hæreſin de cœna Domini approbare: Quoſdam fratres Auguſtinenſes Monaſterium egreſſos ipſius patrocinio commendat aduerſus iniurias quorundam Superiorum. Et quouſq; cum Canonicis Vuitenbergenſibus peruenerit, nunciat.

GRatiam & pacem. Certum eſt te vel Cræſum eſſe factum ibi talem Euangeliſtam, qui omnes ſemel conuerterit, mi Amsdorffi. Alioqui quomodo fieri poſſet, vt tam ſuperbus, tam rarò nobis ſcriberes? fauemus tamen ſi eſt vnde ſuperbias, Nobis nihil eſt niſi vnde humiliemur. Nam Carlſtadij venenum latiſsime ſerpit, acceſsit eius ſententiæ Zvuinglius Turegi & Leo Iudeus, alijq; multi conſtanter aſſeren-

Succeſſus doctrinæ Carolſtadianæ.

aſſerentes in Sacramento eſſe purum panem, ſicut in foro &c. Obſecro autem te, vt coopereris fideliter, ne tam fraudulenter agatur cum fratribus Auguſtinenſibus vobiscum. Quibus, ſi qui vellent egredi, ſtatuebatur me præſente, vt aliqua ſumma daretur, ne vacui exirent, de qua re te ipſi facient certiores, nunc videntur tam Senatus quam Prior negare. Canonicos noſtros perpulimus tandem, vt conſentiant Miſſas eſſe abrogandas, Iam tractatum eſt de illa abominationis domo, quid futurum ſit ſcies. Vale & ſaluta noſtros omnes Vuitenbergæ feria 6. poſt Andreæ, Anno M.D.XXIIII.

Martinus Luther.

DOMINO GEORGIO Spalatino.

Se ex Argentorato per quorundam amicorum literas certiorem factum narrat, Carlſtadium aliquot libris æditis contumelioſiſsime inuehi in ipſum, qua re noui incendii occaſionem præbeat, ideo ſe ſtatim æditurum Epiſtolam conſolatoriam ad Eccleſiam Argentoratenſem, donec pleno ſcripto, auxiliante Chriſto, eam confirmare poſsit. Epiſtolas miſſas repetit. Ad orationem pro gloria Chriſti Spalatinum exhortatur.

GRatiam & pacem. Hodie ex Argentorato literas amicorum accepi, mi Spalatine, de Carlſtadio, qui illac iter faciens Baſileam verſus, tandem quinq; libros euomuit duos adhuc ructans. Ibi ego bis Papiſta, Affinis Antichriſti, & quid? mirum quam furiat in me, nihil in me ſinit integrum eſſe, vt etiam ſuos offendat ea furia. Ottonem Brunsfelſium cepit, quem

Carlſtadii furor aduerſus Lutherũ

quem, & ſolum illic allocutus eſt, nouum igitur flagrat incendium. Ego Epiſtolam ad Eccleſiam Argentinenſem ædo in hoc biduo, conſolatus, donec planè reſpondere donet Chriſtus. Remitte Epiſtolas, libros viſurus Satanæ huius ſtatim, virum quem commendaſti allocutus ſum. Ora vero tu pro nobis, vt gloria Chriſti triumphet, ac vale, reſpondi verò ad proximas literas, credo eas te hodie accepiſſe. Vuitenbergæ feria 4. poſt Luciæ. Anno M. D. XXIIII.

Martinus Luther.

CHARISSIMIS IN CHRISTO AMIcis & Chriſtianis Argentinæ.

Gratulatur Argentinenſibus lucem veræ Euangelii doctrinæ, & hortatur eos, vt perſeuerantes in ſyncera Euangelii cognitione mutuam ſedulo alant concordiam, contraq; aliorum inſectationes & iniurias eos confirmat, præmonens de futuris periculis, diſſenſionibus & ſchiſmatibus Sectariorum, contra quæ mala vt ſtrenuê orent, vigilent atq; decertent, grauiter exhortatur. In primis autem à Carlſtadii veneno vt ſibi caueant, monet, dum Imaginum deiectione, Sacramenti abnegatione, & Baptiſmi reprehenſione Eccleſiam miſerabiliter perturbet ac deformet, quem libello in publicum ædito confutaturum ſe pollicetur. Th[illegible]ingicæ hiſtoriæ mentionem facit, quod Carlſtadiani eius etiam vitæ fuerunt inſidiati.

Lætitia Lutheri ob fidē &

GRatiam & pacem à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto. Magnum mihi gaudium eſt, amici in Chriſto charis-

charìſsimi, & gratias ago totius miſerationis Patri, ob immenſam gratiam in vos collatam, qua in admirabilem veritatis ſuæ cognitionem vocatos, ad communionem diuitiarum filii ſui Ieſu Chriſti vos perduxit, Ita vt nunc verbo eius ſalutifero cognoſcere & nominare queatis exhilerato corde, verum in cœlis patrem, cuius beneficio ex horrendis Antichriſti tenebris liberati, è ferrea fornacè Egypti peccatorum & mortis, in ſpacioſam ſecuram, liberam & veram terram eſtis perlati. Proinde proſpicientes temporis anteacti memores, perpendite, qui fueratis olim, ne tanta accepta gratia & miſericordia τοσαύτης εὐεργεσίας ἀχάριστοι inueniamini. Quemadmodum nunc nonnulli faciunt, iram Dei iterum excitaturi, vos verò perſeuerate, exercentes vos ipſos, quotidie maiores & auctiores in cognitione gratiæ Ieſu Chriſti facti, hæc enim vera ad vitam via eſt, in qua verſantes & ambulantes non errabitis. Potiſsimum tamen hoc omni curate ſtudio, vt ſitis vnanimiter conſentientes ὁμοθυμοὶ καὶ ὁμόψηφοι ipſo facto & opere fraternæ charitatis mutua inter vos exhibentes officia, quo perſpicuum fiat hominibus fidem veſtram non eſſe fictam, pigram, otioſam: Et ne inimicus eiectus poſtliminio reuerſus domum ſcopis mundatam inueniat, & abiens aſſumptis ſeptem ſpiribus ſe longè nequioribus irruat, & poſtrema prioribus peiora fiant, porrò ſi hoc nomine hominum calumnijs aut inſectationibus eritis obnoxij, beati eſtis vos. Si enim patrem familias

& cognitio nem Euangelii Argentinenſium.

Hortatur ad conſtantiã & concordiam Argẽtinenſes.

Confirmat eos contra calumniatores & inſectatores.

ſamilias vocauerunt Beelzebub, quanto magis domeſticos ſuos? Seruus non eſt maior Domino ſuo, nec æquum eſt Domino laborante, ſeruum agitare dies feſtos in plumis delitiantem. Et quid obeſſe poteſt, ſi miſeri homines fumi inſtar euaneſcentes, vos lacerauerint conuitijs, cum certi ſitis tot angelorum myriades, & ipſum quoq; omnipotentem DEVM ſuper vobis exultare gaudio, cum omnibus creaturis vos laudantes. Sicut hæc omnia fides veſtra & tranquilla conſcientia per Spiritum ſanctum ſentit & teſtatur, ſi tamen rectè & ſynceriter credentes Chriſtum verè in vobis habetis viuentem & regnantem, talibus enim aduerſitatibus ſalus noſtra indies magis atq; magis promouetur. Hæc verò res plena periculi eſt, vbi diſſenſiones, Sectæ & Schiſmata inter Chriſtianos ſuboriuntur, per quæ Chriſti cognitio in ſimplicium conſcientijs varijs inuoluitur erroribus, & clam à gratia in Spiritu ad res externas & opera eas rapit, id quod Pſeudoapoſtolorum erat ſtudium, & deinceps diuerſorum hæreticorum, poſtremo etiam Papæ, Huc ſummopere neceſſarium eſt, vt oculis inconniuentibus agamus excubias. Si enim noſtrum Euangelium verum eſt, qua de re nihil addubito, neceſſum eſt illud quoq; conſequi, vt ex vtraq; parte oppugnetur & probetur: A leua quidem calumnijs externis impetitur & odio aduerſariorum, A dextra verò, per noſtram ipſorum diſſenſionem & Schiſmata, iuxta doctrinam Pauli, oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. Chriſtus inter inimicos ſuos nedum Caipham habet, verum etiam

Præmonitio de diſſenſionibus & ſectis.

Iudam

Iudam proditorem inter amicos. Cum itaq; hæc nobis incognita non ſint, oportet nos armatos eſſe, & in omnem euentum paratos, ne ingruentibus eius generis procellis mirantes incuſſo terrore conſternemur animo rei inſolentia commoti, velimus, nolimus, hæc fieri neceſſe eſt, ſic dura cogit fati neceſsitas. Nobis verò in hoc rerum ſtatu DEVS aſsidua prece fatigandus eſt, vt dignetur adeſſe ſuis μὴ ἐκτὸς λεωφόρου βαδίζωμεν, ſiquidem affirmante Moſe, DEVS noſtri per hoc periculum facit, num toto corde ipſi adeò ſoli adhærebimus. Hæc eò dicta ſint, poſtquam reſciuerim in multis locis erroneos & nouos quotidie Prophetas ſuboriri, & mihi nonnulli ex veſtris ſignificarunt, quem rumorem & tumultum ſuper Sacramento, diruendis imaginibus & baptiſmo iſtic apud vos excitarit Carolſtadius, quemadmodum alibi quoq; fecit, & me criminatur ac eum qui ſuæ eiectionis author extitiſſet. Quanquam nunc ego, amici chariſsimi, Predicator veſter non ſum, & nemo ad credendum mihi poteſt compelli, tamen ſingulos ſui ipſius rationem habere iubeo, monere quenquam mihi in promptu eſt, porrò obſiſtere nemini. Spero quoq; ita me à vobis hactenus in meis ſcriptis eſſe cognitum, vt quem Euangelium, gratiam CHRISTI, fidem, charitatem, crucem, item quid de Papatu, Monachatu, de Miſsis, prætereà de omnibus articulis Chriſtiano cognitu neceſſarijs ſentiendum, ita clarè & ſynceriter docuiſſe & tractaſſe intellexeritis, adeò vt in his verſando ἀναίτιος καὶ ἀμώμητος repertus ſim. Sed neq; inficiari poſſum, me indignum fuiſſe

Orandum contra perſecutores & hæreticos.

Carolſtadii errores & turbæ excitatæ etiam Argentinæ

vas DEI, per per quod innumeris animabus à DEO ſuccurſum eſt. Eorum verò articulorum nullum hactenus ſanè intellexit Carolſtadius, atq; adeò intelligere non poteſt, quantum nunc ex ſcriptis eius perſpicio, ſic, vt nunquam putaſſem tam profundè adhuc in errorum ſalebra hærere virum. Et quantum ego intelligentia poſſum aſſequi, totus in res externas ita proruit, ac ſi tota vis Chriſtianæ vitæ ſita ſit in diruendis imaginibus, ſpernendo & calumniando Sacramento, & baptiſmo improbando. Vellet quoq; miſer homo tali ſuo fumo libenter totum Euangelij ſolem debilitatis & infirmatis totius Chriſtiani ſtatus principibus articulis, libenter obſcurare, quo mundus in obliuionem ducatur eorum quæ hactenus à nobis & ſcripta & docta ſunt. Quanquam interea loci ipſis magis mutus piſcibus non prodit in publicum expoſiturus quidnam præ his verè Chriſtianam conditionem conſtituat. Quandoquidem imaginum deiectio, Sacramenti abnegatio, & Baptiſmi reprehenſio, Chriſtiani hominis opus non eſt, atq; adeò Chriſtianum non facit, ſed cuiuis Nebuloni cognita, & nullius momenti, pietatis aut ingenij ars ſit. Quamobrem hic Diabolus eſt ſubruſticus, & multæ craſsitiei ſpiritus, parum negotij mihi exhibens. Proinde hoc conſilij omnibus perſuaſum eſſe velim, vt vobis ipſis proſpiceretis in hac vnica quæſtione perſeuerantes, quidnam illud ſit quod Chriſtianum faceret? Nec ſinite vllam huic quæſtioni aliam eſſe parem. Si quis aliquid in medium adduxerit, quantocius ex eo quærite, Age amice

Carolſtadii inſcitia.

Adhortatio vt errores Carolſtadii vitentur.

Subruſticus Diabolus.

faciunt hæc quoq; hominem Chriſtianum? Si reſponderit, non, miſſa facite iſta omnia, neç protinus vt principem Chriſtianę vitæ articulum mordicus tenentes amplectimini. Porrò qui imbecilior eſt quam vt hæc præſtare queat, huic feſtinandum erit lentius & expectandum, donec noſtram aut aliorum hac de re audierit ſententiam. Videor enim mihi hactenus in articulis præcipuis rectè docuiſſe & piè, & qui diuerſum dixerit, hunc ore parum libero loqui manifeſtum eſt. Atqui etiam bona ſpes animum meum habet, & in externis rebus in quibus Prophetæ Circumforanei, tantanquam in ſuo regno tumultuantur, me non male docturum.

Hoc diffiteri non poſſum nec volo, quod ſi Carolſtadius aut alius quiſpiam ante quinquennium mihi perſuadere potuiſſet, in Sacramento præter panem & vinum eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi deuinctum rediddiſſet. Grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia multum deſudabam, omnibus neruis extenſis me extricare & expedire conatus ſum, cum probè perſpiciebam hac re Papatui cum primis me valde incommodare poſſe. Præterea duos habui, multo dexterius & acutius hac de re ad me ſcribentes, quam Carolſtadius, nec ita proprij ingenij captu verba detorquentes, verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimium apertus eſt & potens qui facile conuelli non poteſt, multo minus verbis aut gloſsis è capite vertiginoſo confictis ſubuerti. Quod ſi etiam hodierno mente

Cura Lutheri de diſcutiendo negotio Sacramēti.

Textus Euāgelii conuincit præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Sacra

hodierno die fieri poſſet, vt quis firmo Scripturarum teſtimonio mihi fidem facere queat, in Sacramento non niſi panem & vinum eſſe, nihil tamen opus eſſet quenquam tam amaro me adoriri animo, ſum enim proh dolor plus æquo in hanc partem propenſus, quantum Adami mei naturam animaduertere poſſum. Verum quibus furijs Carolſtadius hac de re furit & inſanit, tantum me mouet vt etiam in ſententia mea defendenda fiam pertinatior. Ad hæc ſi prius non crediđiſſem, iam primum tam futilibus rationibus è vertigine ſic veſani cerebri excogitatis adducerer, vt credam opinionem ſuam debere eſſe friuolam & inualidam, quemadmodum ſpero vos omnes hoc illud ſtatim intellecturos, vbi libellis in hoc æditis reſpondero. Sed nec Carolſtadium credo rem ſeriam agere, aut ſi in rebus ſerijs ſic ludit pueriliter & inepte, à DEO eundem extremè excæcatum & obduratum eſſe non dubito. Si enim ſerio res ageretur Carolſtadio, non ſic ridicula paſsim admiſceret è Græca & Hebraica lingua petita, quarum tamen linguarum non multum oblitum eſſe Carolſtadium nemini obſcurum eſt.

Futiles rationes Carolſtadii.

Ita quoq; in diruendis imaginibus poſſem eius facile tolerare inſaniam, cum ego prius ſcriptis meis plus detraxerim imaginibus, quam vnquam ſua inſania poterit Carlſtadius. Verum quod Chriſtiani ad hæc incitantur opera, quæ niſi fecerint, Chriſtiani non ſunt æſtimandi, & quod vult Chriſtianam libertatem legibus & conſcientijs habere captiuam, hoc verò nullo pacto tolerandum eſt, adeoq; non diſsimulandum.

Inſania Carolſtadii in diruendis imaginibus & aliis.

landum, ſcimus enim nullis operibus, multo minus talibus Chriſtianum fieri poſſe. Et tales externæ res, habere imagines, Sabbathum & eiusmodi in nouo Teſtamento liberæ ſunt, ſicut omnes reliquæ Moſaicæ legis Ceremoniæ. Paulus inquit 1. ad Corinth. 8. ſcimus quod nullum eſt ſimulachrum in mundo, Quod ſi nullum eſt, cur igitur ob rem nihili Chriſtianorum conſcientias putat excarnificandas? Si nihil eſt ſimulacrrum, ſanè ſit nihil, ſiue corruat ſiue ſtet, veluti quoq; de Circumciſione loquitur, verum hac de re latius in reſponſione. Quod verò me incuſat, tanquam ſuæ eiectionis autorem, optarim illud verum eſſe, ſperarem quoq;, DEO adiutore, eius rei me non difficulter rationem reddere poſſe, tantum abſit, vt de cauſæ bonitate dubitarem. Gaudeo verô eundem è noſtris partibus eiectum eſſe, & ô vtinam huic ipſi apud vos quoq; nullus eſſet tumultuandi & inſaniendi locus, atqui ipſi fuerat conſultiſsimum, vt ſic inſtituta vita vixiſſet, ne talibus quærimonijs vnquam opus fuiſſet. Timeo enim ne meæ reſponſionis Apologia hunc ſit grauiter accuſatura, deuitet malignum & falſum hunc ſpiritum qui poterit. Hic vt Græcum habet Prouerbium, οὐδὲν ἱερὸν καὶ οὐδὲν ὑγιὲς inueniet. Ipſe me Ihenæ in Duringis Scripturæ cuiuspiam citatione penè perſuaſiſſet, ne ſpiritum ſuum mortifero & cruento ſpiritu Alſtetino conferendo miſcerem. At vbi Orlamundam inter ſuos Chriſtianos Ducali iuſſu perueniſſem, ſentiebam haud obſcurè quid iſtic bonus ille vir ieciſſet ſeminis, adeò vt plurimũ mihi gratulabar viuo tam fœliciter elapſo, nec dum

NumLutherus autor eiectionis Carolſtadianæ.

Apologia Lutheri contra Carolſtadium.

Hiſtoria congreſſus Lutheri & Carolſtadii Orlamundæ.

nec dum luto & lapidibus obruto. Quo tempore eam mihi nonnulli imprecabantur abeunti ſalutem ἔῤῥα ἐς κόρακας θᾶττον ἀφ' ἡμῶν κατάρατε, Dij faxint, vt collum frangas priuſquam vrbem exieris, vtcunq; nunc ædito libello aliter egiſſe ſe impudenter mentiantur. Quod ſi aſinus eſſet cornutus, hoc eſt, ſi ego tunc temporis fuiſſem Dux Saxoniæ, Carolſtadius nunquam fuiſſet eiectus, niſi fortaſsis ad hoc magnis precibus fuiſſem adductus. Principum bonitatem, qua eſt ingratitudine contemnat, vtcunq; tamē ſe res habeat, amici chariſsimi obſecro, vt vos agatis prudentius nobis deſipientibus, & de noſtris rebus fortè ſcripturus probè perſpitio Diabolum nihil perinde quærere, quam vt det occaſionē hominibus de nobis ſcribendi & loquendi, quā ſancti, quamq́; mali ſimus, vt per hoc principum articulorū obliti nouis tantum rebus occupentur & decipiantur. Quiſq́; vero pro ſe ſedulo det operā, verā inire viam, quid Lex, quid Euangelium, quid fides, quid CHRISTI regnū, Chriſtiana libertas, charitas, quid patientia ſit, quid item humanæ cōſtitutiones & eius generis per quam multa? quibus perdiſcendis tota vita opus eſt. Interea tēporis tametſi nullas deieceris imagines, peccatum non facis, ſed ſi Sacramenti quoq; non particeps vixeris, nihilominus per verbum & fidem ſaluari poteris. Conſilij Diabolici hæc eſt machina, vt nos erepta Euangelij lucerna, clauſis oculis in hac periculoſa nocte, ſuis titionibus & facibus volantibus extra verā viam abducat in deuia. Oro quoq; Euangeliſtas veſtros, fratres meos, vt vos à Luthero & Carolſtadio nimirum ab hominibus longè lateq; abſtractos ad CHRISTVM ducāt, Non

Adhortatio Lutheri, vt in Euangelii cognitione permaneant argen.

vt Carol-

vt Carolſtadius tantū ad opera CHRISTI. Vt CHRISTVS exemplū nobis ſit, quod minimū in CHRISTO eſt, in quo alijs ſanctis par eſt, ſed vt CHRISTVS donum DEI ſit, aut vt Paulus ait, virtus DEI, Sapientia, Iuſtitia, Redemptio, ſanctificatio nobis data & facta gratuito. Quam quidem intelligentiā veſani illi Prophetæ nunquā neq; ſenſerunt nec intellexerūt, atq; adeò nunquā didicerunt: Iactant interim ſuam viuā de cœlo vocē, & neſcio quam incraſsitiem, aſperſionē, mortificationē, & eius generis verba perquā ventoſa & portentoſa, nec ab ipſis vnquā intellecta, quibus perinde aberrantes & inquietas faciunt conſcientias, non ob aliud quam quod hominibus ſint admirationi, & monſtrentur prætereuntium digitis, CHRISTO interim in obliuionem & contemptum abducto.

Orate quoq; optimi fratres, ne DEVS Pater vos ſinat in tentationes prolabi, ſed pro ſua inexhauſta miſericordia ceptum in vobis opus ſuum ſanctificet, augeat ac prouehat, quemadmodum per CHRISTVM Saluatorē noſtrum ad orandū cōſolabiliter accendimur. Qua in re Prophetas haud dubiè præcellimus, ſcio enim & certus ſum, quod DEVM Patrē hactenus nūquam pro ſuæ rei proſpero exordio precati ſunt, ſed ne nunc quidē tantū illis eſſe bonę cōſcientiæ, vt eundē vel tantilla precatiuncula pro felici ſalutarēt exitu. Sed quemadmodū ipſi exordij fuere authores, propria & impia præſumptione adducti, ita inſaniendo pergūt ambitionis viā affectantes, donec illorū finis, dedecus & ignominia apparens præter ſpem oſcitantes opprimat. Gratia DEI ſit cum omnibus vobis, Amen.

Martinus Lutherus.

MARTINVS LVTHERVS ECCLESIAſtes Vuitembergenſis omnibus DEI electis in CHRISTO amicis BREMÆ.

Celebrat Martyrium Fratris Henrici Sudphani, in Diethmaria ob profeſsionem Euangelii crudeliter exuſti, ac Hyſtoriam iſtius Martyrii dedicat Bremenſibus, vna cum erudita ac pia enarratione Pſalmi Decimi.

Hyſtoria F. Henrici Sudphani propter Euangelii confeſsionem exuſti.

GRatiam & pacem à DEO Patre noſtro & Domino IHESV CHISTO. Beati fratris Henrici Sudphani Euangeliſtæ veſtri hyſtoriam & mortem, Fratres in CHRISTO Chariſsimi, quam à ſpectatæ fidei & probitatis hominibus veriſsimè exploratam cognoui, tenebris & ſilentio, vt in ambiguo poſitam, obſcurari indignum putans, cogitaui eandem quoquomodo in lucem vulgare & efferre. Atq; hoc in cumulum laudis & gloriæ omnipotentis Gratiæ DEI, quam hoc ipſo tempore nobis condemnatis & perditis peccatoribus copioſiſsimè datam eſſe videmus, adeò vt non ſolum nobis Diuini Verbi ſyncerè audiendi & legendi copia in promptu parata ſit (quod non paucis in locis indies vt Solem lucidum potenter emergere clarè conſpicimus) ſed & ipſum DEI Opt. Max. ſpiritum iuxta ſentimus, efficacibus adeoq; indubitatis virtutibus verbum eius, ſicut ab initio ſolitus eſt, confirmantem. Præcipuè verò in hoc cum tam audaces & maſculo animo præditos reddat Spiritus Diuini Verbi energia, in tantum vt & Concionatores & auditores paſsim Sanctorum contubernium faciant numeroſius copioſiusq;, è quibus partim horrendis

horrendis occiduntur ſupplitijs, partim conijciuntur in vincula carcerariam vitam exacturi, partim proſcripti in exilium exiguntur perpetuum, breuiter omnes crucis contumeliam ſufferentes indignis modis affliguntur. Et nunc denuò ad nos redijt poſtliminio vera Chriſtianæ vitæ facies, quæ afflictionibus & perſecutionum procellis corâm mundo deformata horrenda eſt aſpectu, pretioſa tamen & multi momenti in oculis DEI, iuxta Pſalmiſtæ teſtimonium, Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et iterum Pſal. 71. Sanguis eorum precioſus in oculis eius.

Inter quos haud dubiè veſter ille Henricus Sudphanus potiſsimum eminenter elucet, qui terribilem adeò mortem propter Euangelium DEI à Diethmarianis parricidis crudeliter peremptus obijt, ſanguineq́; ſuo prodigaliter effuſo doctrinæ Chriſtianæ teſtimonium certiſsimum exhibuit. Quanquam Ioannes & Henricus Bruxellæ interfecti priores obtinentes, & ipſi duo pulchra lumina facti ſint, ſic ſpetioſa morte occiſi, qua DEO oblati ſunt in holocauſtum & odorem bonæ fragrantiæ. In quorum album & catalogum merito referendus eſt etiam Caſpar Tauberus Viennæ Pannoniæ igni abſumptus, item Georgius Bibliopola quem vita ſpoliauit Vngaria. Sed & illum nō iniuria his adiungendum cenſeo, quem non ita pridem, Pragæ in Bohemia ſupremo ſupplitio adfectum eſſe audio, non aliam ob culpam, quàm quod libidinoſæ caſtitatis deſerto ordine, ad Chriſtiani connubij & verè celebis vitæ ordinem ſeſe contulerat. Tales & eiuſmodi ſunt,

Catalogus Germanicorum Martyrum.
Henri. Sud.
Ioannes & Henricus Bruxellæ exuſti anno 1523.
Caſpar Tauberus.
Georgius Bibliopola.
Martyr Bohemicus

qui ſuo ſanguine Papatum vnà cum Diabolo Papiſtarum DEO breui ſunt ſuffocaturi. Hi quoq; ſunt quorum opera & ſtudio Diuini Verbi pura ſynceritas illibatè adſeruabitur, pręrecentium & nouiter ſubortorum Calumniatorum immunditie & ſpurcitia, Carolſtadianæ nimirum factionis Pſeudoprophetarum, quorum veſana rabies paſsim graſſatur impiè & ingraueſcit. Neq; enim dubium eſt, quin in hoc DEVS omnipotens pro ſua in nos paterna miſericordia hos mori & ſanguinem effundere permittat hoc tempore, in quo tam varij ſuppullulant errores, vt nos per hoc monere videatur, horumq; morte teſtatum habere hanc ſuam eſſe doctrinam, per quam veri ſpiritus donum CHRISTO credentibus celitus demittitur. Et quam ipſi docuerint, ſeruauerint, & cui tandem morte mulctati, martyrio ſuo verum præſtiterunt teſtimonium. Non ſecus atq; olim ſancti martyres ob Evangelij gloriam mortui ſunt, illudq; ſanguinis ſui ſigno conſignatum vt verax & infallibile perſuaſerunt omnibus.

Doctrina Lutheri martyrum ſanguine ſtabilita & conſignita.

Et eam quidem piæ iactantiæ gloriam nunquam habuerunt hi, qui bonorum operum falſò præſumpta fiducia, humanæ iuſtitiæ damnabili hypocriſi, Liberi Arbitrij mentito titulo mundum docuerunt & ſeduxernnt. Nam ob talem doctrinam Diabolus occidit neminem, facile eandem perferens. Quinetiam huius nomine mendatiorum & vanitatis doctoribus magnas opes, honorem, dignitates, huius mundi poteſtatem & dominium largitur, quibus aucti pacatam &

Iuſticiarii & hæretici à Diabolo & mundo nō trucidantur

tam & mollem vitam exigant. Quod ſi quoq; ob hoc mortem oppeterent, non tamen DEI martyres eſſent, ſed ſuorum ipſorum & Diaboli, non ſecus atq; Gentiles, qui ob iuſtitiam & bona temporalia, obq; inanem nominis celebritatem non ſemel fortiter mortem pertulerunt atrociſsimis ſupplitijs excarnificati. Veluti Paulus ad Rom. cap. 5. ſcribens inquit, quod pro DEO forſan quiſpiam mori ſuſtineret, hoc eſt, pro quauis re quam mundus bonam vocat, cuius generis ſunt diuitiæ, honores, poteſtas, nam pro iuſto vix quiſquam morietur. Porrò pro Verbo diuino & fide Chriſtiana mori, ea tandem eſt tara, precioſa & nobilis mors, adeoq; ſola ſpiritus diuini & filiorum DEI. Hæc enim mors hoc ſecum adportat, vt quis pro iniuſtis adeoq; pro his ipſis qui mortẽ inferunt, moriatur, proq; his oret, ſicut à CHRISTO factum eſſe videmus, iuxta Eſaiæ verbum, affirmantis CHRIſtum pro inimicis & præuaricatoribus oraſſe. Propterea nunquam tale exemplum legimus, quo palàm fieret vllo tempore quenquam pro doctrina Liberi Arbitrij & impiorum operum confirmanda, mortuum eſſe, quemadmodum pro maieſtate & gloria Diuini verbi conſeruanda non parum multos mortem oppetijſſe certum eſt.

Pretioſa mors, propter confeſsionem verbi Dei.

Quoniam verò omnipotens DEVS vos Bremenſes tam miſericorditer viſitauerit, in propinquo vobiſcum agens. Adhæc ſpiritum & virtutem ſuam in hoc Henrico ſic manifeſtè probauerit, vt de gratia & fauore eius in vos nihil hæſitandum ſit vlli, viſus ſum mihi rectè facturus, ſi eius

Dedicatio huius martyris Hiſtoriæ.

martyrij ſeriem hiſtorica narratione contextam ad vos perſcriberem publicaremq́;, quo vos monerem in tempore, ne aut vos ipſos triſtitia perturbaretis, aut in parricidas Diethmarianos probroſis dictis inueheremini acerbius, ſed exultaretis gaudio, DEVM laudantes & gratias agentes, qui dignos vos iudicauit, vt videretis eius miraculum & gratiam. Nam ſuæ cædis authores iam iuſto maiorem vltionem perpeſsi ſunt, cum quod ſuas ipſorum manus innocentis hominis ſanguine adeò funeſtè & crudeliter contaminauerunt, tum quod tanti parricidij criminis ſic horribiliter coràm DEO rei facti ſunt, ita, vt longè magis opus ſit eorum inauditam crudelitatem quam Henrici innocentem mortem deplorare.

Orandum pro aduerſariis Chriſtianorum vt conuertantur.

Atqui etiam pro eis orandum eſt, quo nedum ipſi, verum etiam totius Diethmarianæ regionis Incolæ ad veram fidem, inq; veritatis cognitionem perducti conuertantur, quem fructum ex Henrici morte certò ſequuturum ſperamus. Præcipuè verò cum iam bona illorum pars Euangelij cupida dicatur, quæq; plurimum doleat tanti parricidij ſcelus à ſuis eſſe commiſſum. DEVS enim qui beatum Henricum ab his occidi voluit, haud dubiè in animum induxit non ſolum grauiter punire impios non reſipiſcentes, verum etiam hanc Henrici mortem multis in ea regione facere ſalutiferam, multosq; per hanc ad æternæ immortalitatis ſecuritatem perducere. Quamobrem oro, vobisq; commendo decimum Pſalmum decantandum & legendum huic rei aptè & peculiariter congruentem, ne quo modo ob CHRISTI gloriam

Commendatio Pſalmi 10.

gloriam occiſis martyribus ſimus adflicto animo, ſed alacri & geſtiente, pientiſsimi DEI inæſtimabilem miſericordiam laudantes certi fructus gratia, quem DEVS per ſuorum martyrum paſsiones in terris mirabiliter & multo fœnore producit. Atqui non pigebit & me vnâ vobiſcum eundem Pſalmum præſente ſpiritu percinere, & breuiter enarrare.

Martinus Lutherus.

ENARRATIVNCVLA D. M. LVTHERI in Pſalm. 10. de Martyribus CHRISTI.

PSALMVS Dauidis alta voce canendus ſuper Iuuentute filij. Hic titulus inditio eſt, de quibus præſens Pſalmus canat, & quomodo canendus ſit. Alta voce vult cani, hoc eſt, læta & alacri, ſuper Iuuentute filij, hoc eſt, de Martyribus CHRISTI filij DEI, qui eius ſunt Iuuenes, robuſti & perfecti per fidem in morte facti.

CONFITEBOR TIBI DOMINE IN TOTO CORDE MEO, NARRABO OMNIA MIRABILIA TVA.

Hæc illa ſunt mirabilia, quæ ſequuntur, nimirum quod DEVS cogit & conuertit mundum non poteſtate violentiæ & impetus, verum ſanguine & mortis ignominia Sanctorum ſuorum, quodq; ſuperet viuos per morientes & mortuos. Atque hæc eſt inſolitæ victoriæ mirabilis palma & triumphus.

2. LAETABOR ET EXVLTABO IN TE, PSALLAM NOMINI TVO ALTISSIME.

Nomen DEI perinde vt opus quoq; mirabile eſt. Nam ab operibus mirabilibus nomen habet, quum per mortem vitam propaget, qua re planum facit ſe mortis iuxta ac vitæ Dominum eſſe.

3. IN CONVERTENDO INIMICVM MEVM RETORSVM, INFIRMABVNTVR ET PERIBVNT A FACIE TVA.

O ter fœlicem interitum, caſum, impulſum, qui à facie DEI, hoc eſt, qui per gratiæ diuinæ cognitionem venit & oritur, quo impij ita cadunt, vt exurgant & ſalui fiant.

4. QVONIAM FECISTI IVDICIVM MEVM ET CAVSAM MEAM, SEDISTI SVPER THRONVM QVI IVDICAS IVSTITIAM.

Cauſſa noſtra eſt Verbum DEI, cuius nomine nobis inſenſi ſunt impij. Porrò DEVS noſter Patronus cauſam hanc agit, ita, vt noſtra doctrina vera permaneat, Diuerſariorum collabente & impia reperta. Iuſtus enim iudex eſt DEVS, id quod nos non mediocriter conſolatur & recreat ſperantes fore, ne noſtræ cauſæ æquitatem vnquam ſit neglecturus.

5. INCREPASTI GENTES ET PERIIT IMPIVS, NOMEN EORVM DELESTI IN AETERNVM ET IN SECVLVM SECVLI.

Ita agis cauſam meam, vt per verbum tuum Gentes obiurges & conuertas, in nihilum redactis & infirmatis omnibus illorum impoſturis & doctrinis, adeò vt paſsim contemptas nauſeant atq; faſtidiant omnes.

INIMICI DEFECERVNT FRAMEAE IN FINEM, ET CIVITATES EORVM DESTRVXISTI, PERIIT MEMORIE EORVM CVM SONITV. 6.

Hoc eſt à pijs inſectandis deſiſtunt aduerſarij, & ipſi facti fideles,nec prioris conditionis memores ſua laudant & commendant,ſed obtemperant Euangelio.

ET DOMINVS IN AETERNVM PERMANET, PARAVIT IN 7.
IVDICIO THRONVM SVVM

Hoc eſt, Verbum & regnum eius perdurat, & condemnat omnes impios.

IPSE IVDICABIT ORBEM TERRAE IN AEQVITATE, IVDICA- 8.
BIT POPVLOS IN IVSTITIA.

Hoc eſt, verbum ſuum adminiſtrat & docet mundum iuſtè & benè.

ET FACTVS EST DOMINVS REFVGIVM PAVPERI, ADIVTOR 9.
IN OPORTVNITATIBVS IN TRIBVLATIONE.

Nam tametſi Dominus nos ad tempus permittit premi inſectationibus, & nonnullos occidi, ſpiritualiter tamen ſuos vſq; tuetur,quo animoſi fiant,ne mortem timeant, ſed conſtanter ferendo exuperent. Ad hæc non ſinit omnes nos ad internitionem vſq; occidione occidi,iuxta impiorum & votum & ſententiam. Et ſic ſemper manet puſillus ille grex Luc. 12.
Domini,augeturq; indies,vtcunq; inſaniant aduerſarij.

ET SPRAVIT IN TE QVI NOVERVNT NOMEN 10.
TVVM QVONIAM NON DERELIQVISTI SPERANTES TE DOMINE.

Et hæc

Et hæc eſt immodica illa hominum adflictorum fidutia & confirmatio, qua DEVS promittit nobis non deſerturum quærentes ſe. Hoc eſt, habentes verbum ſuum, quo cognito, & nomen eius cognoſcitur & laudatur, non noſtrum nomen aut opus, quod Hoſioergi faciunt.

11. PSALLITE DOMINO, QVI HABITAT IN ZION, ANNVNCIATE INTER GENTES STVDIA EIVS.

Hoc eſt, tantum curate, vt nomen Domini indeſinenter celebretis, Verbum eius docentes alios, tum fiet, vt & nos exquirat & laudet, vt ſequitur.

12. QVONIAM REQVIRENS SANGVINEM EORVM RECORDATVS EST, NON EST OBLITVS CLAMOREM PAVPERVM.

Permittit quidem pios indigna morte contumelioſè aboleri, eorumq; ſanguinem magno impiorum contemptu & iubilatione effundi, ita diſsimulanter omnia ferens, ac ſi ſuorum oblitus ſit. Sed profectò benè memor facit vt piorum ſanguis iniuſtè fuſus, graui vltione puniatur, adeò, vt indies piorum numerus fiat numeroſior, decreſcentibus impijs, quo plus quotidie ſanguinis effuderint.

13. MISERERE MEI DOMINE, VIDE HVMILITATEM MEAM DE INIMICIS MEIS, QVI EXALTAS ME DE PORTIS MORTIS.

Hoc eſt, perge vt cepiſti nobis eſſe auxilio, quo per mortem noſtra ſubinde maior turba fiat. Ea eſt enim tua natura à portis mortis, hoc eſt, è poteſtate occidentium & inſectantium nos eruere, & furentes opprimere.

VT ANNVNCIEM OMNES LAVDES TVAS IN PORTIS FILIAE
ZION, EXVLTABO IN SALVTARI TVO. 14.

Vt & mihi,inquit,ſemper adſit parata nominis tui laudandi occaſio, quo maioribus tu nos cumulaueris officijs & auxilijs,vt per hoc quoq; nominis tui decus ſemper magis magisq; fiat memorabilius apud credentes, vt ſequitur.

DEMERSAE SVNT GENTES IN FOVEAM QVAM FECE- 15.
RVNT: IN LAQVEO ISTO QVEM ABSCONDERVNT,
COMPRAEHENSVS EST PES EORVM.

Hoc eſt,occidendo & perſequendo alios,ſeipſos occidunt & perdunt, DEVS enim per illorum rabiem & furentem impietatem facit Verbum ſuum firmius & efficatius, quo plures conuertantur quàm alioqui nemine repugnante.

AGNITVS EST DOMINVS IVDICIVM FACIENS, OPERI- 16.
BVS MANVVM SVARVM COMPREHENSVS
EST PECCATOR. SELA.

Non deſerit Verbum ſuum Dominus, ſed manifeſtat illud poſtremo,vnde perſpicuum fit,illud verum fuiſſe,fitq; vt impij ſuomet iugulentur gladio.

CONVERTANTVR PECCATORES IN INFERNVM, OMNES 17.
GENTES QVAE OBLIVISCVNTVR DEI.

Sic aduerſus Impios precandum eſt nobis, vt DEVS ſua gloria illorum tangat conſcientiam, quò Verbo Euangelij perterrefacti,ad fidem relicta impietate deficiant.

QVONIAM NON IN FINEM OBLIVISCETVR PAVPERIS, 18.
PATIENTIA PAVPERIS NON PERIBIT IN FINEM.

Hoc equidem cupiunt impij,& DEVS ita ſe gerit,ſinens prævalere ad tempus impios. Verum hoc nobis debet eſſe ſolatio, quod hic negat externam rerum faciem conſiderandam eſſe,ſed verbi ſui infallibilem ſententiam mordicus amplectendam.

19. EXVRGE DOMINE ET CONFORTETVR HOMO, IVDICENTVR GENTES IN CONSPECTV TVO.

Hoc eſt,fac quod loquutus es Domine,da vt Verbum tuum longè lateq; ebuccinetur in omnes Gentes, perterrefacta & condemnata impiorum conſcientia.

20. CONSTITVE DOMINE LEGISLATOREM SVPER EOS, VT SCIANT GENTES QVONIAM HOMINES SVNT. SELA.

Qui ſe hominem eſſe agnoſcit, hic nouit ſe nihil eſſe coram DEO. Quaproptér deſinit furere & præſumptuoſè agere, deiecto animo à quouis doceri. Talem verò cognitionem adfert Verbum Euangelij externè predicatum. Ad quam rem Predicatoribus opus eſſe dicit,ſicut CHRISTVS: Orate Dominum meſsis, vt extrudat operarios in meſſem ſuam. Non vult rem agi ſpectris & ementitis viſionibus citra externam Euangelij predicationem, quemadmodum nunc aliquot inſani furiunt Pſeudoprophetæ.

Conſola. ex hoc Pſalmo.

Iam planè videtis optimi fratres,quàm hic Pſalmus nobis conſolationem præbeat, in certam ſpem nos erigens, vt credamus DEVM per precioſum Henrici ſanguinem multorum bonorum authorem fore. Quamobrem hac diuina conſolatione ſubleuati,orate hoc Pſalmo, vt nomen Domini

ſanctifice-

Sanctificetur, eiuſq; regnum promotis pomerijs amplificetur. Amen. Per CHRISTVM vos obſecro fratres, commendatos habere velitis Diethmaros, omnibus conſolationis & amicitiæ officijs proſequentes, quo & ipſi ad verè fidei & pietatis portum ex ſuperſtitionis & impietatis procellis perducantur fœliciter. Audio enim plures ſupra modum angi triſtitia, & dolere tantum homicidium inter eos ab impijs Monachis eſſe peractum. Hæc bonæ ſcintillæ fomes eſt à DEO excitata, quæ vtiliſsimi incendij flammas olim eſt exuſcitatura, ſi eandem amicis nutrimentes fouentes veſtro vitio nō fuerit extincta. Iacobum præpoſitum Predicatorē veſtrum, aliosq; vobis diligenter commendo. Quibus omnipotens DEVS vnà vobiſcum maſculo ſpiritu animatis ſuam gratiam largire dignetur, vt à doctrina Euangelij Henrici ſanguine obſignata confirmataq; ſtetis perſeuerantes, & DEO vocante intrepidè alacriterq; ſequamini. Amen. Salutant vos omnes fratres in CHRISTO. Orate pro nobis. Gratia Domini noſtri IHESV CHRISTI ſit cum omnibus vobis.

HISTORIA DE HENRICO SVDPHANO in Diethmaris occiſo.

ANNO Domini M. D. XXII. Henricus Sudphanus Bremam venit, non vt ibi Concionatorem ageret, ſed quod in animo habebat Vuitenbergam proficiſceretur, tanquam Antuerpiæ à Tyrannis propter Euangelium expulſus.

Henricus Sudphanus ex Antuerpia pulſus Bremam appulit anno 1522

Rogatus verò à pijs aliquot Ciuibus vnius aut alterius exhortationis Euangelicæ faciendæ gratia, facile ad hoc amore chriſtiano perſuaſus & adductus eſt. Fecit itaq; primum ſermonem ad populum dominica ante D. Martini ferias. Quem cum audiſſet populus Verbum DEI ſyncere docentem, rogatus eſt diligenter ſecundis precibus, atq; adeò à tota eius Parochiæ Eccleſia ad officium Verbi vocatus, vt apud eos maneret docturus Euangelium. Quam conditionem tunc oblatam periculi faciendi cauſa ad tempus non recuſauit. Quod vbi hi, quos religioſos vocant, nominatim verò Canonici, Monachi, & Sacerdotes reſciuerunt, omnem protinus impenderunt operam, vt eundem vnâ cum CHRISTI Euangelio eiectum oppido opprimerent, auaritiæ ſtimulis ad hoc excitati, qui mos eſt iam omnibus eius generis hominibus. Quamobrem Senatum conueniunt, orantes, talem hæreticum ex vrbe exigi, quod doctrina ſua aduerſaretur Eccleſiæ Catholicæ. Ad hanc Canonicorum poſtulationem iubet Senatus accerſiri ædiles, & eius Parochiæ, in qua Henricus predicabat Superiores præfectos. Quibus accerſitis Senatus Canonicorum & omnium religioſorum querelam exponit, qua audita, reſpondent ædiles Parochiæ ſe non aliter ſcire, quâm quod & probi & docti cōcionatoris operam conduxiſſent, à quo Verbum DEI rectè docerentur & ſynceriter. Quod ſi tamen Capitulum, aut alius quiſpiam teſtatum facere poſſet Predicatorem aliquid docuiſſe, quod aut hæreſim ſaperet, aut cum Euangelica veritate pugnaret, paratos

H. Sudphanus concionatur Bremæ.

Perſecutio contra H. Sudphanū.

Excuſatur H. Sudpha. ab Aedilib. Parochiæ.

ratos eſſe ſe vnà cum Capitulo eundem perſequi, tantum abſit, vt hæreticum fouere vellent. Sin verò minus, domini Capitulares, iuxta alij quiq; religioſi docerent quicquam hæretici erroris docuiſſe conductum à ſe Predicatorem. Si tantum decreuiſſent odio & inuidentia adducti eundem profligare vi & impetu, nullo modo hoc paſſuros aut conceſſuros ſe cogitare. Quapropter rogant Senatum ſumma obedientia, quo minus hoc à ſe exigat, ſed iuris æquitatem ſibi concederet. Ita ſe animatos eſſe, quod velint Predicatorem ad dicendam cauſam ſemper ſiſtere. Hoc reſponſi Senatus Capitularibus per legatos obnunciare iubet. Vbi verò religioſi animaduertunt ſe parum verbis amicis proficere, concepto furore in iram & minas prorumpunt, & cum dicto ad Epiſcopum certatim currunt ſignificaturi, Ciues Bremenſes factos eſſe hæreticos, & religioſis amplius obtemperare nolle. Multa ſimilia quærimonijs aggerentes, periculum ſcilicet eſſe ne tota vrbs breui ſeduceretur.

Quærela Canonicorum ad Epiſc. Bremenſ. de H. Sud.

Quibus auditis actutum duos qui ipſi erant à conſilijs Bremam mittit Epiſcopus, poſtulans ad ſe ſine mora mitti monachum. Interrogati verò quamobrem peterent mittendum, reſpondent eum predicare aduerſus S. Eccleſiam. Rogati deinceps in quibus articulis? non habebant quod dicerent. E conſiliarijs verò alter erat Suffraganeus Epiſcopi, Ordinis predicatorij monachus perditus hypocrita, qui nullum non mouebat lapidem, quo bonum Henricum captum adduceret, valde metuens ne ſuæ impoſturæ artificium peſſum iret.

Epiſcopi Bremenſis poſtulata à Senatu Bremenſi.

iret. In ſumma hoc tulerunt à Senatoribus reſponſi, quandoquidem predicator ab ædilibus Parochiæ ſuſceptus nulla Scriptura pro hæretico hactenus fuiſſet conuictus, nec quiſquam vllum articulum vt erroneum à ſe doctum produxiſſet, negant hoc ſe impetrare poſſe à Ciuibus, vt eum abduci concedant. Propterea ſummoperè rogare ab Epiſcopo ſuos doctos quàm primum Bremam mittat, ad diſputandum cum predicatore, quem ſi conuinceretur iuſta pœna affectum citra moram ablegare velle promittunt, ſin minus, nullo modo dimittere poſſe. Ad quæ reſpondet Suffraganeus ſumma obteſtatione ob communem totius regionis pacem petens ſibi tradi Predicatorem, DEVM teſtem producendo ſe nihil in hac re quàm communis patriæ ſalutem quærere. Verum his omnibus nihil actum aut impetratum eſt, ſiquidem Senatus in priori perſiſtebat ſententia.

H. Sudphanus offertur ad publicā diſputationem.

Id quod Suffraganeus iracundo tulit animo, relictaq; Brema abijt, recuſans ira commotus hæreticorum liberos confirmationis oleo obungere. Ad Epiſcopum verò reuerſus, Senatus reſponſum, & quæ deinceps à Sacerdotibus & Monachis audiſſet, edocet. Poſtea cum indies noua obnunciantur diuerſorum relatu, Predicatorem ſubinde magis ac magis peiora & grauiora docere & dicere aduerſus religioſos, aliud conſilium capiunt, ſubornantes magnos viros qui Ciues Bremenſes ſubmonerent in quæ diſpendia eorum Reſpub. Predicatoris nomine deuenire poſſet, præter Ponti-

Aliæ inſidiæ cōtra Hen. Sudphanū.

ficis

ficis Romani & Cæſareæ maieſtatis edictum predicantis. Ad hæc dicebant eundem Dominæ Margarethæ captiuum eſſe, id quod ipſis haud dubiè fraudi fore perſanctè deierabant. Quin etiam à Domina Margaretha literas extorſerant, quibus captiuum ſuum remitti poſcebat. His omnibus tamen impoſturis nihil profectum eſt, nam Senatus Bremenſis ſemper omnibus inculpabiliter reſpondebat. Vbi verò hac quoq; parte temerè ſuſceptum conatum vidiſſet Epiſcopus, aliud conſilium cum ſuis excogitat, quo Verbum CHRISTI cum ſuis ſe certò oppreſſurum ſperabat. Decernunt itaq; Prouinciale Concilium non quidem Bremæ (ſicut ante ſolebant & moris eſt) ſed Buxſtadij celebrandum, vbi Henrici excarnificandi commodum videbant locum relictum. Ad hoc itaq; Concilium accerſebantur omnes totius diocesis Prælati & Docti, vt ſtatuerent quid credendum, & cui innitendum ſit. Conſilium Prouinciale Buxſtadii

Sed & Predicator Henricus ad hoc ipſum vocabatur, ea tamen conditione, quod iam ante decretum eſſet aduerſus eum ita ſe proceſſuros eſſe, veluti contra hæreticum manifeſtarium, quanquam nec dum conuictus fuerat, nec cauſam dixiſſet ſuam. Quamobrem optimates Reipublicæ vnà cum populo Predicatorem domi apud ſe detinebant, perſpecta & ſuſpectè habita Conciliabuli malitia. Porrò Frater Henricus doctrinæ & fidei ſuæ ſummam in articulos aliquot paucis complexam ſimul cum literis ad Archiepi- Confeſsio fidei & Apologia F. Hen. Sud. miſſa ad Epiſ. Bremenſem.

Archiepiſcopum mittit,excuſando ſuam innocentiam, paratum ſe offerens,cuiuſcunq; erroris reus fuiſſet conuictus Sacrarum Literarm teſtimonio, eius abdicati palinodiam ſe canere velle. Vnum tamen enixè petens, vt Sacra Scriptura eius conuincerentur errata, cuius teſtimonio ſuam hactenus doctrinam comprobaſſet,& poſthac comprobare poſſe nihil addubitaret. Verum eius ſubiectionis ratio apud Infulatos illos locum non habuit, nullo dato reſponſo. Quæ verò fuerit iudicij ſententia,hinc coniectura fit, cum non ita multò poſt Leonis decimi Bullam,& Cæſaris edictum ſcriptum Vuormatiæ,affixum valuis publicant. Quapropter Henricus illorum veſania contempta, pergit docendo quotidie Euangelium, hac proteſtatione ſemper adiecta, nimirum ſe paratum eſſe & promptum cuiuis exigenti fidei & doctrinæ ſuæ rationem non grauate reddere velle. Interea verò loci Papiſtæ animo ocioſo eſſe non poterant,' ſed ſingulis Concionibus ſubauſcultantes Coryceos mittebant, ſuos ſcilicet Sacellanos, vt eum in verbis ſuis caperent. Verum DEVS, cuius ſemitæ in aquis multis ſunt,etiam in his ſuam mirabilem potentiam conſpici voluit. Conuertitq; nonnullos ex ipſis,adeò vt maior pars miſſorum ſubauſcultatum Sacellanorum apertè teſtaretur,eam doctrinam eſſe veritatem DEI cui nemo reluctari poſſet,qualem nunquam per totam vitam audiuiſſent. Quamobrem relicta impietate Verbum DEI non inſectandum eſſe ſuadebant, ſed credendum vt ſalui fierent. Porrò proceres Capitulares & Monachi cum

Pharaone

Pharaone excæcati induratiq; erant,adeò vt etiam peiores fierent: Tametſi nullus ex omnibus monachis in hunc vſq; diem ne Iota quidem probabiliter adducere potuit, quanquam quotidie magna vociferatione ingeminarent, hæreſim,hæreſim,ſed ne adhuc quidem poterint. Cum autē omnipotens DEVS iam perſpexiſſet tempus quod ipſi viſum erat idoneum, quo Henricus ſuo ſanguine veritatem à ſe predicatam confirmaret,miſit eundem inter cruentos Ceſores,huic parricidio deſtinatos.

Accidit enim anno à CHRISTO nato M.D.XXIIII. Henricum vocari per literas à Nicolao Boye Parocho,alijsq; Chriſtianis Parochiæ in Meldorffa, quod eſt oppidum in Diethmaris,ad Euangeliſandum eis CHRISTVM,vtq; è faucibus Antichriſti liberarentur, quem potentiſsimè ibidem dominari obſcurum erat nemini. Hac accepta vocatione Henricus in ferijs D.Catharinæ precidaneis, accerſitis ad ſe ſex fratribus, honeſtis Ciuibus aperuit, quemadmodum à Diethmaris vocatus ſit ad predicandum Euāgelium, addiditq; poſteaquam non ſolum ipſis debitor eſſet, verum etiam omnibus opem ſuam impetrantibus,viſum propterea eſſe ſibi inſtitutam ad Diethmaros profectionem ſuſcipere velle,expectareq; quid DEVS per eum ſit exequuturus. Eademq; opera eoſdem obſecrabat, velint ſe iuuare conſilijs, qua ratione commodiſsimè ſuſcepti itineris profectionem maturè conficeret,nemine conſcio,ne quo modo eius impediretur diſceſsio. Id quod dubio procul factum fuiſſet, ſi eius

Vocatio Hen. Sud. in Dieth. anno 1524

proſectionis conſilium aliqua ad populum permanaſſet. Ad quem Ciues ſic reſpondent,pro tempore orantes ne diſcederet aliò, hoc ſaltem perpendere volens, quod Euangelium nõ ita altè egiſſet radices in populo,ſed eſſe adhuc infirmum, præcipuè in Oppidulis circuniacentibus,perſecutionem verò eſſe longè maximam. Sed & huius eum rationem habere iubebant quod ab ipſis vocatus eſſet ad predicandi Verbi offitium. Si Diethmari quoq; Predicatorem cuperent,alium quemuis ſuo loco potius mitteret. Diethmariani enim populi perfidiam & ingenium iam ante perſpectum habebant. Præterea addebant non eſſe in manu ipſorum, vt illi liberam diſcedendi copiam citra totius Communionis vnanimem conſenſum concederent. Ad quæ Henricus in hunc modum reſpondit,quod quanquam negare non poſſet, ſe ab illis vocatum eſſe,tamen iam Bremæ permultos & pios & doctos eſſe, quorum opera ſe abſente vti poſſent in perdiſcendo Euangelio. Inſuper quoq; Papiſtas magna ex parte victos & proſtratos eſſe,adeò vt mulierculis & pueris eorum ſtultitia obſcura non eſſet. His addebat iam biennio à ſe predicatum eſſe Euangelium Bremæ. Diethmaros verò deſertos viuere ſine Paſtore in medio luporum, proinde ſalua conſcientia ſe tales preces ſpernere non poſſe. Quod verò dicerent, ſe illi abeundi copiam citra Eccleſiæ permiſsionem dare non velle, hoc apud ſe parum poſſe adfirmabat, quum eos prorſus deſerere nollet, ſed decreuiſſet tantum mẽſem vnum aut alterum apud Diethmaros agere, & iacto fundamento

Ciuium Bremenſiũ peticio ad Hen. Sud.

Reſponſio Hen. Sud. ad Ciues B.

quantocyus

quantocyus domum regredi. Velint itaq; poſt diſceſſum ſuam à Diethmarianis vocationem Eccleſiæ palàm facere, cui reniti non potuiſſet. Clandeſtinam præterea excuſare iubet profectionem, eò quod in occulto abire cogeretur ob inimicorum ſuorum ſtructas paſsim inſidias, à quibus palàm abeundo damnum præcauere poſſe haud ſperaſſet, nunquam non hoc vnum molientibus, quo eundem præhenſum, traderent exitio. Poſtremo pollicerentur Communioni ſuo nomine re confecta actutum ſe domum reuerſurum. His verbis ab Henrico perſuaſi, quieſcebant, certam ſpem animo concipientes fore, vt Diethmariani ad veram fidem conuerterentur, quæ Gens præ cæteris Idolatriæ ſemper fuit deditiſsima.

Poſtea rebus ad profectionem paratis duodeuigeſima octobris Henricus ad Diethmaros arrepto itinere, venit Meldorffam, quo vocatus fuerat. Vbi quoq; magno gaudio cum à Parocho tum alijs Chriſtianis ſatis honorificè & hoſpitaliter eſt acceptus. Quàm primum verò eò peruenerat Henricus, tametſi nondũ predicauerat, illico Diabolus cum membris ſuis magna æſtuans iracundia, infremuit. Præ cæteris tamen Auguſtinum Torneborchum nigri Monaſterij Priorem qui Iacobitæ vocantur ſeu predicatores, magno zelo axaſperat, qui ſe citato greſſu protinus ad M. Ioannem Suicken ſodalem ſuum, Officialis verò Haumburgenſis Vicarium ſeu cõmiſſarium contulit, capturus conſiliũ quid opus

profectio Hen. Sud. in Diethmariam.

Furor Auguſtini Torneborgi cõtra Hen. Sudphanũ.

opus facto videretur, quo minus regnum amitterent. In ſumma Senatusconſulto decernunt ante omnia obſtandum eſſe principijs, ne daretur Henrico vlla predicandi copia. Nam ſi quo modo fieret vt predicaret, & populus eum audiſſet, periculum eſſe ne in apertum Monachorum & Sacerdotum aſtutiæ & nequitiæ producerentur, quibus patefactis, omnem reſiſtendi facultatem amiſſam eſſe planè nouerant, non ignari, quid Bremæ non ita pridem factum fuerat. Hac deliberatione habita prædictus Prior poſtridiè ſummo diluculo (noctu enim curis anxius ſomno non multum indulſerat) magna feſtinantia Heydam adproperat, conuenturus eius Regionis 48. Præſides, quibus multis quærimonijs indicat, quemadmodum à Brema ſeditioſus veniſſet monachus, ſeductum omnem Diethmarianorum regionem, veluti Bremenſibus feciſſet prius. Erant quoq; qui hac in re Priori operam dabant, M. Gunterus cõmunis Regionis Cancellarius, & Petrus Hannenus, vterq; iuxta infenſus Euangelio. Hi duo aſsiſtebant Priori ſtrenuè, perſuadentes reliquis. 46. imperitis & ſimplicibus quam ſolidam præcipuè ſint apud Epiſcopum Bremenſem inituri gratiam, ſi occidiſſent hunc Monachum hæreticum. Quibus auditis miſeri & imperiti homines, mox decernunt Monachum indicta cauſa occidendum eſſe, nec auditum, nec viſum, multo minus conuictum. Porrò Prior à 48. Præſidibus ad Parochum ferendas extorſit literas, ſummam indicentes Parocho mulctam, niſi Monachum à ſe antequam predicaret expulſum abire iuſsiſſet. His acceptis feſtinabun-

Alii aduerſarii Hen. Sudphani.

ſtinabundus venit Meldorffam, moxq; Parocho edictum à Prȩſidibus noctu legendum offert, ſperans certò fore, vt edicti minis Henricus à concionando abſterreretur, planè perſpiciens quantum ſuæ partis intereſſet ſi predicaret. Vbi verò Parochus acceptas perlegiſſet literas, ſupramodum admiratus eſt edicti inſolentiam, eò quod inauditum erat. 48. Preſides rebus Eccleſiaſticis ſe implicare, cum pro recepta multo vſu conſuetudiee regimen ſemper penes totam Parochiæ communionem fuerit. Cunq; etiam ante totius Prouinciæ ſuffragijs ſtatutum fuerat, & longo iam vſu obſeruatum, liberam eſſe ſingulis Eccleſis relictam poteſtatem Parochi aut Predicatoris deponendi aut ſuſcipiendi. Has itaq; literas Parochus Henrico æſtimandas offert, ſimulq; regionis receptam conſuetudinem indicat. Quibus obiter perluſtratis reſpondet Henricus, ſe, poſteaquam à tota Eccleſia vocatus adueniſſet predicatum CHRISTI Euangelium, ei vocationi ſatis facere velle, quatenus Eccleſiæ & communioni hoc officij gratum fore intellexerit, Plus enim obtemperandum eſſe Verbo diuino, quàm hominibus. Quod ſi DEO viſum foret, vt in Diethmaris interfectus animam profunderet, perinde propinquam in Diethmaris eſſe in cœlum viam, vt alibi. Cumprimis quod dubium non ſit, quin ſemel propter Euangelium eſſet moriturus. Hac fiducia concepta Henricus poſtridie conſcenſo ſuggeſtu primum habuit ſermonem, hunc Pauli locum explicans, qui eſt Rom. I. Teſtis eſt mihi DEVS, &c. & illius diei Euangelium. Finita Concione

Literæ 48. Præſidum ad Paſtorē in Meldorff cōtra Hen. Sudphanū.

Hen. Sud. reſponſio.

Prima concio Hen. Sudphani.

tota conuocatur Eccleſia, cui prædictus Prior literas à 48. Præſidibus miſſas offert, quarum ſenſus erat, Meldorffianos ſcilicet millenorum aureorum mulcta mulctandos eſſe, ſi Monacho locum predicandi conceſsiſſent. Iubebant inſuper Legatos ab ipſis plenè tradita poteſtate Heydam verſus mitti, ibi enim magnis & multis cauſis vrgentibus totius Regionis fore habenda commitia. Porrò vbi lectas audiſſent literas, plurimum commouebantur iracundia, quod præter Regionis conſuetudinem hoc illis demandaretur. Cum vnicuiq; Parochiæ ea ſemper fuerit poteſtas, qua pro arbitratu ſuo Predicatorem eligere & ſubmouere potuit. Breuiter, vno ore ſtatuebant Henricum pro predicatore retinendum & tuendum eſſe, erant enim Priori audito ſermone penitus incenſi. Confecto prandio, ſecundum ſermonẽ habuit Henricus, eum Pauli locum enarrans, qui eſt Rom. 15. Debemus nos qui potentes ſumus, &c. Poſtero die mittunt Ciues à Meldorffa legatos ſuos Heydam, offerentes ſe coram omnibus dicta pro ſuſcepto Predicatore cauſa rationem reddituros. Ad hæc palàm faciebant legati quas chriſtianas ab Henrico Conciones audiuiſſent. Sed & Parochus ipſe Legatis literas 48. primatibus reddendas tradiderat, quibus excuſabat, quod nec ipſe, nec Henricus vnquam concitandæ ſeditionis authores eſſe in animum induxiſſent. Vnicè verò adeoq; ſolum DEI Verbum ſyncerè docendum eſſe ſtatuiſſent. Obtulit his verbis & ſe promptè pro Henrico coram omnibus acceſſitus cauſam dicturum. Quamobrem diligenter orabat, ne Monachis

Meldorffianorum pietas & conſtantia.

Meldorffianorum Legati verſus Heydam mittuntur.

Monachis fidem darem Primates, quos odio & auaritia excæcatos & inductos, veritatem opprimere decreuiſſe, planè perſuaſum habeat. Inde conſultum ſibi videri, vt prius accuratè explorata veritate, indicta cauſa condemnarent neminem. Quod ſi habita indagine conuincerentur noxij, nullo culpæ prætextu velle vltro irrogatam pœnam perſoluere. Hæc ſubmiſsio vnà cum teſtimonio publico nullius momẽti æſtimata ſpernebatur, nec quicquã dabatur reſponſi, ſed diuerſo murmure alius alia loquebatur. Vltimo reſpondet Petrus Dethleues, vt vnus è Seniorib. Quanquã varia paſsim ſit circa fidẽ Chriſtianã diſſenſio, & ſe vt indoctos & imperitos eandẽ cõponere non poſſe, tamen hanc ipſorũ ratè & ſerio habendã eſſe ſententiã, quod eius cõponendæ diſſenſionis arbitriũ futuri Cõcilij iudicio reſeruandũ eſſe putarẽt: id quod breui relatu Cancel: M. Gunteri colligendũ accepiſſent. Dum facta diſcordiæ cõpoſitione, quicquid à vicinis acceptũ fuerit aut creditũ, hoc & ſe non grauate accepturos & credituros aliorũ nomine pollicebatur. Quod ſi tamẽ Verbũ DEI parum clarè & fideliter (vt fertur) antehac fuiſſet predicatũ populo, & nunc eſſe qui hoc tradere poſſent ſyncerius, horum conatui obſiſtere, ipſorum non eſſe conſilium. Vnum hoc precaueri velle Præſides, ne qua concitandæ ſeditionis feneſtra à quoquam aperiretur. Proinde omnes iubet compoſita pace quieſcere, & rem ad proximum Paſcha dimittere. Interea fore, vt palàm fieret quid amplectendum quiduè miſſum faciendum, quid iuſtum, quiduè iniquum eſſet.

Petri Dethleues reſponſio.

Hac

Hac reſponſione audita contenti, quieſcebant omnes. Legati Meldorffam regrediuntur, indicantes magno gaudio toti Communioni quid reſponſum ſit, certa ſpe animo concepta rem breui ceſſuram fœliciter.

Aliæ conciones Hen. Sudphani. In ferijs Nicolai Epiſcopi bis concionatus eſt. Primum Euangelium, Homo quidam nobilis &c. Secundo, plures facti ſunt Sacerdotes, &c. eo ſpiritu & verborum gratia, vt omnes in admirationem adducti, DEVM precati ſint diligenter, quo tali predicatore diu frui poſſent. In ferijs conceptæ Mariæ, item duos ſermones habuit, primum caput Matthæi, Liber generationis enarrans, in quo promiſsiones à DEO factas Patribus percenſebat, & qua fide Patres vixiſſent iuſtificati, hoc adiecto, quod oporteret & nos citra vllorum operum reſpectum eadem fide obtenta iuſtificari. Atq; hæc omnia eo ſpiritu dicebantur, vt omnes admirarentur vehementer, diuinæ miſericordiæ magnas gratias agentes, quæ talem eis Concionatorem obtuliſſet. Præterea orabant, velit etiam per dies CHRISTI natalitios apud ſe manere ſingulis diebus concionaturus, timebant enim ne vocaretur aliò. Interea

Furor Aduerſariorũ. loci Prior ille & M. Iohannes Schnickus non queiſcebant. Poſtquàm enim Prior animaduertit ſuæ malitiæ conatui ſucceſſum perinde fœlicem non reſpondiſſe, adiuncto Comite Vilhelmo Prdiecatorij ordinis Doctore Laudanam proficiſcitur, ad Monachos Franciſcanos Minores, auxilij & conſilij capiendi gratia. Eius enim farinæ Monachi, præter quàm credi poteſt, inſtructi ſunt ſua Hypocriſi ad imponendum ſim-

dum ſimplicium animis & credulitati.Monachi verò Lignipedes protinus iubent accerſiri aliquot è Primatibus & Pręſidibus, penes quos erat imperium, nominatim verò Petrum Hannum, Petrum Suinum, Nicolaum Rodenum, quibus indicant magnis pro more quærimonijs, quidnam Monachus Hęreticus predicaret, & populum ſimplicem, quem magna ex parte iam fauentem ſibi deuinxiſſet. Quod niſi obuiam irent obſtando principijs, & occidēdo Hæretico, fore, vt breui Mariæ & Sanctorum cultus vnà cum duobus Monaſterijs collaberetur. Hæc erat Scriptura qua cōuictum Hæreticum morti tradere cogitabant, quod & factum eſt. Vbi verò miſeri illi & ſimplices hæc audiſſent, indignati ſunt plurimum. Ad quæ Petrus Suinus ita reſpondet, Parocho quidem & Henrico ſcriptum eſſe prius, quid facto opus eſſet, ſi tamen videretur conſultum & ex re eſſe, denuò vt ſcriberetur. Nequaquam reſpondet Prior, alia enim via adgrediendum eſt hoc negotiū, nam ſi ſcripſeritis, inquit, Hæretico, actutum reſponſurus eſt. Et periculū eſt, ne & vos imprudentes tandem eius hæreſeos inuadat cōtagio. Data enim illi fandi & reſpondendi copia, non eſt quod eum vincere poſſe ſperetis. Cōſilio itaq; habito decernunt Monachum nocturno tempore præhendendum, & concremandum eſſe, priuſquam reſciſceret Vniuerſitas, & ipſe ad defenſionem veniſſet. Tale conſilium placebat omnibus, cū primis tamē Franciſcanis Monachis, Petrus itaq; Hannus vt præcipuus Prioris amicus, volens potiores propoſitæ laudis & gratiæ pręoccupare, auxilio & du-

Reſponſio Petri Suini.

Inſidiæ ſtruuntur Hen. Sndphano.

 ctu M.

ctu M. Gunteri aliquot Præfectos ſibi adiungit ſocios ex villis circumiacentibus conuocatos. Non iniuria parcendum hîc eſſet nominibus, quia tamen viam ad laudem obtinendam affectarunt, merita laude priuandi non ſunt. Et hæc ſunt præfectorum nomina, Petrus Hannus, Petri Suini filius, Hennik Londanus, Ioannes Holnius, Lorentius Hannemanus, Nicolaus Veslinburgus, Ambroſius, Ioannes Brenkhuſius, Marquardus Kremnerus Henſtedanus, Ludekus Ioannes Veſsingus, Petrus Groſſus Præfectus Henningſtetinus. Hi præfecti omnesq; cæteri quos habebant cõſilij conſcios, conuocabantur in Parochiam Nouæ Eccleſiæ. Collecti verò conueniunt in domum M. Gunteri ſcribæ, captabantq; conſiliũ quomodo captum nullo conceſſo dicendæ ſententiæ iudicio concremarent. Iam enim ante lata ſentẽtia rogo addictus erat Henricus. Concludũt itaq; Henningæ poſtridie concepti: Mariæ, collecta ruſticorum manu conueniendum eſſe, quod oppidũ à Meldorffa abeſt 500. paſsibus. Hoc capto conſilio inſidias locant omnibus interceptis itineribus, ne qua ſtructarum inſidiarum perferretur à quoquam ad Meldorfianos ſignificatio. Quin etiam hoc pagatim ordinatum erat, vt omnes inualeſcentibus tenebris ſub pulſum veſpertinum in vnum conglobati coirent. Conueniunt itaq; plures quingentis ruſticis, quibus congregatis conuocationis cauſſa aperitur, & quid facto opus ſit edocentur, nam præter præfectos cauſam conueniendi nouerat nemo. Quam vbi didiciſſent ruſtici, volebant abire retrò, detrectantes tanti facinoris authores eſſe.

Nomina Præfectorũ

Præfecti

Præfecti verò eoſdē minis atrociſsimis in offitio cōtinebant, & quo eſſent animoſiores tria Hamburgēſis cereuiſiæ dolia exiccauerant. Veniunt itaq; ſub mediam noctem hora fermè duodecima, armata manu, Meldorfiam. Iacobitæ verò, ſeu Monachi Predicatores, incenſas faces ſubminiſtrabant ruſticis, ne cæcutirent, aut Henrico in tenebris daretur elabendi copia. Habebant autē vnà proditorem, Hennigum nomine, cuius proditione omnia habebant certa & explorata. Irrumpunt itaq; magno tumultu in ædes Parochi, corrumpentes & diſſecantes omnia quæ aderant, veluti temulentorum & veſanorum ruſticorum mos eſt, cantharos, lebetes, veſtimenta, cyphos, ſi quid verò argenti aut auri inuenerant, tollebant. Corruptis & deuaſtatis omnibus, in ipſum deinceps Parochum cæſim ac punctim irruentes impetum faciunt, magno boatu vociferantes, dede neci latronem, dede neci. Pars miſerum Parochum pertractum capillitio nudum pro uoluunt in luto, adigentes eum, vt vnà iret captiuus. Alij clamant Parochum miſſum faciendū eſſe, nihil enim habere ſe in mandatis de capiendo Parocho. Poſtea cōpleta cum Parocho libidine, magna rabie in Henricū facto impetu iruunt, cui nudè è cubili pertracto, multis præterea plagis onerato manus poſt tergum arctiſsimè conſtrinxerunt. Quem vinctum tamdiu hinc inde rapientes & pertrahentes diuexarunt, vt etiam Petrus Hannus immiſericors alioqui & venenatiſsimus Diuini Verbi perſecutor & hoſtis, tactus affectu miſericordiæ, diceret, vt eum ire ſinerent, haud dubiè

Irruptio in Meldorfiā.

Captiuitas Hen. Sud.

ſponte ſequuturum, quem deinceps Ioanni Balko ducẽdum commendant, à quo magis rapiebatur quàm ducebatur. Ad Henningſtetam verò iam perductũ, interrogant, quomodo & quo conſilio in Diethmariam perueniſſet? quibus humaniter & benignè aduentus ſui cauſam expoſuit, adeò vt cõmoti vno ore exclamarent, Tollatur, Tollatur ocyus. Quod ſi diutius ipſum loquentem audiuerimus, timendũ eſt, ne & nos vnà fiamus hæretici. Tunc ſupramodũ fatigatus amiſsis viribus in equum tolli poſtulabat. Erant enim eius plantæ aſpera iam glatie diſſectæ & læſæ, propterea quod nudus & ſine calceis hyberno tempore per totã noctem ductus iuiſſet. Vbi hoc audiſſent, illudunt ei ridentes & dicentes, Num hæretico equus ſit cõducendus, velit nolit, pedes iter facere cogeretur. Proinde quod noctis erat reliquũ ad Heydam vſq; nudũ per trahunt. Deinde in cuiuſdã viri Caldenis nomine domũ cathenis & trunco conſtringendũ ducunt, dominus verò domus rei indignitate cõſpecta, condolens Henrico, non paſſus eſt fieri. Quorũ inſaniã vbi iuuare recuſauit, eundem deinceps in ſacrificuli cuiuſdã Reymeri Hozekeni Officialis Hamburgenſis famuli ædes perductũ, inq; pœnum concluſum veſanis ruſticis adſeruandum cõmittebant, qui per totã noctem miſero illudebant. Inter cæteros venerant ad eũ Symon in Altenuorda, & Chriſtianus Nouæ Eccleſiæ Parochus, vterq; iuxta imperitus & impius, Verbi DEI perſecutores, quærentes ex eo, quamobrem ſacrã veſtem exuiſſet? Quibus amico animo ex Sacris Literis rationem reddebat, ſed nihil horum imperitæ beſtiæ intelligebant, quid diceret.

Sed & M.Gunterus eundem acceſsit quæſitum, num præoptaret potius ad Epiſcopum Bremenſem mitti, an in Diethmaris ſumere præmiũ? Cui Henricus ſi quid à me predicatum eſt impiè aut perpetratum maleficè, illis in manu eſt ſumendi de me ſupplicium poteſtas. Reſpondet Gunterus, Audite quæſo amici, audite in Diethmaris mori cupit. Vulgus verò per totam noctem potationi indulgebat. Manè facto circiter horam octauam apud forum confluunt, conſulturi quid porrò faciundum ſit. Ibi tum cereuiſia exęſtuantes, exclamant ruſtici, Comburatur, Comburatur, ad ignem properate cum hæretico, Hoc enim facientes hodierno die haud dubiè & apud DEVM & apud homines non mediocrem impetrabimus gloriam. Quo enim longior illi vita conceſſa fuerit, hoc plures ſua hæreſi ſeducturus eſt. Quorſum verò multa opus eſt deliberatione, cum illi certo moriendum ſit? Ita bonum Henricum non conceſſo iudicio indemnatum in dicta cauſa flammis comburendum adiudicant. Clamor aduerſariorũ.

Tandem per Preconem proclamari iubent, vt omnes qui in capiendo præſto fuiſſent, arreptis armis condemnatũ quoq; ad pyram foras educerent. Inter alios aderant & Monachi lingnipedes, animũ addentes & ſtimulis excitantes temulentos ruſticos dicendo, Iam recta via ingredimini. Inde arrepti Henrici vinculis conſtringunt manus, pedes & colliũ, quem magna vociferatione ad extructũ rogum foras producunt. Dum verò produceretur, ſtetit mulier quæpiam in domus ſuæ veſtibulo, videns hanc miſerrimã rerum faciem, Hen. Sud. producitur ad rogum.

vbertim plorabat, ad quam Henricus cõuerſus, dilecta mulier inquit, precor ne ſuper me plores. Vbi iam ad conſtructã pyram ventum eſſet, debilitatione victus humi deſidebat, mox adeſt Pręfectus quidam Maeus, nummis apertè ad hoc corruptus & expugnatus, igne Henricum comburendũ condemnat, tali pronunciata ſententia: Quoniam hic latro aduerſus Virginis Mariæ cultum, & ſanctam Eccleſiam multa impiè docuit & predicauit, quamobrem eundem Reuerendiſsimi in CHRISTO Bremenſis Epiſcopi & Domini mei iuſſu & permiſſu incenſo rogo abſummendum adiudico Cui Henricus, Hoc non feci. Et ſublatis in cœlum oculis, Domine, inquit, ignoſce illis, quia imprudentes & neſcientes peccant, Nomen tuum ſanctum eſt vnicè omnipotens DEVS. Interea mulier quæpiam Nicolai cuiuſdam Iungeri vxor, Petri verò Hanni ſoror, habitans in Meldorfia, obtulit ſe paſſuram ſuſtuarium, mille inſuper aureos daturam ruſticis, tantum, vt ſedata iracundia hunc virum incluſum carceri adſeruarent vinctum, donec coràm totius Regionis conuentu cauſam dixiſſet. His auditis irati, feruntur in rabiem, & humi mulierem proſtratam pedibus calcabant. Henricum verò non dicendis plagis immiſericorditer adficiebant. Quidam è ruſticis acuto pugione miſerum petit in occipitium. Ioannes verò Holmus de noua Eccleſia claua manuali ſeu cubitali. Porrò alij latera eius confodiebant, ad hæc dorſum & brachia, vbicunq; pungendi & tangendi dabatur copia, neq; hoc ſemel, ſed quoties loqui volebat. M. verò Gunterus inclamando quoſq; nominatim

Oratio Hen. Sud. pro inimicis ſuis.

Pietas cuiuſdam mulieris.

natim exhortabatur & extimulabat, Agite ſtrenuè ô impigri ſotij, hîc profectò DEVS præſto eſt & viuit. Poſt hæc idem è Monachis Franciſcanis quendam adductum prope Henricum ſiſtit, vt confiteretur, quem Henricus CHRISTI Martyr ita interrogat, Frater, num quando tibi à me dicto aut facto oblata eſt iniuria, aut quando à me exaſperatus es? Nunquam, inquit, Quid igitur tibi confitear quod mihi ignoſcendum putes, ſi nunquam à me læſus es? His verbis confuſus rubore monachus retroceſsit. Ignis verò quoties incendebatur, ardere nolebat, nihilominus tamen animo ſuo morem gerebant, omnibus armorum generibus petentes & confodientes eum. Hæc inſectatio ad duas fermè horas durabat, dum interea loci Henrico tantum Interula (quam vocant) amicto coram ruſticis ſtandum fuit. Poſtremo nacta ingenti ſcala, cui arctiſsimis vinculis miſerum alligant in ignem abijciendum. Hîc CHRISTI Martyr dum fidei ſymbolum orare incipit, adeſt quiſpiam, mox extenſum pugnum in faciem Henrici duriter incutiendo librat, dicens, ei prius cremandum eſſe, tandem cuiuſuis legendi aut orandi fore copiam. Inde alius in pectus eius calcibus conſcenſus, collum miſeri fortiſsimè gradili ſcalæ alligat, adeò, vt per os & naſum ſanguis vbertim erumperet. Hoc autem faciebat eius præfocandi gratia, videbat enim quanquam tot vulneribus cruentum, confoſſum mori non poſſe. Poſt hæc ſcalæ alligatus in altum erigitur, hîc quidam in tollenda ſcala auxilio eſſe volens, accurrit, ſuppoſiturus cui

ἀνέρες ἐστὲ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.

cui ſcala inniteretur cuſpidem. Eius enim Regionis homines Tortorum opera non vtuntur, ipſi ſine diſcrimine carnifices. Porrò ſchala aberrans à cuſpide, per mediū confodiendi occaſio fit Martyri. Ita bonum virum vnà cum ſcala conſtructā ſuper pyram abijciunt, quæ ex altero latere mox deſiliebat. Hîc Ioannes Holmeus adcurrens, apprehenſa claua tamdiu pectus Henrici duris ictibus contuſum obuerberat, donec efflaſſet animam, nihil ſe commouens amplius. Quem deinceps ſuper prunas aſſabant, Pyra enim toties incenſa, nulla concepta flamma, ardere volebat. Hæc breuiter eſt comprehenſa quam veriſsimè hyſtoria, ſuper paſsione Beati Martyris Henrici Sudphani.

ANNVS CHRISTI M. D. XXV.

D. NICOLAO AMSDORFFIO.

Libellum Ebreum ſe Aurogallo traditurum. In prophetis autem ſuam operam pollicetur, Coppii calumnias ſe contemnere, Carolſtadio multis Dæmonibus obſeſſo ſe reſpondere. Nouum bellum Cæſaris cum Gallo nuntiat.

GRatia & pax. Libellum Ebreum tradam Aurogallo, vbi redierit, mi Amsdorffi, excedit enim vires meas. Si miſeris Prophetas ſcriptos, forte illos iuuare poterimus. Coppij Sophiſticas obſeruantias & calumnias parum moror. Carolſtadio ex parte reſpondi, iam ſecunda parte reſpondeo. Arbitror te vidiſſe librum. Totus eſt obſeſſus non vno dæmone. Noua præterea nulla ſunt, niſi de futuro bello Cæſaris cum rege Franciæ. Vale & pro me ora, Vuitenbergæ feria 4. poſt Epiphaniæ, M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

DOMINO

DOMINO GEORGIO SPALATINO.

Vrbani Regii libellum cum aliorum literis remittit, & ſe ex Baſilea amicorum literis accepiſſe, Carlſtadii Typographos carcere fuiſſe punitos, atq; de eius libris quoq; cremandis fuiſſe conſultatum. Oecolampadium & Billicanum ſentire cum Carlſtadio, ſed & Anemundum minari ipſi calamum, niſi de ſua ſententia cedat. Atq; illos omnes non argumentis moueri, ſed ſenſu proprio, quem produnt nunc, ducem ſuæ opinionis nacti. At ſe ipſorum pertinacia magis in vera ſententia confirmare ſcribit.

GRatiam & pacem in Domino. Remitto tandem tibi Vrbanum Regium cum literis Matthæi Puſchij, adieci literas ad Hardmannum Hypachium, quas tu facile mittes ad eum, ego non habeo Tabellionom. Iuſtus Kernus meis quoq; literis commendatus iuit Alſtadium, necdum reuerſurus, quid faciat aut patiatur ignoro. Ex Baſilea ſcribunt amici Typographos Carlſtadij illic carcere fuiſſe punitos, & parum abſuiſſe, quin libri eius fuiſſent exuſti, fuiſſe & ipſum ibidem, ſed clanculo. Aſſentiri verò ſeſe ſcribunt eius opinioni Oecolampadius & Pellicanus. Anemundus verò coactus ab ipſis tam pertinaciter, vt minetur mihi niſi cedam mea opinione, ſeſe aduerſus me ſcripturum. Vide portenta Sathanæ. Verum quantum capio, nullis argumentis illius capiuntur, ſed ſenſu proprio, quod per ſeſe ſic rem antea opinati ſunt, nunc liberius audent prodire, nacti autorem & ducem opinionis. Chriſtus ſeruet me & ſuos omnes. Ego ſicut argumentis eius non capior, ſed magis roboror, ita propria opinione non hæſi in illo errore, licet fortiter fuerim tenta-

Paraſtatæ Carlſtadii.

tentatus. Certum eſt noſtram ſententiam eſſe veram, ſiue ego, ſiue illi omnes deſcierint. Vale & ora pro me Vuitenbergæ feria 6. Octaua Epiphaniæ M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Quoſdam locos Geneſis breuiſsime exponit. Quæ noua de Carlſtadio & quibusdam prodigiis è Camerario acceperit nuntiat.

Explicatio quorundã locorum Scripturæ.

GRatiam & pacem in Domino. Nihil reſpondi nec reſpondebo Sueuo illi, mi Spalatine. Creaſſe Deum Gen. 1. ſex diebus diſtinctis cœlum & terram, vt textus ipſe ſonat, & docui & ſenſi, extantq; excerpta aliquorum ex ore meo. Deinde ſerpentem fuiſſe vere ſerpentem, per quem Satan locutus eſt, vſus eo velut organo. Nam non eſt facienda vis verbis apertis Moſi ſine cauſa. Rebecca abſq; dubio, more illo priſco, conſuluit Dominum in ſummo Sacerdote Sem vel vno Patrui, illius temporis, qui ſacris præfuit, qui Spiritu pleni fuerunt. Sicut & ad Cain Dominus locutus eſt per Sacerdotem, qui offerentibus præfuit, nemper per Adam patrem ſuum, quomodo Chriſtus Matth. 19. dicit, Deum dixiſſe, Erunt vna caro, cum tamen Adam hoc dixerit Gen. 2. Mos ille poſtea ſub Moſe translatus eſt in Propitiatorium & Prophetas & Sacerdotes publicè inſtitutos. Vnde Eloim id eſt dij, vocantur quod verbum Dei reſpondeant. In nouo autem Teſtamento, quilibet Chriſtianus talis eſt. Mitto literas ex Auſtria ad me datas. Ioachimus noſter ſcribit Carl-

Prodigia.

ſtadium

ſtadium conceſsiſſe Nordlingam. Item;Babenbergæ natum eſſe puerum capite Leonino mox mortuum. Cruces quoq; ſupra vrbem quibuſdam apparuiſſe, ſed famam oppreſſam à Sacerdotibus. Vale & ora pro me, Vuitenbergæ Dominica poſt Antonij M. D. XXV. Martinus Luther.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Libellum Ebreum ab Amsdorffio miſſum, Aurogalla eſſe redditum. Cur in nuptiis Melchioris Mirisſi non appareat, ſe excuſat. Staupitium eſſe vita defunctum, Leonhardum Beier ex vinculis Monacenſibus liberatum veniſſe Vuitenbergam. Se prius Carlſtadio, ingentes turbas mouenti in ſuperiore Germania, reſponſurum, quam Eraſmo ſignificat. Amsdorffium rogat, vt ſuis literis hortetur Epiſcopum Magdeburgenſem Cardinalem, vt ſeditionem ſuorum præcaueat, & huius conſilii duas ſubiicit rationes. Ac ſe iuſiſſe in vincula coniicere quendam Iudeum Polonum Medicinæ Doctorem iſtuc miſſum, vt ab eo interficiatur veneno.

GRatia & pax. Libellum paruum tradidi Aurogallo, mi Amsdorffi. Quid futurum ſit ſcies. Melchioris Mirisſi nuptijs intereſſe non poſſum, id ei dicas. Laboro enim crure, ſed pro ſanitate corporis, nec pecuniam habeo quam mittam, deinde & pro noſtris opus eſt ſi qua venit. Staupitius exceſsit è viuis breui functus potentatu. Leonhardus noſter Monacaptiuus per Dominum liberatus apud nos modo eſt. Eraſmo nondũ reſpondebo, donec Carlſtadium abſoluero, qui miras turbas ſuſcitauit & ſuſcitat in ſuperiori Germania. Vnum eſt, quod à te petitur, id quod nolim contemnas, ſed vt ad Epiſcopum Magdeburgenſem Cardinalem ſcribas hortans, vt ſuos à ſeditione & tumulto cohibeat

Leõhardus Beier Monaci captus & liberatus

Id eò perſuadent amici, quod hoc argumento magis teſtatumfiat, per te & noſtros non niſi pacem quæri, deinde Epiſcopus occaſionem nanciſcatur magis ſedulo agendi aliquid, qui alioqui non eſt aduerſarius Euangelio. Eſt hîc apud nos Iudæus Polonus miſſus ſub pretio 2000 aureorum, vt me veneno perdat, ab amicis per literas mihi proditus. Doctor eſt Medicinæ & nihil non audere & facere paratus incredibili aſtutia & agilitate, quem hac hora iuſsi capi, neſcio quid adhuc futurum ſit. Hæc noua. Saluta omnes fratres & amicos, & tu pro me ora ac benè vale, Vuitenbergæ feria poſt Anthonij M. D. XXV.

Iudeus Polonus captus Vuitenbergæ.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMAN.

Gratulatur Hausmanno fœlicem reditum, & Carlſtadio duobus libris ſe reſpondiſſe nuntiat, è quibus & Pyghardi (quorum tamen ſcripta propter alias occupationes nondum legerit) quid ſentiat, cognoſcere poſſint. Galli Behemorum portenti mentionem facit. Quibuſdam eruditis conmiſſum eſſe reuoluere veterum ſcripta, & annotare quid de Sacramento ſenſerint. Ionam & Islebium puerorum Catechiſmum adornare, ſe operam ſuam collocare in Poſtillam & Deuteronomion.

GRatia & pax in Domino. Gaudeo te ſaluam & incolumem redijſſe domum, mi Nicolae. Carlſtadij diabolo duobus libris reſpondi, in quibus ſimul & Pyghardi ſatis noſtram ſententiam videbunt. Nondum perlegi eorum ſcripta, alijs occupatus. Gallum Bohemorum portentum noui, Deus conterat ſtudia eius, qui nobis ſic illuſit. Negotium

dedimus

dedimus aliquibus noſtrûm eruditis, vt non modo quid Tertullianus,ſed omnes veteres de Sacramento iſto ſenſe-rint, colligendi, vt obſtruatur os loquentium iniqua. Ionæ & Eislebio mandatus eſt Catechiſmus puerorum parandus. Poſtillæ & Deuteronomio me tradidi, in quibus ſatismihi erit laboris ad tempus. Tu ora pro me fortiter. Nihil rerum nouarum apud nos. Vale in Domino Vuitembergæ die Purificationis Mariæ M.D. XXV.

Teſtimonia veterum orthodoxorum de Sacramento Altaris collecta.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Iocatur cum Amsdorffio. Indicationem Aurogalli de libello ad ſe miſſo, item, quo ſpiritu Carlſtadius agitetur, perſcribit.

GRatia & pax. Non de Cloaca papyrum ſumo, quemadmodum Ionas noſter, qui te nihil pluris æſtimat, quam vt dignus ſis, qui Schedas natales,hoc eſt, de natibus purgatis legas. Cæterum vt antea quoq; ſcripſi, quod libellus paruulus quem miſiſti (Aurogallus teſtis eſt) nihil niſi preculas contineat iuſsi tamen, vt diligentius ſpectet, poſtea remittetur. Noua nulla hîc ſunt, niſi quod Carlſtadij Sathan prodibit. Nam ſui teſtes ſunt noſtro Glatio, quomodo Monachum Carlſtadius Capellanum habuerit, quo vſus ſit pro ſpiritu in domo ſua, vrgente & reuelante myſteria, ſic miſerum vulgus luſerit. Mira videbis propediem, vide quo venerit, quo raptus ſit miſer iſte ſpiritus ſuperbiæ? Ora pro eo, ſi forte ſanabilis ſit. Inſtat ignominia eius in foribus. Qui talia audet

Quo Spiritu Carolſtadius agitetur.

audet, quid putas ſentiat de re pietatis? vale & pinguem maritum Melchiorem ſaluta, cui opto coniugem obſequentem, quæ per diem ſepties eum capillo circum forum ducat & per noctem ter benè obtundat verbis connubialibus vt meretur. Vuittemb: Freitags nach Dorotheæ M.D.XXV.

Martinus Lutherus.

M. GEORGIO SPALATINO.

Quid fiat de Iudæis captiuis veneficis nuntiat. Interpretationem Scalæ cuius fit mentio in fine 1. cap. Ioannis iubet cugnoſcere ex Annotationibus Philippi. Deuteronomio abſoluto & Eraſmo reſponſurum pollicetur. Iodoco Kern gratulatur auxilium Dei & Alſtadio reſipiſcentiam. Noua de Carlſtadio ex Orlamundenſis Paſtoris literis cognoſcenda mittit.

GRatia & pax. Cras noua audies, quod petis ſcire, id eſt, mi Spalatine, quod Iudæi illi captiui, qui mihi venenum parabant eſſent forte proditurí, à quibus eſſent miſsi, cum verò ſponte hoc non facerent, nolui eos torqueri, ſed egi, vt dimitterentur liberi, quamuis perſuaſiſsimus ſim ipſum fuiſſe, quem mihi amici prodiderant, adeò omnia Symbola conſentiunt. Illud Ioh. 1. de Scala non poſſum melius intelligere aut interpetrari, quam Philippus fecit in ſuis annotationibus. Sic ſentio. Eraſmo reſpondebitur, vbi otium paulo fuerit. Nam Deuteronomion cogor obſoluere ne damno mulctentur Typographi. Gaudeo Iodoco Kern ſic adeſſe Chriſtum, & Alſtadium reſipiſcere. Orlamundenſis Paſtor, quæ ſcribat, vide in his eius literis, vt intelligas, me planè diuinaſſe

diuinaſſe de Carlſtadio, cum traditum ipſum Diabolo ſtatuiſſem. O miſera miſeria hominum ſi Chriſtus nos deſerat. Ille heri, ego hodie (inquit ille) quis non hanc vitam metuat, quam Satan tam potenter & malicioſè poſsidet? Vale & ora pro me. Sabbatho poſt Dorotheæ M. D. XXV. Carlſtadius Diabolo traditus.

Martinus Lutherus.

D. VVENCESLAO LINCO.

Gratias agit D. Linco pro vitro quodam ſibi miſſo. Purgat ſe, cur peticioni eius non ſatisfaciat. Iudicium ſuum de quodam Staupitii libro ſcribit. Carlſtadium plurimos indies etiam doctos viros in ſuam pertrahere ſententiam, quæritur. Rogatus ſuum exponit conſilium de Parochia in vrbe Aldenburga conſtituenda, & mandando ſilentio Minoritis.

GRatiam & pacem in Domino. Vitrum oculis ſalutare gratus accepi, mi Lince, quamuis non erat opus, vt te illo priuares. Cæterum non poſſum promittere exemplar tuo Bibliopolæ, tum quod meas Voragines nequeam explere, & à multis alicunde eadem petuntur, quibus & deberem. Tum quod vos quoq; Magiſtri nouitiorum & lectores menſæ eſtis, qui ſcitis componere libros, quanquam nomina non mutetis. Remitto Staupitium, frigidulus eſt ſicut ſemper fuit, & parum vehemens. Fac quod libet, indignus non eſt luce & publico libellus, cum tot monſtra quotidie prodeant & vendantur. Reſpondi Carlſtadio ſicut vides, Baſileæ ſubuertit multos. Oecolampadium

Pellica-

Pellicanum & alios, alioqui huc procliues antea. Item Argentinæ Ottonem Brunsfelſium & alios, ita vt nos rideant tam ſecuri de ſua opinione. Orlamundenſes ruſtici nates libello meo purgant, ſic Sathan furit. De Parrochia conſtituenda vrbis quid me conſulis? cum res ſit in libera veſtra voluntate, niſi quod ſpeciẽ ambitionis vel augeat vel ingerat, ſi tu ſolus vnus Parrochus eſſe contendis. Quanquam pulcrum & dignum eſſet, vnum in vna Ciuitate Epiſcopum eſſe, & reliquos eſſe presbyteros, vt Paulus ordinat Tit:1. Minoritis imponi ſilentium à Magiſtratu placeret, hîc puto Principem illis fore in hoc aduerſarium, qui potius venter eſſe cupit ſemper in talibus. Vale & coſtam tuam ſaluta orans pro me 3. feria poſt Dorotheæ M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. THEOBALDO BILLICANO Euangeliſtæ Nordlingæ.

Hortatur Billicanum, vt reſponſionem ad ſuas literas quærat ex libello ſuo contra Carlſtadium, ac refutat eius opinionem, quod impius Sacercerdos non poſsit conſecrare panem in cæna Domini.

GRatia & pax in Domino. Longiuſculis tuis ad me datis literis, mi Theobalde, arbitror ſimul ſatisfactum Libello de Sacramento aduerſus Carlſtadium. Quod verò nuper ad Philippum de officio benedictionis panis dominici ſcribis, ſic intellexi, quaſi impius non poſsit panem conſecrare aut benedicere. Ego ſecus ſentio, ſcilicet, Verbum Dei eſſe

Verbum Dei, non noſtra ſanctitate ſed ſua propria virtute, & facere quod facit, nullo noſtro merito, ſed ſua natura. Scis enim Euangelium ab Apoſtolo Rom. 1. nominari virtutem Dei potentem ſaluos facere credentes. Et tamen non omnes obediunt Euangelio, eiuſdem 10. Deinde predicatur à Contentioſis & inuidis, Philip. 1. Nec propter horum dignitatem, aut eorum incredulitatem deſinit eſſe Verbum Dei ac virtus Dei. Licet enim infirmum & ſtultum ſit impijs, ſapiens tamen & potens eſt pijs. Nec ergo fide piorum fit aliud aut melius, nec incredulitate impiorum peius. Alioqui Diuinitas ipſa nō eſt impijs Vrſus & Leena, pijs verò ſalus & vita. Igitur cum virtute verbi & inſtitutum ſit Sacramentum, & eiuſdem virtute conficiatur, non habetur ratio miniſtri qui facit, ſi Sacramentum ſpectes, licet ſi ſalutem eius ſpectes propriam, habenda ſit. Chriſtus enim & ipſe non virtute ſuæ ſanctimoniæ, ſed virtute verbi & inſtituit & benedixit. Quare ſicut verbum Dei, vbi fuerit virtus Dei eſt potens, licet impij hac potentia non fruantur, ita Sacramentum, vbi benedicitur, Sacramentum eſt perfectum, licet impij ea benedictione non fruantur. Nos enim plantatores & rigatores ſumus, Verbum vitæ & Sacramentum ſalutis miniſtrantes, ſed incrementi datores non ſumus. Miniſtramus verò idem verbum & Sacramentum, quod Chriſtus miniſtrauit, qui & ipſe, vt in Iudeis verbo nihil effecit, ita Sacramentum Iudæ Iſcharioti fruſtra dedit. Nihilominus verum Verbum illos docuit, & verum Sacramentum

Verbū Dei propter docentis impietatem non labefactatur.

Sacramentum propter adminiſtrantis impietatem non debilitatur.

huic dedit. Alioqui ſi fides miniſtrantium & recipientium ſpectanda eſt, incerta erunt omnia, an verbum & Sacramentum vſpiam ſit, cum incerta ſit omnium fides. At nunc non ex Lege aut noſtris meritis ſed ex promiſsione ſtat verbi & Sacramenti integritas, vt firma & certa ſit ſcientia miniſterij ſancti in populo Dei. Hæc habui, quæ dicerem. Tu boni conſule, ac ora pro me Chriſtum, cuius gratia ſit tecum. Amen Vuitēbergæ, Dominica inuocauit Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. M. GEORGIO SPALATINO.

Præceptori in Lichtenberg, quanquam è pluribus ſuis libris veram ſententiam de Matrimonio & voto Monaſtico, ſatis copioſe cognoſcere poſsit, Tamen ſe reſponſurum pollicetur, de capto Rege Gallorum & victoria Cæſaris in eo prelio admodum grauiter diſſerit.

Pollicetur literas ad Doctorem Reiſenbuſch quæ huic Epiſtolæ annexæ ſunt.

GRatia & pax. De caſu coniugij reſpondebit Pomeranus, vt petijſti, mi Spalatine, Præceptori Reyſenbuſch ſcribam tandem, quanquam mirer hîc opus eſſe hac ſcriptione, qui è libris tot copioſius legere & diſcere poſsit hæc. Regem Gallorum, ſiue caro ſit, ſiue aliud, non gaudeo victum & captum eſſe, victum eſſe ferri potuit, captum eſſe certè monſtrum eſt, ſed quid in his operibus Dei, niſi opera Dei conſideres? qui eleuat regnat, vt deijciat, venit hora regni Gallorum forte, & vt de Troia ille dixit: venit ſumma dies, & ineluctabile fatum. Cepit ille ſic antea Ducem Mediolane-

Regis Gallorum captiuitas.

diolaneum, nunc capitur ipſe, Cæſar triumphat, vt & ipſe cadat tandem, quanquam ſic Reges & Principes deijci noſtro ſeculo, mihi vnum de ſignis eſſe videtur teſtantibus caſurum mundum per nouiſsimum diem. Maiora ſunt ſigna hæc quam quiſq; putet. Et vt nunc Principes ſinunt vulgus inſoleſcere, futurum eſt vt plures ita cadant. Sic vrget forte fatum. Vnum placet, fruſtratum eſſe Antichriſti conatum, qui in Rege Galliæ ceperat niti, vt oſtendat Deus, ſe & huius Tyranni animarum omnia conſilia velle irrita facere, & ad finem ſui perducere.

Marſcalco & compatior damnis tot affecto, & congratulor tanto ſpiritu & fide prædito, quem & omnes ſaluta valde, Vuitenbergæ Sabbatho poſt Inuocauit M.D.XXV.

Martinus Luther.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO VVOLFgango Reiſſenbuſch, vtriuſq; Iuris Doctori, Præceptori in Lichtemberg Ordinis S. Antonij, &c.

Grauiter cohortatur Doctorem VV. R. Præceptorem in Lichtenberg, vt ducat vxorem, ſumptis argumentis ab ordinatione Dei, ab eius mandato, à conditione hominis apti ad generationem, ac confutans Argumentum de voto Monaſtico.

GRatiam & pacem in Chriſto. Amicorum nonnullorum rogatu, ac deinceps tuæ præſtantiæ fauore adductus, integerrime vir, has literas de contrahendo matrimonio ad te ſcribere volui. Qua de re etiam ante coram tecum agens animad-

animaduerti, nedum te ad hoc prompto eſſe animo & propenſo, verum etiam ab ipſo Deo ita creatum cogi & impelli. Nec in ea ſum opinione, vt putem ordinis tui votum aut professionem te retrahere à matrimonio. Quandoquidem hoc planè perſuaſum habeo te probè noſſe nullo voto quenquam obſtringi poſſe, vbi hæc duo non ſunt excepta. Primum, vt illud quod vouimus in noſtra manu adeoq; perficiendi facultate ſit ſitum, hoc eſt, vt votum ſit poſsibile factu, quis enim impoſsibilia vouere ſuſtineat? quis exigat? Hinc omnia vota in Sacris deſcripta literis eiusmodi eſſe quis non videat, vt quæ in humanis poſſeſsionibus iam ante à Deo data fuerant, cuiusmodi ſunt boues, oues, ædes, agri, corpora &c. Porrò caſtè & integrè viuere tam non eſt in manu noſtra, quam omnia reliqua Dei miracula, gratia & opera. Omnes itaq; ad matrimonium, hoc eſt, ad legitimè procreandos liberos nati ſumus, ſicut ipſa corporis membra indicant. Et Scriptura Geneſis ſecundo, Non eſt bonum homini eſſe ſolum, faciam ei adiutorium coram eo. Nunc qui ſe hominem eſſe agnoſcit, & credit hominis appellatione ſe quoq; comprehendi, ille purgatis auribus audiat, quam Deus omnium rerum conditor ſuper omnem carnem pronunciet ſententiam dicendo, nimirum ſe nolle quenquam viuere ἄγαμον, ſed multiplicari. Ad quod quidem illi adiutorium creauit coram eo, cuius præſidio fretus μονόσπορος viuere neceſſe non habeat. Et hoc eſt verbum quo vis genitalis & feruentis naturæ in mulierem inclinatio, in corpore maſculo creatur

Vota irrita.

I. An votum ſit poſsibile factu.

Ordinatio Dei Matrimonium.

creatur & conſeruatur. Quod nullis votis aut legibus poteſt eradicari aut opprimi,Dei enim verbum eſt et opus.Qui verò adeo ἄγαμος ἤ μονόσπορος manere ſtatuit, ille nomen hominis à ſe deponat, planum faciens, ſe angelum eſſe aut Spiritum, Homini enim â Deo nullo modo conceditur. Quamobrem non malè de ſanctis virginibus cecinit Eccleſia, quod non humanam ſed angelicam vitam in terris agentes vixerint, per ſummam illam Dei gratiam ſuſtentatæ, & quod in carne ſine carne ætatem egerint. Corpus enim noſtrum penè in vniuerſum muliebris caro eſt, nimirum in qua conceptum, auctum, natum, lactatum, ſotum & nutritum eſt. Ita vt ſupra vires noſtras ſit, ab hac ſibi temperare poſſe, & hoc cogente verbo Dei ita volentis & facientis. Hinc videmus homines alioqui mulieribus parum aptos procreando fœtu, naturali inclinatione nihilominus eſſe pleniſsimos. Et quo minus inſtructi ſunt εἰς τό παιδοποιεῖν, hoc magis ſunt γυναικόφιλοι. Cuiusmodi naturæ ingenium eſt, vt vbi moninum eſt, hîc omnium fortiſsimè expectamus. Quare ἄγαμος viuere volens planè ἀδύνατα θηρεῖ καὶ ὅλως θεομαχεῖ, in hoc, quod verbo Dei & creaturæ per verbum eius creatæ & deinceps conſeruandæ & exercendæ perperam obnitendo repugnat. Et quod tantopere captant, tandem aſſequuntur. Fit enim, vt dum ſtudent viuere celibes & ἄγαμοι, ſcortatione & carnis intemperantia reddantur pleniſsimi, in qua tandem in totum ſuffocatis, impiè deſperandum eſt. Propterea tale votum contra verbum & opus Dei ſuſceptum vt impoſsibile & impium nullius

Cantilena Eccleſiæ de virginibus cælibem vitam ducentibus.

momenti eſt. Deus quoq; reprobat illud, non ſecus ac ſi voluiſſem Dei Matrem me velle fieri, aut nouum cœlum condere velle.

2. Votum non ſit contra Deum & fidem Chriſtianam.

Secundum, ne votum quod ſuſcipitur ſit aduerſus Deum & fidem Chriſtianam. Aduerſus quam ſunt omnia vbicunq; & quandocunq; operibus fidimus, & non in ſolam Dei gratiam ſpem noſtram ponimus. Sicut ad Hebræ. 11. ſcriptum reliquit eius Epiſtolæ author, vtile eſt cor confirmari gratia, & non cibis, hoc eſt, legibus de edendo & bibendo conditis. Eiuſmodi verò ſunt omnia Ordinum vota monaſtica, quæ hominum conſcientias, non ſuper gratiam, ſed ſuper opera niti faciunt. In his quoq; ſpem ſuam habent poſitam, Chriſti & fidei obliti planiſsimè. Hæc inquam tuæ Præſtantiæ obſcura non ſunt, multo minus obſtaculo, verum humanæ neſcio quid imbecillitatis tibi viam precludit & aditum, veluti vulgato dicunt prouerbio, Eum plus quam herculeo animo eſſe præditum, qui vxorem duxerit. Hinc magis hîc opus eſſe video ſtimulis & calcaribus, quibus impellaris & animeris. Quantum verò temporis hac in deliberatione accipies? quamdiu cunctandum & differendum tandem putas, videt T. P. rem aliter agi non poſſe. Tantum reiectis è mente cogitationibus rem maturè quantum potes aggredere. Poſcit illud P. T. corporis diſpoſitio. Deus hoc vult, adeoq; fieri imperat, nobilis exempli memorabile hoc erit facinus, quod multis trepidis & infirmis bono ceſſurum eſt, cuius etiam non paucos carnis fœdam obſcenitatem fugientes imitatores fore planè perſuaſum habeo, tritiore

iam

iam per te Anteſignanum matrimonii contrahendi via reddita. Quid periculi eſt, adeòq; quid obeſſe poteſt ſi dicatur? Ecce Præceptor à Lichtenberg vxorem duxit. Nonne maior hæc eſt gloria & virtus, Chriſtiano conuenientior, ſi T. P. alijs fiat honeſtatis occaſio & prætextus? Chriſtus ipſe omnibus nobis celando & ornando dedecori prætextus factus eſt. Quid autem dico dedecoris prætextum? Apud rabie cõcitos, & non ita ſani cerebri homunciones dedecus eſt & ignominia vxorem habere ductã legitimè, à quibus ſcortatio paruipenditur, & matrimonium opus Dei ridetur. Eſt ne dedecoroſum vxorem ducere? cur non pari datur dedecori & probro, ſumere cibũ & potum, cũ vtrumq; iuxta facere cogat neceſsitas, & Deus vtrunq; ex æquo fieri imperet. Quid præterea dicam? Miſeranda res eſt, eò dementiæ ventũ eſſe, cũ hominibus pudendum facinus æſtimantibus, ſiquis vxorẽ duxerit, aut ſi quis ob ductam vxorculam pudore ſuffunditur, cum nemo miretur homines edentes & bibentes. Et hæc neceſsitas vnde genus humanũ emergendũ eſt & enaſcendũ, apud homines primum in dubium & admirationem venire debeat. Non video hîc quicquã conſultius, quã clauſis animi oculis quantocyus, ipſum opus aggredi, ad quod à Deo creatos nos eſſe videmus & ſentimus, dũ magnis flãmis cotidie in carne noſtra adurimur. Et quod à nobis ſpretũ, innumeris & deteſtandis peccatis grauiq; gehennæ pœna animaduerſurus eſt. Ne quæſo ſanctiores eſſe velimus Abrahamo, Dauide, Iſaia, Petro, Paulo, & omnibus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis tot Martyrib: & Epiſcopis, õnes ſe homines à Deo creatos nõ negan-

negantibus, nec homines eſſe & dici pudentibus. Sed qui ad eum modum vixerint, ne ἄγαμοι ἢ ἄπαιδες interirent. Quemcunq; puduerit connubij, hunc quoq; pudet eſſe & dici hominem, aut ſe meliorem quam à Deo creatus eſt de integro faciat. Adæ filij ſunt, & manebunt homines. Hanc ob cauſam debent & coguntur iterum ex ſe relicto ſemine procreare homines. Deum immortalem cotidianis experimentis obſeruamus, quam ægrè & multo labore vix in matrimonio viuatur connubiali caſtitate ſeruata, & nos primum extra matrimonium perinde ac ſi non eſſemus homines nec carnem nec ſanguinem habentes cœlibes viuere conamur? Verum Diabolus huius mundi Deus, tantis contumelijs & probris propemodum infame fecit matrimonitum, habito interim honore Adulteris, Meretricibus & Scortatoribus. Ita vt æquum mihi videatur diabolo & mundo aduerſandi gratia contracto matrimonio vxorem habere domi, & ſuam contumeliam propter voluntatem Dei ſuſceptam alacriter perferre. Et ne latius euager, hanc conſilij mei monitionem precor à tua Præſtantia candidè ſuſcipi, eiq; quam primum ſatis fieri. Ne T. P. Deum diutius tentet non ſine periculo. Diuini verbi gloriam hac in re cohoneſtantem, & Deus omnipotens condecorabit viciſſim honore habito, vna horula pudorem forſan adducente opus eſt, ſed quam deinceps perpetuis honoribus innumeri inſequentes anni excipient. Chriſtus Dominus noſter ſua T. P. impertiat gratia, & hæc mea ſcripta per Spiritum ſuum in corde tuo viua faciat & effica-

efficatia,ad laudem & gloriam ſui Nominis, Amen. Vuitenbergæ decimoſeptimo Martij, Anno M. D. XXV.

Martinus Luther.

NICOLAO AMSDORFIO.

Et ſuo & præfecti Vuitenbergenſis Hans Metzſch nomine Amſdorfium perhumaniter ad ſe inuitat.

GRatia & pax in Chriſto. Proximas literas forte ſimul tibi reddendas accepiſſe te credo, nam has mane ſcriptas nuncium iuſsi vt illis heri ſcriptas adiungeret, ſi ſimul offerentur videbis. Quod ſcribo nunc hoc eſt, vehementer tui præſentis nos deſiderium tenet, idq; non ſolum mei & meorum votum eſt, ſed & Præfectus noſter Hans Metzſch maximo ardore cupit. Qui ſanè cauſa mihi fuit audacius te rogandi, vt quia nos afflicti ſatis & tentati ſumus, digneris nos ſolatij & amicitiæ veteris gratia quam primum viſitare. Promittit certò, vbi ſignificaris diem, ad te miſſurum vecturam ſatis dignam, teq; cum ſalute remiſſurum ſua impenſa. Tu igitur exhibe nobis illum Amsdorfium ſimplicem, rectum & fidelem, qui nobis ſignificet diem, vt mutuo aſpectu & colloquio conſolemur. Vale in Chriſto chariſs: Amsdorfi. Dominica Reminiſcere Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Conſilium Principis Carlſtadio publicam fidem negantis probat, ſeq; pœnitere vllius vnquam commertii cum iſto homine, fatetur. Glatii negotium Spalatino commendat, in ſententia conſilii quod dedit præceptori in Lichtenberg, de non mutando loco ob doctam vxorem, perſtat.

GRatia & pax. Placet negata fides à Principe pro Carlſtadio, itaq; ad eum mittam tuum exemplar, vt liberer ab homine miſerè perdito. Mira mira audies & leges ex D. Glatio, vt me pœniteat vllius vnquam cõmercij mihi fuiſſe cum homine, omnia fraude & dolo verſante. Et quando ego tandem aliquando ſapio, ſic omnibus ad luſum, riſum, dolum, fraudem & ludibrium patens mea ſimplicitate? ſed non me, verum ſeſe fallunt. Adiuuabis D. Glatium, quia verè pendere non poteſt hoc ſeculo nouo cenſus inſtitutos altero ſeculo. Requirit certè nouum ſeculum nouas leges & nouos mores, quos niſi induſtria forment qui debent, vi inducent qui non debent. Cur autem non conſulam D. Præceptori, vt ducta vxore planè domo Antonij & ſuo loco non cedat, niſi pulſus, vel alio vocante aliqua conditione? Nuſquam neq; rectius neq; melius habitabit. Vale & ora pro me, Vuitenbergæ feria 2. poſt Oculi Anno M. D. XXV.

D. Glatius.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Suum ſcribit iuditium de Miſsis Germanicè canendis, Catechiſmum adornari quod in ſuperioribus etiam literis oſtendit. Contra liberum Arbitrium, item formam precationis pollicetur. Interea hac quam mittit vtendum cenſet. Et ſequitur in Scheda Præfationis Germanica forma.

GRatiam & pacem. Miſſas remitto quas patior ita cantari, ſed mihi prorſus non placet, notas latinas ſuper verba ger-

ba germanica ſeruari. Dixi Bibliopolæ huic, quis ſit modus Germanicè canendi, hunc velim hic induci. Catechiſmus ſicut antea dixi, mandatis eſt ſuis autoribus. Contra librum arbitrium debeo, ſed ſic obrutus typographorum neceſsitate cogor differre, præfationem cupio eſſe breuiſsimam, qua ſi non vis meliorem ſtatuere, poteris interim hac vti in Scheda deſcripta. Vale & ora pro me miſero, Vuitēbergæ Dominica Lætare Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

Præfatio quam latinè ibi inceptam puto, Dominus vobiſcum, Surſum corda &c. vnde & præfatio dicitur, ſic germanicè dici poteſt.

Allerliebſten freunde in Chriſto/ ir wiſſet das vnſer Herr Jheſus Chriſtus aus vnausſprechlicher liebe dis ſein Abendmal zur letze hat eingeſetzt/ zum gedechtnis/ vnd verkündigung ſeines todes fur vnſer ſünde erlidden/ zu welchem gedechtnis gehöret ein feſter glaube/ der eines iglichen gewiſſen vnd hertz/ der ſein brauchen vnd genieſſen/ ſicher vnd gewiſſer machen wil. Das alſo der Tod fur alle ſeine Sünde von CHRISto erlidden ſey/ wo aber jmand daran zweiffelt/ vnd ſolchen Glauben nicht etlicher maſſe bey jm fület/ der ſol wiſſen/ das jm das Abendmal kein nütze/ ſondern ſchedlich ſey/ vnd ſol dauō̃n bleiben. Welchen glauben weil wir jn nicht ſehen/ vnd alleine Gott bewuſt iſt/ wollen wir einē iglichen/ ſo herzu geht/ auff ſein

gewiſſen geſtellet haben / vnd auff ſein bitten vnd bege-
ren zulaſſen. Welche aber auch in offentlichen Sünden
ſtecken / als Geitz / haſs / zorn / Neid / wucher / vnkeu-
ſcheit vnd dergleichen / vnd nicht abzulaſſen gedencken /
dē ſey hiemit abgeſagt / vnd warnen ſie treulich / das ſie
nicht herzu gehen / das ſie nicht ein gericht vnd ſchaden
1. Cor. 11. vber jre Seele holen / wie S. Paulus ſaget. Jdoch ſo
jemand gefallen aus gebrechligkeit / vnd ſich zubeſſern
ernſtlich beweiſt mit der that / ſol jm ſolche gnade vnd
gemeinſchafft des Leibs vnd Bluts Chriſti nicht ver-
ſaget ſein. Darnach ſich habe vnd wiſſe ein jglicher zu-
richten / vnd ſehe fur ſich / denn vnſer Gott leſſet ſein
Gal. 6. nicht ſpotten / ſo wil er auch nicht das heilthum den
Matt. 7. Hunden geben / noch die Perlen fur die ſewe werffen.

D. GEORGIO SPALATINO.

Suum ſcribit iuditiū de Parallelis conſpectis. Heſſorum Principem cum Principibus Saxoniæ colloqui gaudet, de nouo genere Prophetarum Antuerpienſium, qui Spiritum ſanctum blaſphemant, nuntiat, item alia noua adiiciens è Thuringia.

GRatia & pax. Remitto tibi Soles, monſtra Dei, mi Spalatine, meum verò non eſt ea intelligere, cum non ſim eiuſmodi Propheta. Videtur ſanè ſanguineus Sol occidentalis Regem Franciæ ſignificare, & alter in medio clariſsimus Cæſarem, ſic putat & Philippus, verum ſimul diem obierunt extremum. Gaudeo Heſſorum Principem noſtris Principibus colloqui, ſpero Euangelii fructum fore. Nouum

genus

genus Prophetarum ex Antuerpia hic habeo aſſerentium Spiritum ſanctum nihil aliud eſſe quam ingenium & rationem naturalem. Quam furit Satan vbiq; aduerſus verbum? Et hoc inter ſigna non minima numero, quod & ipſe Sathan diem illum ſentire videtur, ideo nouiſsimam euomit iram. Vale & ora pro me Vuitenbergæ feria 2. poſt Lætare M. D. XXV. Noui Prophetæ Antuerpiani.

Martinus Lutherus.

Mitto quæ ex Duringen mihi ſcribuntur. Mundus hactenus fuit plenus Spiritibus excarnatis, nunc plenus eſt ſpiritibus incarnatis. Sic furit Satan aduerſus fortiorem ſe Christum, Vale.

M. GEORGIO SPALATINO.

Commendat Spalatino Paſtorem Dantiſcenſem, vt eius petitionem de Pomerano Dantiſcum dimittendo promoueat & adiuuet apud Principem. Noua de victoria Galli nuntiat.

GRatia & pax in Domino. Venit ad Principem hic D. Iohannes, Paſtor vnus Dantiſcenſis populi, poſtulaturus fauorem Principis pro vocando illuc Pomerano noſtro, rogo itaq; vt illi aſsis, ſicut poteris. Quamuis enim eum virum hic manere velim, tamen in re tanta & cauſa verbi cedendum arbitror. Quis ſcit, quid Deus velit ibi per ipſum operari, ne forte tam inſignem vocationem Dei non intelligamus & impediamus, audies mira ex ipſo, quæ in Dantiſco operatus eſt Chriſtus. Ego ſi vocatus, non auderem reniti, ſedi rem ſtatim. Fama huc venit Regem Galliæ victoria po- Vocatio D. Pomerani ad Dantiſcanos.

titum aduerſus Cæſarem, Vale & ora pro me Vuitenbergæ Sabbatho poſt Letare Anno M. D. XXV.

Marttinus Luther.

D. M. GEORGIO SPALATINO.

Mittit literas reſponſorias Carlſtadii ad ſe datas, ac rogat Spalatini opera à Principe impetrari Carlſtadio ſaluum conductum ad mutuum colloquium, breuiter grauiſsimas eius ſuæ petitionis ſubiiciens cauſas.

GRatia & pax. Mitto literas Carlſtadij ad me datas, mi Spalatine, quibus reſpondit meis per Ioakim ad eum datis, vt vides. Nunc illud reſtat, vt adiuues me impetrare literas publicæ fidei à Principe pro Carlſtadio ad tempus, pro colloquio mutuo. Quamuis enim parum ſperem, illum plauſu vulgi inflatum & induratum cedere poſſe, tamen hoc mihi agendum eſt, ne captet occaſionem criminandi Euangelij, id quod vnicè inſidiantur ſemper & vbiq;, ſimul vt nihil omiſiſſe videat nos Deus, & ſciat mundus, quod ad eos ſanandos faceret. Promiſi enim ei literis meis, ſi vera eſſent quæ retulit Ioakim, curaturū me, vt fide publica mecū colloqueretur, vel ego ad eum aliquo loco pro colloquio interim exularem à Vuitenberga. Nouitates remittam, Vale & ora pro me Sabbatho poſt Letare Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Epiſtolam quandam à ſe auctam remittit typis excudendam, ad coniugium Spalatinum exhortatur, Kerno gratulatur, quantum graſſetur Carolſtadius, ſignificat, nec non incuſat D. Straus ſeditionis.

Gratia

GRatia & pax. Remitto Epiſtolam locupletatam, mi Spalatine, optaram eam Lucæ typis dari, qui vacant, vt ego feriarer parum interim. Et quare tu non procedis ad coniugium? cum tot ego argumentis alios vrgeam, vt ipſe penè mouear, cum non ceſſent hoſtes hoc genus vitæ damnare, & noſtri ſapientuli quotidie idem ridere. Gaudeo Kerno Chriſtum ſic adeſſe. Carlſtadius Rotenburgæ ad Tauberam furias ſuas exercet, & nos vbiq; perſequitur ipſe fugitiuus. Schuveinfordiæ ſtatuerat ipſe nidulari, ſed Comes Hennebergenſis ad Senatum datis literis prohibuit, valde vellem D. Straus ſua quoq; regna quærenti per Principes inhiberi. Non deeſt homini furor, ſed locus & tempus. Iamdudum licet occultè, nos ei parum probamur, qui Ruſticum illum ſeditioſum totum Carlſtadienſem nobis longè præfert, quem tu Norinbergæ mirabaris, ſed nequam inuentus eſt, & vt dicitur, Monachus ſimulato ruſtici vultu. Vale & ora pro me, feria 2. poſt Palmarum Anno M. D. XXV. Martinus Lutherus.

Doctor Straus ſeditioſum ingenium.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Excuſat ſe cur Locum, quem miſit Amsdorfius, ſtatim explicare non queat, Carlſtadio publicam fidem à Principe ſe non potuiſſe impetrare: Ipſum interea tumultuari Rotenburgæ ad Tauberam, Muntzerum verò regnare Mulhuſii. Heſſum cepiſſe Chriſti Euangelium amplecti, nuntiat, & Magdeburgenſes ab impendente periculo vt ſibi caueant præmonet.

Gratia

GRatia & pax. Noſti mi Amsdorfi, me non poſſe noſtris prelis ſufficere, & iam quilibet hoc genus victus quærit, ſuntq; ferè ſexcenti impreſſores hîc, vt loco iſti iam nihil poſsim dare, ſicut quam maximè vellem. Signabo tamen & operam dabo ſummam ſi quid potero. Non potui impetrare fidem Carlſtadio, igitur ille euomet in me ſuas inſanias, Rotenburgæ agit ad Tauberam, tumultuans more ſuo imaginibus. Muntzer Mulhuſij Rex & imperator eſt, non ſolum Doctor. Heſſus Chriſto lucrificatus ardet pro Euangelio, etiam Ducem Georgium ſolicitat fortiter. Sic ſcribit Dux noſter Iunior, qui cum eo Creutzburgi locutus eſt, vtinam Magdeburgenſes veſtri prouideant ſibi contra obſidionis vim famatam. Vale & ora pro me Vuitenbergæ feria 3. poſt Palmarum M.D.XXV.

Seditio Ruſticorum per Carlſtadium & Muntzerū excitata.

Marttinus Luther.

GEORGIO SPALATINO.

Hortatur eum, ne deſerat miniſterium verbi in Aula Ducis Friderici Electoris Saxoniæ, ac vaticinatur de illius ſapientiſsimi & pientiſsimi Principis propinqua morte.

Hæ verò literæ tardius mihi ſunt redditæ, igitur in an: 1524. non inſertæ ſunt.

GRatiam & pacem. De relinquendo miniſterio verbi, mi Spalatine, adhuc aliud non ſentio quam antea. Non enim cauſa tua mihi ſatisfacit, quod ſint alij te peritiores in linguis aut maioribus donis ornati. Nullum ego ſcio, niſi velis vel

lis vel Philippum ipſum, aut Pomeranum, vel Ionam ſuccede re tibi, de grege noſtro non habeo, quem tibi præferam. Vide autem ne tentatio ſit, quæ poſtea ſi ceſſeris, magis ſit te adſectura pœnitudine immedicabili, Sathan eſt nequam. Proinde nunc magis conſulo, vt perſeueres, vt probetur ſpiritus, an ex DEO ſit, vel an tenteris, magis quã eum Principẽ deſeres fortè proximum ſepulchro, & nouo miniſtro conturbes vltimos dies eius. Quod vbi contingeret te recedente, ſtatim illum è viuis excedere, perpetuò doleres, te non perſeueraſſe ad diem illum, ſic ſentio. Tu ergo boni conſule, ac vale, Vuitenbergæ feria 2. poſt Nicolai, Annò M. D. IIII.

Prophetia de morte Electoris Friderici qui poſtea 5. Maii anno 1525 exceſsit ex hac mortali vita.

Martinus Lutherus.

OMNIBVS CHRISTIANIS ANTVERPIÆ, Martinus Lutherus.

Adductus officio fidelis Concionatoris, adhortatur & monet Lutherus Chriſtianos Antuerpiæ congregatos, vt ab erroneis ſpiritibus, multum negotii piis faceſſentibus, ſibi diligenter caueant, & recenſet imposturas ſpirituum ſub Papatu ac nouorum ſpirituum huius ſeculi ſeductiones. Enumerat etiam erroneos Articulos tumultuantis cuiuſdam ſpiritus apud Antuerpianos, eiusq; ſpiritus inconſtantiam, mendatia, petulantiam & vanæ gloriæ cupiditatem accuſat, deniq; orat, vt quæſtionem de occulta Dei voluntate deuitent, & neceſſaria ac à Deo præcepta amplectantur & diſcant.

GRatiam & pacem à DEO Patre noſtro & Domino IHESV CHRISTO. Chriſtianæ charitatis ſolicitudine compulſus, amici in CHRISTO chariſsimi, has ad vos literas non potui non ſcribere. Relatum eſt enim mihi iſtic etiam

Erronei ſpiritus apud Antuerpianos

apud vos ſpiritus erroneos ſuboriri, qui ſua veſania Chriſtianam doctrinam impedire & commaculare moliuntur, id quod & alibi ab eius farinæ hominibus cæptum eſt. Ita vt quantum in me eſt, officij mei eſſe putem vos monere fideliter, ne mea taciturnitate aut ſilentio vllius ſanguinis ſeducti iactura mihi imputetur, cui conſilijs aut monitis auxilio eſſe potuiſſem in tempore. Quamobrem vos obſecro amici chariſsimi, qui hactenus præter ſedulitatem & fidi pectoris officia, quibus magno meo cum periculo Chriſtianæ Reipub. commodare & prodeſſe ſemper ſtudui, in me aliud obſeruaſtis nihil, velitis & hanc amoris erga vos mei amicam admonitionem candidê ſuſceptam boni conſulere. Neq; enim meum in hoc, ſed veſtrum quæro cum compendium tum ſalutem. Cum meæ vtilitatis rationem habiturus, compreſsis digito labellis tacere potuiſſem, & quietus eſſe, aut aliam venandæ vtilitatis inire viam.

Seductio ſpirituum ſub Papatu

Multo tempore hactenus ſub Papiſtica tyrannide varias & graues impoſturarum ſeductiones perpeſsi ſumus, à ſpiritibus tumultuantibus & nocturnis adornatas. Quos credimus & putauimus pro demortuorum animabus in igne purgatorio conſtitutis crutiatos, & opem implorantes obambulare. Cuius erroris techna diabolica exorto Euangelij lumine iam detecta eſt, & falſa reperta, adeò vt neminem poſthac eſſe opinor dubitantem non hominum animas, ſed ſpirituum malignorum fuiſſe ſpectra, quæ fictitijs reſponſis hominum ſimplici credulitati impoſuerunt, multis

Idolatrijs

Idolatrijs per totum mundum hac fraude erectis. Vbi verò ſui tumultus nullum poſthac apud homines eſſe rationem καὶ οὐδένα λόγον animaduertit Diabolus, patefacta nequitia, nouæ impoſturæ nouo excogitato dolo aliud aggreditur, cæpitq́; in membris ſuis, hoc eſt, hominibus impijs tumultuari & inſanire, variamq́; & multiplicem, cum doctrinam, tum fidem comminiſci. Hîc ſupervacaneum Chriſtianis baptiſmum eſſe affirmat, Ille εὐχαριστίας ſacramentum pernegat, Eſt qui alium mundum inter hunc & diei ſupremi aduentum confinxit & excogitauit. Nonnulli docent CHRISTVM nō fuiſſe DEVM. Nec deſunt qui fidei iuſtificationem adimunt, operibus noſtris adſcribentes. Partim hoc dicunt, partim verò aliud. Nec vllus eſt Morychus adeò ſtupidus ἢ οὕτως τε καὶ ἀπαίδευτος, qui non, quicquid probè adpotus ſomniauit, non protinus à ſpiritu ſancto ſibi ſuggeſtum eſſe contendit, & mox Propheta eſſe laborat.

Nouorum ſpirituum nouæ impoſturæ.

Exempli gratia vnus hic mihi producendus eſt. Hi enim ſpiritus multum mihi faceſſunt negotij. Nullus eſt qui non velit Luthero eſſe doctior. Et nemo eſt qui non de me proſtrato victoriæ palmam auferre cupiat. Et ô vtinam eſſent quod eſſe contendunt, & ego nihil eſſem. Inter cætera ſic dicebat ad me quidam, ſe miſſum eſſe à DEO cœli & terræ conditore ad me, magnificis & ſesquipedalibus verbis vtēs, quanquam ſatis quoq; ruſticis. Breuiter, hoc ſe à DEO accepiſſe in mandatis, vt illi libros Moſaicos legerē. Dum ego ex eo quærebam eius mandati ſignum, reſpondet, hoc ſcriptū eſſe in

Cœleſtium ſpirituum iactantia.

Euangelio Iohannis. Hîc ego primo ſtatim guſtu perſpectam hominis ſtultitiam faſtidiebam, iubens eum alio redire tempore, hoc enim temporis punctum non ferre, vt libri Moſaici legantur. Ita mi Domine, inquit, cœleſtis Pater qui ſuum pro nobis effudit ſanguinem, dirigat nos per viam rectam ad filium ſuum IHESVM. Ecce Prophetarum circunforaneorum veſaniam. Nam niſi me fallit animus, hîc clarè perſpicis, quales ij ſunt ſpiritus, ita ſuperbè ſe venditantes & iactantes, neq; tamen CHRISTVM nec DEVM ſatis intelligentes, ſed furioſorum in morem loquentes. Eius ordinis homines miſeros & væcordes per annum non paucos audire cogor, alia enim ratione Diabolus me diuexare neſcit.

Hoc itaq; dico. Huc vſq; orbem terrarum ſpirituum tumultuantium καὶ ἀσωματικῶν pro animabus hominum ſe venditantium fuiſſe refertiſsimum. Hoc verò ætatis mundum eſſe ſpirituum σωματικῶν tumultuantium, & pro meris angelis cœleſtibus ſeſe venditantium, pleniſsimum. Quamobrem Chriſtianum confidentem eſſe oportet, nec conſternari animo emergentibus indies ſic diuerſis ſectis & hæreſibus, nec aliter animatum cogitare, quàm quod in diuerſis locis, vt hactenus, ſpirituum tumultuantium excitarentur turbæ. Non poteſt non tumultuari Diabolus, quo certum habeant homines eum adhuc eſſe in viuis & regnare. Mundus verò ſui tumultus ſcena eſt. Tumultuantis Tragœdiæ hiſtriones ſunt Prophetæ furioſi. Si parum ſucceſſerit tumultus in angelis extra corpus à ſe excitatus, ſuccedat ille in veſanis & diſtortis

Diaboli furor in diuerſis ſpiritibus

inſanientium Prophetarum capitibus & cerebris expergefactus. Vult eſſe tumultus S. Paulus ait enim, Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. Sub regno Papiſtico omnia erant tranquilla ab huiuſmodi ſectis & hæreſibus, ſiquidem fortis & armatus compoſita pace cuſtodiebat atrium ſuum. Porrò vbi iam fortior venit, & ſuperatum imbecilliorem exegit atrio, iuxta doctrinam Euangelicam, furere cepit & tumultuari, inuitus emigrans.

Spiritus tumultuans apud Antuerpianos.

Ita quoq; amici chariſſ. ſubortus etiam inter vos ſpiritus corporeus & tumultuans, qui vos perturbare, atq; à vera cognitione in ſuam tenebricoſam & fallibilem opinionem perducere ſtatuit. Proinde moniti vobis proſpicitè. Porrò quo melius eius obſeruare & cauere queatis offutias & perfidiam, nonnullos articulos ab ipſo perperam aſſertos ſubijciam. Omnem hominem habere ſpiritum ſanctum.

Erronei articuli aſſerti ab iſto ſpiritu.

Spiritum ſanctum nihil aliud eſſe quam noſtram rationem & intelligentiam.

Omnem hominem credere. 3.

Non eſſe inferos aut condemnationem, ſed ſolum corpus damnari. 4.

Omnem animam vitam æternam poſſeſſuram. 5.

Ductu naturæ doceri nos illud proximo facere, quod ab illo nobis fieri velimus. Et hanc voluntatem eſſe fidem. 6.

Aduerſus legem non peccari concupiſcentijs quatenus concupiſcentijs voluntate non conſenſerimus. 7.

8. Spiritum ſanctum non habentem, nec peccatum habere, eò quod ratione careat, quam ſpiritum ſanctum vocat.

Omnes ij articuli, excepto ſeptimo, magna temeritate ſunt aſſerti, nec digni confutatione aut reſponſione. Et non malè feceritis, ſi hunc ſpiritum iuxta doctrinam ſuam contempſeritis. Neq; enim diſsimilis eſt etiam alijs nonnullis ſurſum ac deorſum incerta ſede vagantibus, nihil penſi habentibus quid doceant aut aſſerant, ſed gaudent famigerabiles per ora virum volitare, & eſſe mundo fabula, vt laudentur, & celebrentur paſsim ab omnibus. Sed & Diabolus ipſe harum ſectarum author nihil aliud quærit perinde, quàm quod excitatis hominibus ſeditioſis vos impeditos à vera doctrina abducat, aut non permittat horum furijs obſtantibus eandem vos exercere. Veluti alijs ſpectris homines frequenter deceptos tota via aberrare fecit. Non ſecus quoq; hîc ſpiritus ſuis vobiſcum agit articulis. Quamobrem cautê agentes, date operam, vt omnia noua & inſolita, animarum ſaluti parum conducentia miſſa faciatis. His enim ſpectris homines otio deditos illaqueare ſtatuit.

Intentio & ſtudium horum ſpirituum.

Quanquam veſter ſpiritus dum apud me erat, omnes hos pernegabat articulos, tametſi de alijs conuincebatur teſtimonio. Sed & inter loquendum ſuomet iudicio ſe prodebat ſorex, & aliquot confitebatur, ſic vt pro vero teſtari poſſum, me ſpiritum inconſtantiorem, mendaciorem, impudentiorem & petulantiorem vidiſſe & audiuiſſe nunquam: Vt qui eodem tempore & vno ore idem dicat & perneget, & aliud

Colloquiũ Lutheri cũ iſto ſpiritu Antuerpiano.

aliud ſtans aliud ſedens comminiſcatur. Præterea ita ambitioſum & nominis auidum, vt haud ſciam an vſpiam miſerius gloriæ mancipium inueniri poſsit, præter gloriam & nominis celebritatem nihil ambiens, quodq́; dignus ſit habitus noſtro colloquio, cuiq́; voluptati ſit ſuum quoq; fimum foetere, qui mos multorum nunc eſt nec diſsimilium. Potiſsimum verò hîc acriter depugnabat, DEI Pręceptum eſſe bonum, & DEVM peccata habere nolle. Quæ rés nunquam mihi venerat in dubium, nec ſatis erat, tametſi nos quoq; id ipſum affirmaremus. Huc verò adduci non poterat, quod DEVS, quanquam peccatum deteſtaretur, & huic inhibendo præceptum dediſſet, peccatum tamen nihilominus fieri permitteret. Eam permiſsionem citra voluntatẽ DEI non poſſe fieri. Quis enim adigit eum vt permittat fieri peccatum? quin etiam qui poſsit permittere peccatum, ſi nolit permittere aut conſentire? Hîc vertice cœlum perrumpere tentabat furioſus Propheta, volens indagare vnde nam DEVS peccatum non volens, fieri tamen conſentiret aut permitteret, putabatq́; Maieſtatis diuinæ abyſſum ſe haud dubiè exhaurire poſſe, qua nam ratione hæ duæ ex Diametro repugnantes in DEO voluntates conſtare poſſent. Hîc neminem audire volens, pertinaciter contendebat alteram tantum voluntatem in DEO eſſe. Quid verò ſua pertinacia monſtri aluerit, ſatis inditio ſunt articuli ſuperius poſiti.

Curioſi ſpiritus pugna quod Deus non permittat fieri peccatum.

Nec dubium eſt, quin me falsò apud vos delaturus ſit, ac dixiſſem, DEVM velle habere peccata. Cuius criminationi ſic re-

Reſponſio Lutheri ad calumniam quandam.

ſic reſponſum volo, mihi iniuriam fieri, atq; eundem vt aliâs portentum ex mendacijs & ſycophantia conſutum, & hîc impudenter mentiri. Ita dico, DEVM datis in hoc præceptis peccata inhibuiſſe, & hanc voluntatem ſatis liquere, & nobis cognitu neceſſariam eſſe. Quid verò fiat vt homines peccare permittat, vt peccatis perpetrandis conſentiant, nos ſcire non voluit, alioqui palàm feciſſet, ſi adeò eius conſilii nos voluiſſet eſſe conſcios. Atqui & ipſe Paulus hæc ſcire noluit, ſcribens Rom. 9. O homo tu quis es, qui ex aduerſo reſpondebis DEO?

Videtur quæſtio de occulta Dei voluntate.

Quamobrem oratos vos volo fratres, vt auerſemini ſpiritum hac ſublimi quæſtione de occulta DEI voluntate vos moleſtantem & impugnantem dicentes, putasne parum eſſe quod DEVS manifeſtæ voluntatis ſuæ in præceptis expreſſæ nos voluerit eſſe conſcios? Quid itaq; tu nos infatuas eò nos inducẽdo, quod ſcire nephas adeoq; interdictum eſt, nec poſsibile cognitu, & in quo tu veſane nobiſcum ex æquo cæcutis & hallucinaris? Quî hæc fiant, DEO cõmittenda putamus, ſufficit nobis, DEVM peccata deteſtari, quî verò peccatis conſentiat, miſſum faciendum eſt. Seruus heri ſui arcana curioſè explorare, multo minus noſſe debet, ſed quid præcipiat herus effectum reddere. Multo minus phas eſt miſeram creaturam ſui Creatoris diuinæ nimirum Maieſtatis perueſtigare myſteria.

Videtis nunc optimi amici, qui Diaboli ſint conatus, quæ conſilia, quæ rerum nouandarum ſtudia, quibus vnum

hoc

hoc molitur, vt non neceſſarijs & inutilibus cognituq; impoſſibilibus articulis hominum leuium animos occupet atq; detineat, à vera via alienos. Proinde videte, vt id quod ſcitu eſt vtile, & vobis neceſſarium, atq; à DEO præceptum, amplectamini, poſthabitis nugis futilibus non ædificantibus, & nihil perinde atq; contentiones producentibus, iuxta ſapientis viri conſilium. Quod ſupra ingenij tui captum eſt, ne perquiras, ſed mane in ijs quæ à DEO tibi præcepta ſunt. Tota vita opus eſt CHRISTO rectè perdiſcendo, & eius præceptis cognoſcendis, etiam nullis alijs rebus intentis. Quibus probè iam cognitis ad ſcrutanda myſteria animum deinceps applicabimus, quæ diabolicus hîc ſpiritus nequicquam mouet, aucupandæ gloriolæ gratia. Regreſsi igitur in veram, diſcite quid Paulus Romanos docuit, cuius prologum eius Epiſtolæ à me præfixum inſpicientibus perſpicuũ fiet, qui ſit ordo ſacras literas perdiſcendi, & quem locũ ſcrutanda myſteria obtineant. Vos ineptè garrulos & futiliter loquaces deuitate. Gratia CHRISTI ſit vobiſcum. Orate vos quoq; pro me fratres, Amen.

Diſcantur neceſſaria & à Deo præcepta.

Eccleſiaſtici 3. cap.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PAtri & Domino, Domino Georgio à Polentis vero Epiſcopo, Sambienſis Eccleſiæ, ſuo in CHRISTO Domino & ſuſpiciendo Patri.

Dedicat Deuteronomion Moſi à ſe tractatum & explicatum Epiſcopo Sambienſi, Subiiciens huius ſuæ dedicationis cauſas, videlicet, vt publicum æderet teſti monium, de ſincera eius fide in Chriſtum, & flagrante ſtudio prouehendi puram Euangelii doctrinam. Si forte & alii Epiſcopi

eius exemplo incitati verum Euangeliū amplecterentur, hoc totum beneficium ſoli Deo acceptum referens, atq; ſimul ipſum contra pericula & perſecutiones confirmans. Deinde quod ſotium religioſæ ſuæ Confeſsionis habet, Illuſtriſs. Principem Albertum, Marchionem Brandenburgenſem, Magiſtrum Magnum Pruſsiæ, gratulatur ipſi, ſperans hac coniunctione totam Pruſsiam Euangelii doctrina illuſtratam ac repurgatam iri, vt igitur hunc librū piè amplectatur rogat. Poſtremo quo ordine, & quibus explicationibus librum illuſtrarit, breuiter exponit.

Dedicatio libri Deuteronom.

GRatiā & pacem. Deuteronomion Moſi, Ampliſsime Pater, à me Fratribus meis domi familiari colloquio tractatum, & eisdem rogantibus, in publicum proferendū tuo nomini dicare, tuæq; dignitati offerre conſtitui, quod cum iam diu cogitarim, negotijs impeditus, tandē concedente Deo & his literis facio. Non quod dignum exiſtimē tanto viro quicquid mea tenuitas in præſtantiſsimo & principe omniū ſacrorū librorū authore tentauit, cuius authoritas & maieſtas, merito me & quemlibet, à tractādo deberet deterrere, iuxta illud, Peccatori dixit DEVS, quare tu enarras iuſticias meas? niſi neceſsitatis & ſalutis ratio cogeret audere talia, pro pietate & religione diſcenda docendaq;. Sed vt aliquando tandem oſtenderem animi mei erga te affectum, occaſionē hanc arripui, vt pars aliquantula fierem eorū qui teſtimonium perhibent de ſyncera tua fide in CHRISTVM, & operoſa charitate tua in fratres eius. Sic exiſtimamus, ſi forte Dominus dare dignetur, vt exemplo tuo tam nouo & ſingulari, & alij Pontifices & Principes aliquot accenſi, Eccleſiam DEI nouo miraculo lætificarent, & purum DEI verbum, reiectis traditionibus &

Pſalm. 50.

Ratio dedicationis.

bus & opinionibus humanis, ſuſciperent, colerent & prouehe rent, ſicut exigit eorum vocatio & profeſſio. Non enim te laudamus, cum dona DEI in te tollimus, ſed inſigne illud miraculum Gratiæ DEI extollimus, quam in te valere, regnare, & triumphare videmus & audimus cum gaudio. Vt quemadmodum Paſtor, ſicut Amos loquitur, eruit ex ore lupi extremum auriculæ aut duo crura, ſic te vnicum & ſolũ inter omnes Epiſcopos orbis elegerit Dominus & liberauerit ex ore Sathanæ, quod dilatauit ſicut infernũ, & deuorat omnes. Nihil enim videmus in cæteris Epiſcopis (quanquã eſſe inter eos ſperem aliquot Nicodemos) niſi quod ſubuerſis Cæſare & Regibus ac Principibus, fremunt & inſaniunt contra reſurgens vel potius oriens Euangelion, & denuò impleant illud Pſalmi ſecundi, Aſtiterunt Reges terræ & Principes cõuenerunt in vnũ, aduerſus Dominũ & aduerſus CHRISTVM eius. Quo prouocẽt ſimul, vt & DEVS in eis impleat, quod ſequitur, Habitator cœli ridebit, & Dñs ſubſannat eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Tibi verò ea ſingularis planè & mirabilis gratia donata eſt, vt non modo verbũ ſuſciperes & crederes, ſed pro Epiſcopali authoritate etiã palàm & publicè confeſſus doceres, doceriq; per tuã dioceſin curares, liberaliter his, qui in verbo laborant prouiſis, videntib. impijs, iraſcentibus, ac dentib. ſuis frementibus, & tabeſcentibus fruſtra. Hæc ſc: gratia DEI in te collata, quemadmodum Paulus cũ Macedonib. facit ad Corinth. nõ fuit mihi ſilentio tranſeunda, ſed omnibus modis euulganda, prędicanda, cantanda, ad gloriam DEI, ad profectũ Euangelij

Primus Epiſcopus Euãgelio deditus.

ad incrementum fidei, ad ſolatium infirmorum, & eorum qui apud nos varia patiuntur in varijs locis, ad erectionem puſillorum, deniq; etiam ad terrorem & ignominiam hoſtium verbi, & idolorum iſtorum, in loco Pontificum ſedentium, qui præter tyrannidem nihil ſciunt, neq; poſſunt in miſero populo præſtare, Nec ſum veritus, quod hac predicatione, onerem te odio & inuidia cæterorũ Pontificum, Regum & Principum, aut etiam in periculum vitæ traham, quandoquidem hodie nullum flagitium par eſt huic vni & ſummo ſacrilegio, ſcilicet Euangelion DEI cõfiteri, ob quod iam multi ſanguinem fuderunt conſtantiſsime, inter quos in primis lucent Henricus & Ioannes Bruſſellæ per Sophiſtas Louanienſes exuſti, & poſt eos Henricus noſter Sudphanius Bremenſis Euangeliſta, non vno igne, nec vno genere mortis per Diethmarianas beſtias occiſus. Quid nos maneat, DEVS nouit, Si tamen digni fuerimus, vt ſotij illorũ facti, & ipſi patiamur contumelias ob nomen Domini. Non inquam, huic periculo te exponere ſum veritus, certiſsimè perſuaſus, quod is qui te honorauit verbo crucis, ſimul roborabit & ſpiritu crucis, triumphabitq; in carne tua, non modo blaſphemias nominis & odia & furores potentium in mundo, ſed etiam vires & violentiam (ſi opus fuerit eas ferre) Satanæ cum toto ſuo regno, ſcimus enim quod maior eſt is, qui in nobis eſt, quam is qui in mundo eſt.

Martyria piorũ hoc noſtro ſeculo,

Confirmat eum contra pericula.

Ad hæc, vt gratia & donum hoc DEI cumulatius eſſet, addidit Dominus, & curauit benignitate ſua, vt Principem terræ

terræ haberes Euangelio ſtudioſiſsimum, Heroem illum inclitum Adelberdum ex Marchionibus Brandenburgenſibus, Magiſtrum magnum Pruſsiæ cui donatū eſt eodem ſpiritu, vt cogitet, quæ Principe digna ſunt, vt verbis Prophetæ vtar, ita fit, vt vtriuſq; veſtrum præſidio Chriſtianiſsimo, populus Pruſsiæ, qui fortè nunquam Euangelion habuit, niſi opertum vel adulteratum, nunc latè currens & fructificans, audiat puriſsimum & clariſsimum, inenarrabili beneficio DEI. Nam ego puto. Euangelion ad Germaniam vſq; ad hoc ſeculum nunquam perueniſſe reuelatum, & luce ſua coruſcum, licet non dubitem, Dominū ſemper nouiſſe ſuos vbiq; terrarum, etiam in medijs Sodomis & Gomorrhis ſeruare. Et vide mirabilia, ad Pruſsiam pleno curſu plenisq; velis currit Euangelion, quo non vocabatur, vbi nec quærebatur, in Germania vero ſuperiore & inferiore, quo vltro venit & acceſsit, omni furore & inſania blaſphematur, repellitur, fugatur, vt in hoc impleri videas ſortem illam egregiam Euangelij, de qua Paulus dicit Rom. 10. Inuentus ſum à non quærentibus, palàm apparui his, qui me non interrogabant. De Iſrael vero dicit. Tota die expando manus meas ad populum incredulum, & dicentē mihi, qui ambulat vias nō bonas, Sed ad te reuertor.

Albertus Dux Pruſſiæ ſtudioſiſsimus Euangelii.

Fœliciſsimus curſus Euangelii.

Admitte igitur optime Præſul, hunc Libellum cum iſta confeſsione tui, vt per te & in te glorificetur hac occaſione CHRISTVS, Simul vt ſub tuo nomine illis ſeruiatur, qui fortè Deuteronomion Moſi antea non tantum, quantum mihi donatū eſt, intellexerunt, ſunt enim multi & horum nonnulli

planè omnium magiſtri ſibi viſi, qui Moſen & totum vetus Teſtamentum vilißimum habent, velut Euangelio cõtenti, à quorũ ſenſu oportet Chriſtianum hominẽ abeſſe longißimè. Certum eſt enim, vt quemadmodũ mundi ſapientes dicunt, Homerũ eſſe patrem omniũ Poëtarum, fontem, imò Oceanum omnis eruditionis & ſapientiæ & eloquentiæ, Sic noſter Moſes, Fons & Pater eſt omnium Prophetarũ & librorum ſacrorum, id eſt ſapientiæ & eloquentiæ cœleſtis. Cum verò hoc ſeculo omnia incipiant reſtitui, quaſi dies ille inſtet reſtitutionis omniũ, venit in mentẽ, vt hoc tentarẽ, ſi fortè & Moſe reſtitui poßit, & riuulos ad fontem reuocarem. Iucundißimũ eſt ſanè, & tam intelligentiæ quàm memoriæ iuuandæ cõmodißimum & vtilißimũ, cernere veſtigia Prophetarũ poſteriorum in Moſe, vt illum legerint, didicerint, docuerint, nocturna verſarint manu, verſaruntq́; diurna. Ex cuius Copiæ cornu omnes illorũ opes ſumptæ ſunt, vt & ipſi de eo dicere poßint Ex plenitudine & abundantia illius oẽs nos accepimus, ſicut ipſemet fore præuidit & prædixit in cantico ſuo: Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, &c.

Collatio Moſi & Homeri.

Moſes fons omnium Prophetarũ

Dedi autẽ operam, vt primo omnia ſimplicißimè tractarem, nec paſſus ſum me rapi ad Myſticas (quas vocant) expoſitiones, ſi quando occurrebant abſurdæ & ſtultæ leges, vt aliquibus videntur. Primo enim pietatẽ docet Moſe, ſatis prolixè & copioſè fidem prædicans, adiunctis pulcherrimis ceremonijs, quibus rudem populũ capi oportet & teneri, ne proprias fingat, quas DEVS odit. Deinde in ordinanda Ciuili politia & mutua charitate ſeruanda verſatur, digerens diſponensq́;

Ordo explicationis.

nenſq; omnia legibus aptiſsimis & æquiſsimis. Nihil ibi ſtultũ aut vanũ, ſed omnia neceſſaria & vtilia ſunt: quod facilè intelliget, qui ſcit, quid ſit Magiſtratum gerere in vulgo, paulo liberiore & apud ſeipſum ſapienti, quale hoc Iudæorum fuit, vbi neceſsitas nõ rarò cogit, talia & ſtatuere & facere & permittere, q̃ aliàs optima ratione riderẽtur et exibilarẽtur. Nec puto alia cauſa voluiſſe DEVM, ceremonijs iſtis populũ formare, quã quod vidit vulgus hominũ laruis illis & ſpecieb. maximè affici & capi. Ne ergo eſſent inanes laruæ & mera ſpectacula, adiecit verbũ ſuum, tanquã pondus & ſubſtantiã laruarum, quo ſeriæ & graues fierent, & ſcirent ipſi DEO placere, quæ gererent: ne ſi ſine verbo alias ſtatuerent ipſi, mera ludibria & nugæ fierent, quales ſunt noſtræ ceremoniæ in regno Papæ, ad exemplum Moſaicarũ excogitatæ, quæ cum verbo DEI præcipiente careant, quo ſeriæ & graues fierent, nihil aliud niſi leuiſsimę & ridiculæ Simiæ Iudæorum ſunt. Verbũ Dei ceremoniis adiectum.

Adieci verò poſt & Alleg. breues, ferè per ſingula capita, nõ quod magnopere eas curẽ, ſed vt præuenirẽ quorundam inepta ſtudia in Allego. tractãdis: quemadmodũ & in Hieron. Origene, alijſq; vetuſtis Scriptorib. videmus fuiſſe parũ felicẽ & ſalutarẽ morẽ Allegorias fingendi, dũ omnia ad mores & opera trahunt, cum omnia potius ad verbũ & fidẽ trahenda ſint. Ne igitur falſa ſpecie luderentur in Allegorijs lectores, operæpreciũ eſſe duxi illis monſtrare, vt tum rectè Allegorias meditentur, ſi quantũ fieri poteſt, vbiq; miniſteriũ Verbi ſeu curſum Euangelij & fidei, in illis inuenerint. Huc enim eunt quæcunq; tandẽ ſunt figurę, aut ſignificationes in lege & populo Moſi. Allegoriæ.

Dominus

Dominus verò, qui operatur omnia in omnibus, qui & in te cœpit bonū opus ſuū, ſeruet & augeat te, & in hac vita verè magnus Pontifex in Verbo DEI fias, & in futura vita, cū venerit Princeps ille Paſtorū & Pontificum, immarceſsibilē coronam accipias, cui quæſo, me tuis ſanctis precibus commenda, & in eius gratia bene vale, Amen. Vuitenbergæ, M.D.XXV. T.D. Martinus Lutherus.

DOMINO FRATRI FRIDERICO MEcum, Euangeliſtæ in Vrbe Gothana.

Inſigni & vera conſolatione erigit ac confirmat Fridericum Mecum, vt fortiter pergat ſincere docere Euangelium, nihil dubitans de victoria in Chriſto.

Iohan. 16. GRatiam pacem in CHRISTO, qui dixit, In mundo preſſuram habebitis, in me verò pacem. Sed confidite ego vici mundum. Hæc ad te ignotus ignotū ſcribo mi Friderice, communicaturus tecum quicquid habeo conſolationis in CHRISTO. Victus igitur cum ſit Mundus in CHRISTO, certè id quod extra & ſine CHRISTO geritur, neceſſe eſt, vt eiuſmodi ſit, quod vincere videatur in ſpetiem, reuera autem victum & triumphatum ſit intra & cum CHRISTO, vt vera victoria poſsideatur, vbi tranſierit mundus cū hac ſpecie ſua. Id quod futurum eſſe, nos dubitare non poſſumus, qui CHRISTVM nouimus. Ipſum oro, vt te hortetur ſpiritu ſuo, animetq́; virtute ſua cum omnibus tuis. Perge verò mi Friderice in Domino. Saluta & hortare Baſilium meum in Domino, Vueimariæ, feria 4, poſt Miſericordias Domini M. D. XXV.

D. Baſilius Monnerusſin ſalutar.

Martinus Lutherus.

DONINO

D. NICOLAO AMSDORFIO ſuo in Domino.

Valde graui & vehementi Confutatione ſe defendit aduerſus calumniam, quod Principibus aduletur, qua eum petierant quidam Thuringici & Franconici Concionatores, vt Ruſticis ſeditioſis animum adderent, de quibus quid fieri debeat, ſuam grauiter profert ſententiam, excuſans ſe, cur vocatus venire non poſsit.

Gratia & pax. Nouam gloriam mihi nuncias, mi Amsdorfi, quod adulator Principum vocer, quales mihi glorias his annis Sathan multas concitauit. Ego verò non tam miſereor noſtrorum Sciolorũ, qui me iudicantes ſuum ſimul ſpiritum ſanguinarium & ſeditioſum produnt. Quare gaudeo ſic Sathanam indignari & blaſphemare quoties à me tangitur. Quid enim ſunt niſi Sathanæ illæ voces, quibus me & Euangelion traducere nititur? Sed qui eum toties hactenus ſub pedibus meis calcauit & contriuit, Leonem & Draconem, non ſinet etiam Baſiliſcum ſuper me calcare, ſine igitur, vt latrent. Noſtra conſcientia tuta eſt, rectum eſſe corã Deo, quod egreſſum eſt ex labijs meis in hac parte. Crucifigatur igitur & diſpliceat ijs, qui noſtris ſtudijs & titulo Euangelij euecti ſunt vt nos dedecorent, hanc gratiam nobis referentes, ſicut ſolet generatio adultera. Sed euecti ſunt, vt deijciantur, & finis eorum ſit confuſio. Erit forte tempus, vt & mihi liceat dicere, omnes vos ſcandalum patiemini in iſta nocte. E contra, cito obliti ſumus quæ accepimus bona. Et quam ſuperbi & prompti ſumus iudicare etiam eos,

Calumniatores Lutheri.

à quibus didicimus? ſed Chriſtus qui cępit ſine noſtro conſilio, perficiet opus ſuum etiam contra noſtrum conſilium. Admone tu igitur fratres, vt qui hactenus ex Euangelio toties audierunt, nos eſſe nihili & ſenſum carnis debere occidi, ne præcipites ſint ſapiendo & ſenſum carnis ſuſcitando. DEus eſt, qui operatur ſupra & contra & infra & extra quam nos capere poſsimus. Venire ad vos nullo modo poſſum, ſic diſtrictus & variè vocatus, aliâs nihil facerem libentius. Ego ſic ſentio, melius eſſe omnes Ruſticos cædi, quam Principes & Magiſtratus, eò quod Ruſtici ſine authoritate Dei gladium accipiunt. Quam nequitiam Sathanæ ſequi non poteſt, niſi mera Sathanica vaſtitas regni Dei, & mundi Principes etſi excedunt, tamen gladium authoritate Dei gerunt. Ibi vtrumq; regnum conſiſtere poteſt, quare nulla miſericordia, nulla patientia Ruſticis debetur, ſed ira & indignatio Dei & hominum ijs, qui non acquieſcunt monitis, nec oblatis conditionibus æquiſsimis cedunt, ſed furore Sathanæ ſolo pergunt omnia miſcere. Quales ſunt iſti Thuringici & Franconici, hos ergo iuſtificare, horum miſereri, illis fauere, eſt Deum negare, blaſphemare & de cœlo velle deijcere. Hoc dic iſtis veſtris Concionatoribus vt audeant & tentent ſed me non conſentiente, imò eorum ſtudia maledicente in nomine Domini, poſtea iudicabit Dominus, vter ſpiritus ſit ex Diabolo, meus an illorum. Sed doleo iſtis blaſphemis hominibus officium verbi & noticiam contigiſſe etiam per nos, Deus ipſos conuertat

Seditio Ruſticorum ſopienda.

& erudiat, aut rurſus de ſede deponat, Amen. Vale in Domino Vuitenbergæ feria 3. poſt Exaudi Anno M. D. XXV.

Martinus Luther.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Optat Ruſticis ſeditioſis mentem ſaniorem, & noua nuntiat de bellica expeditione quorundam principum ad reprimendum furorem Ruſticorum.

GRatia & pax in Domino. Credo, mi Amsdorfi, omnia tibi eſſe cognita, quæ Sathan per Ruſticos in Franconia perpetrat. Deinde is Henricus tuus viua Epiſtola omnia melius narrabit, quæ hic audiuit. Ego certè vt opto Ruſticis ſanum ſenſum dari, ita metuo, ne induratis & excæcatis furor Dei grauem ſtragem ſit allaturus. Peſsima pugnant conſcientia, deinde coactis per vim & inuitis multis ſuis ſocijs. Noſter ſanè Princeps fortiter armatus profectus eſt pacis & reconciliationis gratia, vt aiunt, Marchio Caſimyrus Neuenſtat fortiter oppugnat, vbi ſex millia Ruſticorum feruntur confluxiſſe. Societas Sueuica ex alia parte eos inuadit, ex alia Hennebergius, miſerrima vbiq; cædes apparere incipit. Spero tuos Concionatores vel reſipiſcere vel impediri tandem. Tu pro me ora ac vale Vuitenbergæ feria 2. octaua Pentecoſtis Anno M. D. XXV.

Ruſtici ſeditioſi.

Hæc ſtrages poſtea circa oppidũ Comitũ Schuartzburgenſiũ Franckenhauſen ſecuta eſt.

Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, SERENISSIMO PRINCIPI ET DOmino, Domino Henrico VIII. Regi Angliæ, & Hiberniæ.

Cum intellexiſſet Lutherus, Cardinalem Eboracenſem ſub nomine & titulo Regis Angliæ, Librum plenum conuitiis & maledictis aduerſus ſe in lucem ædidiſſe, ad quod ipſe tamen grauiter reſponderat, ac potentiſsimi Regis iram concitarat. Ac nunc fama ſparſa eſſet de ſtudio & fauore Regis erga doctrinam Euangelii, miſit Lutherus hanc Epiſtolam Excuſatoriam ad Regem, qua eius Regiam Maieſtatem rurſus ſibi placaret, ac Apologiam ſuæ doctrinæ mitteret.

GRatiam & Pacem in Chriſto Iheſu Domino & Seruatore noſtro. Amen. Quanquam vereri merito debuerim Sereniſsime Rex, Illuſtriſsimeq; Princeps, literis Maieſtatem tuam interpellare de libello meo, quem (non meo genio, ſed incitantibus ijs, qui Maieſtati tuæ parum fauebant) ſtultus & præceps ædidi, tamen ſpem & auſum mihi facit, non modo Regia illa tua clementia, ſic mihi literis & verbis indies predicata à quam plurimis, vt cum mortalem eſſe nouerit, immortales tuas inimicicias ſeruaturam eſſe non credam. Verum quod fide dignis teſtibus didici, libellum ſub nomine tuæ Maieſtatis in me æditum Regis Angliæ non eſſe vt videri volebant ſubdoli Sophiſtæ, qui Maieſtatis tuæ titulo abuſi, non ſenſerunt, quam ſibi ipſis periculum in Regia ignominia pararent. Præſertim illud monſtrum, & publicum odium Dei & hominum, Cardinalis Eboracenſis, peſtis illa Regni tui, ita vt vehementer nunc pudefactus me- tuam

Libellus Regis Angliæ aduerſus Lutherum æditus Anno 1522.

Cardinalis Eboracenſis peſtis regni Anglici

tuam oculos coram Maieſtate tua leuare, qui paſſus ſum leuitate iſta me moueri in talem tantumq; Regem, per malignos illos operarios, præſertim cum ſim vermis, quem ſolo contemptu oportuit victum aut neglectum eſſe.

Accedit ad hæc, quod me ſeriò compulit quantumuis abiectum ſcribere, Maieſtatem tuam cepiſſe fauere Euangelio, & non parum tædere iſtius generis hominum perditorum. Hoc ſanè nuncium fuit verè Euangelion, id eſt, lætum nuntium cordi meo. Quare his literis proſterno me pedibus Maieſtatis tuæ, quantum poſſum humilimè & per Chriſti crucem & gloriam oro & obſecro, Maieſtas tua dignetur ſeſe ſubmittere, & veniam donare, in quibuscunq; Maieſtatem tuam læſi, ſicut Chriſtus orauit, & dimittere debita nos quoq; inuicem iuſsit.

Deinde ſi Maieſtati tuæ ſereniſsimæ, non videbitur contemnendum, vt alio libello publico palinodiam cantem, & nomen Maieſtatis tuæ rurſus honorem, det mihi aliquam clementem ſignificationem, tum in me mora non erit vlla, faciam illud libentiſsime. Quamuis cum ſim homo nihili, ad Celſitudinem tuam comparatus, tamen non parum fructus Euangelio & gloriæ Dei hinc ſperare licebit, ſi mihi ad Regem Angliæ ſcribendi de Euangelij cauſa fuerit copia facta. Interim Maieſtatem tuam, vt cepit Dominus augeat, vt pleno ſpiritu obediat & faueat Euangelio, nec ſinat aures Regias, & animum occupari peſtilentibus Syrenum vocibus, quæ nihil niſi hæreticum Lutherum vociferari norunt.

 runt.

runt. Tua verò Maieſtas, apud ſeſe cogitet, quid nam mali poſſum docere, qui aliud nihil doceam, quam fide Ieſu Chriſti filij Dei, pro nobis paſsi & ſuſcitati, ſaluos fieri oportere, ſicut teſtantur Euangelia & Epiſtolæ Apoſtolorum, Hoc enim eſt caput & fundamentum doctrinæ meæ, ſuper quod poſtea ædifico & doceo charitatem erga proximum. obedientiam erga politicos Magiſtratus, tum crucifixionem corporis peccati, vt itidem præſcribit Chriſtiana doctrina.

Summa doctrinæ Lutheri.

Quid in his capitibus doctrinarum mali eſt? Expectetis tamen, audiatis & iudicetis, primum cur damnor, neq; auditus neq; conuictus. Porrò quod abuſum & Tyrannidem Pontificum reprehendam, interim cenſibus, pompæ, ventribus, imò regnis & Principibus, omniumq; opibus inuidentem, nonne idipſum & vulgus ſentit & damnat, atq; ipſimet coguntur confiteri? cur non emendant ſeſe & rectè docent, ſi odio & correptione liberi eſſe volunt.

Videt ſanè Maieſtas tua ſereniſsima, quanti Principes in Germania, quæ Politiæ, deinde quot viri ſapientiſsimi mecum faciant, & Deo gratia indamnari cupiant. Quorum numero vtinam Maieſtatem tuam adſcribat & ab iſtis animarum Tyrannis ſeparet.

Quid mirum verò, ſi Cæſar & aliquot Principes in me ſæuiunt, nonne vt Pſalm. 2. dicit, Aduerſus Dominum & Chriſtum ſuum fremunt Gentes, meditantur populi, conſpirant Reges terræ, & conueniunt Principes? vt mirandum

potius ſit, ſi aliquis Principum ac Regum Euangelio faueat. Huic miraculo in Maieſtate tua, quam opto ex totis medullis aliquando gratulari, & ipſe Dominus, quo præſente & volente hæc ſcribo, cooperetur verbis meis, vt Rex Angliæ breui fiat perfectus diſcipulus Chriſti & Euangelij profeſſor, tum Lutheri clementiſsimus Dominus. Amen Reſponſum ſi viſum fuerit Maieſtati tuæ, expecto clemens & benignum, Vuitenbergæ.

Hæc humilitas malè ceſſit Luthero, nam mirè poſtea exagitata eſt hæc Epiſtola ab eius aduerſariis præſertim verô à Cochleo.

T. M.

deditiſs:

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

De hoſtilibus reſponſionibus Regis Angliæ & Ducis Georgii, ad ſuas modeſtiſsimas literas quæritur. Cũ horti plantatione ſe oblectare inſtituerit, ſemina à D. Linco ſibi mitti, & elegantiora inſtrumenta ad operas Ternatorias ſibi coemi petit, vt Pauli exemplo ſua manu victum ſibi comparare queat.

GRatiam & pacem in Domino. Chriſtum predicas mihi poſitum in ruinam & reſurrectionem, mi Vuenceslae, ſic venit auditus ſuper auditum. Anglorum Rex (cui ſcripſi ſuaſu Regis Daniæ ſupplices & humiles literas, ſpe bona certè & ſimplici candidoq; corde) reſpondit mihi tam hoſtiliter, vt videatur gaudere vindictæ occaſione. Sicut & Dux Georgius, tam impotens & muliebris eſt iſtis Tyrannis animus, ac planè ſordidus, dignus qui vulgo ſeruiret, ſed CHRISTO gratia, & mihi læticia, ſat vin-

Ira Regis Angliæ & Ducis Georgii aduerſus Lutherum.

ſat vindicatus ſum, quod contemptus eſt mihi Deus eorum Sathan cum ipſis.

Gratum eſt quod ſemina quoq; promittis ad vernum tempus, mitte itaq; quantum potes, cupio enim & expecto, ſi præterea ego quoq; viciſsim aliquid poſſum, impera & factum puta. Nam furente Sathana cum ſuis membris ego interim eum ridebo, & hortos, hoc eſt, benedictiones Creatoris conſiderabo, & illis fruar in laude eius.

Lutherus diſcit artem Tornatoriam.

Quando autem apud nos Barbaros nihil eſt artis aut culti ingenij, mihi & Vuolffgango meo miniſtro ars tornandi ſuſcepta eſt, mittimus hîc aureum, rogantes, vt inſtrumenta aliquot cauandi & tornandi nobis digneris cum tempore mittere, ſimul duas aut tres (quas vocant Schrauben) vt facile docebit Tornator aliquis, inſtrumenta habemus, ſed aliquot elegantioris & veſtræ Nurbergenſis artis formæ quærimus. Facies hæc, ſe quid ſupererogaueris rependetur. Nam credo apud vos vilioris eſſe omnino pretij, niſi moleſtum ſit, vt ſi omnino Mundus nos noluerit alere propter verbum, diſcemus manu victum parare. Et ſeruiamus indignis & ingratis ad imaginem Patris noſtri in cœlis, Gratia Dei tecum, Datæ Anno M. D. XXV.

DOCTORI IOANNI LANGO.

Commendat D. Lango Pauperem quendam, vt illi Eccleſiæ Erffordienſis liberalitate ſuccurratur, ac indicat Carlſtadii inſanias & errores de cœna Domini ab ipſo confutatas eſſe publico ſcripto.

Gratiam

GGatiam & pacem. Hunc iuuenem Andream Laudauer tibi commendo, mi Lange, ſi quoquo modo potes, vt alicubi victum ſeruitute aliqua mereatur, nos hîc cum ſimus tenues obruimur quotidie,& grauatur Eccleſia noſtra pauperibus peregrinis, qui domeſticis non ſufficimus. Erffordia verò ampla & ingens vrbs, loco pingui ſita & nobis ditior atq; fertilior, plures alere poteſt, modo vigeat verbi virtus aliquanta, Carlſtadij inſanias de Sacramento confutaui,libellus hac ſeptimana ædetur. Saluta coniugem tuam, quæ faciat oro pulchra te prole parentem,ſalutant te omnes noſtri. Benè vale in Domino in quo omnes veſtros ſaluta, Vuitenbergæ Dominica poſt Antonij, Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

Hæ binæ literæ ſerò mihi communicatæ ſunt,igitur in ſerie mēſium ac dierum anni 1525. non ſunt poſitæ.

Libellus Lutheri cōtra Carolſtadium.

D. IOANNI LANGO.

Commendat D, Lango ſtudioſum quendam, ac Bernhardum Carmelitam Mechlinæ exuſtum eſſe narrat, Indicat etiam tempus natiuitatis filii, clariſsimi viri Domini Philippi Melanthonis.

GRatiam & pacem in Chriſto. Petijt harum baiulus, mi Lange, vt ad te darem ei commendaticias literas,cum Erffordiam eſſet petiturus, & conditionem aliquam viuendi quæſiturus. Cum autem tu ſis.non ſolum corpore ſed etiam conſilijs diues, commendo eum tibi diligenter, ſi quid potes ei conſulere. Noua hic nulla,niſi,quod exuſtus dicitur apud Mechlinam pro verbo Dei Bernhardus Carmelita quidam ſicut & Henricus noſter in Diethmaria. Philippo heri dedit Deus Philippulum, qualem & tibi opto det Deus, Vale & ora

Bernhardus Carmelita exuſtus Mechlinæ.

Natiuitas Philippi Mel. filii.

ora pro me Vuitenbergæ feria poſt Sexageſimam, Anno M.D.XXV.

Martinus Luther.

AD. GEORGIVM SPALATINVM.

Lutherus conſultus de matrimonio Principi Ioanni Friderico contrahendo, monet Spalatinum vt autor ſit Principi, ne protrahat matrimonium, adductis multis rationibus, ex dictis Ethnicorum & ex ſacra Scriptura quam periculoſa res ſit mora.

GRatiam & pacem. Mitto vnas literas ad Principem Electorem, mi Spalatine, has enim ſufficere putaui, cum iunior Princeps totum ſeſe referat ad Senioris voluntatem. Eccleſiaſtes Pruſsiæ nondum comparuit, hodie quæritur, inuentus interrogabitur, & tibi ſcribetur particula cauſæ protractæ, arbitror ſatis colligi ex dictis, vſu, & exemplis. Dicta ſunt, Nocuit differre paratis, & periculum eſt in mora, Nachtfriſt / Jarfriſt / Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit. Vbi conſulueris, maturato facto opus eſt. Certè talia dicta per experientiam collecta ſunt, conſentiunt jis Scripturæ in rebus etiam ſacris, vt Paulus monet, ne Gratiam Dei in vacuum accipiamus, & Sponſa in canticis queritur, declinaſſe ſponſum dum differret aperire. Et Germanicè. Wenn Gott grüſſet ſol man dancken / Item wenn man das Ferckel beut / ſol man den ſack her halten. Exemplum Gentile. Hannibal cum potuit, noluit perdere Romam, poſt non potuit vbi voluit: In ſacris, Eſau cum potuit primogenita

Mora nociua.

genita habere, contempſit, poſtea fruſtra fleuit. Et Chriſtus Ioan. 5. Quæretis me & non inuenietis, dum lucem habetis, credite in lucem, ne tenebræ vos comprehendant. Summa, omnis Scriptura, omnis Creatura, omnis experientia teſtatur, quod beneficia Dei temporalia verè temporalia ſunt, ideo non ſtant, ſed ſunt in curſu & impetu perpetuo, ideò apprehendendum eſt, quicquid, quando, vbi poteſt, ne elabatur. Quod illi verò prætexunt certos ſeſe fore de animo ſuo ſtultum eſt. Nullius cor eſt in manu ſua, diabolus potentiſsimus eſt, qui etiam coniunctos ſeparat ſæpius, & quanta ſunt exempla diremptorum coniugiorum ſola hac cauſa, quod dilata fuerunt? Quanto magis hîc periculum metuendum eſt, vbi nec dum ratum eſt palàm coniugium. Contra hæc omnia ne ſoli pugnent monendi ſunt. Non facient hæc eſſe vana & falſa ſuo vno & nouo exemplo, ideo metuant ſi ex animis cupiunt rem fieri, Vale & ora pro me Vuitenbergæ invigilia Trinitatis Anno M. D. XXV.

Beneficia Dei temporalia eſſe caduca.

Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Petit preces Stifelii, vt matrimonium à ſe contractum fœlix ſit & ſalutare, gratulatur etiam denoua vocatione Stifelio.

GRatiam & pacem. Remitto tibi ſignatos mea manu codicillos, mi Michael, quantum potui. Tu pro me ora, vt genus vitæ nouum benedicat mihi Deus & ſanctificet. Nam vehementer irritantur ſapientes inter noſtros. Rem coguntur Dei fateri, ſed perſonæ larua tam meæ quam

Scandalum de Lutheri matrimonio.

puellæ, illos dementat & impia cogitare & dicere facit. Sed Dominus viuit, qui maior eſt in nobis, quam ille qui in mundo eſt, & plures nobiſcum ſunt, quam cum illis. Vale in Chriſto, & Dominus viam tuam & opus tuum fortunet. Ipſe enim dixit (Pater orphanorum & Iudex viduarum) non te deſeram, non relinquam, vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo, quæ faciat mihi homo. Commenda me hero tuo, Vuitenbergæ Sabbatho poſt Trinitatis Anno M. D. XXV, T. Martinus Luther.

D. GEORGIO SPALATINO.

Spalatino quoq; nunciat ſuum matrimonium quod contraxit cum Catharina à Bora, & per ipſum aliquid ferinæ procurari cupit ad Epulum nuptiale.

Matrimonium Luthericum Catharina à Borai.

GRatiam & pacem. Os obſtruxi infamantibus me cum Catharina Borana, mi Spalatine, ſi proceſſerit, vt Epulum paretur pro teſtimonio coniugij mei iſtius, te non modo adeſſe oportebit, verum etiam cooperari, ſi quid ferinæ neceſſarium fuerit. Tu interim nobis benedicito & benè precare. Sic me vilem & contemptum his nuptijs feci, vt Angelos ridere & omnes dæmones flere ſperem. Nec dum mundus & ſapientes agnoſcunt opus Dei, pium & ſacrum, & in me vno faciunt id impium & Diabolicum, quo nomine magis placet, meo coniugio illorum iudicium damnari & offendi, quotquot ignorantiam Dei habere pergunt. Vale & ora pro me, Vuitenbergæ feria 6. poſt Trinitatis Anno M. D. XXV. Martinus Luther.

AD AMSDORFIVM.

Se coniugem factum nuntiat, & huius ſui facti cauſas exponens ad conuiuium nuptiale eum inuitat, Deinde noua de Ruſticis ſeditioſis, Item de Comitiis in Deſſau, deq; ſe eò accerſendo perſcribit.

GRatia & pax in Domino. Iam nuncius mihi querebatur qui has ad te ferret, mi Amsd: & ecce tuæ mihi redduntur, vera eſt itaq; fama me eſſe cum Catharina ſubito copulatum, antequam ora cogerer audire tumultuoſa in me. ſicut ſolet fieri. Spero enim me breue tempus adhuc victurum, & hoc nouiſsimum obſequium Parenti meo poſtulanti nolui denegare ſpe Prolis, ſimul vt confirmem facto quæ docui, tam multos inuenio puſillanimes in tanta luce Euangelij, Sic Deus voluit & fecit, Ego enim nec amo nec æſtuo, ſed diligo vxorem. Dabo itaq; proxima feria tertia Epulum in teſtimonium coniugij mei, vbi aderunt Parentes. Te itaq; adeſſe omnibus modis volui, quare, vt vocare conſtitui, ita nunc voco & rogo ne deſis, ſi vllo modo potes. Fama de Electore falſa eſt, ſed Menningenſis, Mellerſtatenſis, Neuſtatenſis, Marſtatenſis, cum alijs decem oppidis dederunt ſe in gratiam Electoris, Iſq; ibi agit vt omnia pacificè componantur. Certa res eſt in Franconia cæſa eſſe xi. millia Ruſticorum in tribus locis diuiſa, captæ lxj. bombardæ bonæ, arx Vuirtenbergenſis liberata. Caſimyrus Marchio vehementer ſæuit in ſuos, ob fidem bis violatam. In Vuirtenburgenſi ducatu 6. millia cæſa ſunt, alibi in Sueuia 10. millia diuerſis locis, fertur Ducem Lotharingiæ in Alſatia 20 millia cædiſſe. Sic vbiq; cæduntur miſeri Ruſtici. Iam Ba-

Dies nuptiarũ Lutheri.

Strages ſeditioſorum Ruſticorũ.

benbergenſes quid patiantur expectatur. Nihilominus in Briſgauia adhuc pergunt ſeditionibus & in comitatu Tirolis, vt ab Inſpruck vſq; ad Tridentum omnia in motu ſint fugatis Epiſcopis Brixcenſi & Tridentino. Dux Georgius comicia habebit proxima feria 2. in Deſſau cum Marchione & Epiſcopo Moguntino. Rumor eſt, quod me ſit Vuitenberga petiturus, inflatus ſucceſſu, credit me ſimilem eſſe Munzero in doctrina. Chriſtus autem dabit gratiam, vos videte ne Magdeburgam petat, Vale & pro me ora feria 4. poſt Corpus Chriſti Anno M. D. XXV.

VVENCESLAO LINCO.

Reſpondet VVenceslao Linco, ſe gaudere libello ſuo offenſos eſſe eos, qui ſunt partium Ruſticorum, eam enim ob cauſam illum à ſe eſſe æditum. Matrimonio ſibi coniunctam eſſe Catharinam Borenſem, diemq; nuptiarum ſignificat, ad quas eum humaniter inuitat, ita tamen ſi citra ſuum diſpendium his intereſſe poſsit.

GRatia & pax. Scio mi Vuenceslae libellum meum Ruſticos Ruſticanoſq; vehementer offendere, idq; ſeriò gaudeo, ac niſi offenderet eos, me offenderet, ſic produnt quod hactenus in Euangelio quæſierunt, qui hunc libellum damnant. Miror tamen cur non totum libellum toti ſibi conferunt quidam Scioli, cum ſeſe ſatis exponat, de quibus Ruſticis, de quibus item Magiſtratibus loquatur, ſed qui nolunt intelligere non intelligant, qui ignorat ignoret, ſatis eſt Chriſto placere meam conſcientiam. Pro Apotecario feci quicquid potui ſatis diligenter. Dominus me ſubito aliaq; cogitantem coniecit mirè in coniugium, cum Catharina

Boren-

Borenſi, Moniali illa. Epulum feria 3. poſt Ioannis dabo, ſi potero, nolo te expenſis vexari, ſed vocationis loco, abſolue te à debito reddendi Scyphi conſenſu Dominæ meæ, ſi tamen veneris nolo prorſus Scyphum, aut quicquam offeras, tantum mihi benè preceris ferenti tot contumelias & blaſphemias ob hoc opus Dei. Vale & ora pro me Vuitebergæ feria 3. poſt viti M. D. XXV. Martinus Lutherus.

Dies nuptiarũ Lutheri.

AD GEORGIVM SPALATINVM.

Indicat diem nuptiarum ſuarum Lutherus, eumq; vocat ad ſolennitatem nuptialem.

GRatiam & pacem in Domino. Epulum meum & Katharinæ meæ futurum eſt proximè, feria tertia, hoc eſt, poſt feſtum Ioannis Baptiſtæ, ad quod vt ſeriò te intelligam gratulari nuptijs meis voco te, mi Spalatine, & oro ne deſis. Scripſi quoq; Marſcalco pro ferina & ſimul vocaui, Tu dabis operam ſi quid impetrari valeat. Remitto literas Regis Danorum. Ego verò de libris Regis Anhliæ nihil ſcio. Orabo quoq; quantum poſſum ſuoq; tempore ſcribam, modo non licuit, monebis tu cum ocium & oportunitas nuncij fuerit. Benè Vale & pro me ora Vuitenbergæ feria 4. poſt viti M. D. XXV. Martinus Lutherus.

Libri Regis Angliæ.

AD IOHANNEM HESSVM.

Recenſet quædam de Doctoratu Moibani, & admonet eum vt caueat ſibi à nouis Prophetis, & ſeditionem Ruſticorum penè ſedatam eſſe affirmat.

GRatiam & pacem in Domino. Viuit & redit ad vos D. Moibanus mi Heſſe à nobis creatus gentilis cum

Gentibus,in obſequium fratrum & Euangelij. Moneo verò te vt à Prophetis caueas qui iam paſsim vagantur & authore Carlſtadio & Zuinglio de Euchariſtia peſsimè ſentiunt & loquuntur. Quanquam de Carlſtadio nondum deſperaui, Deus faciat quod bonum eſt. Omnia verò audies ex Moibano quæ apud nos geruntur. Ruſtici coherciti ſunt ferè vbiq;, Saluta noſtros omnes & ora pro nobis. Deniq; benè in Chriſti gratia vale,Vuitenbergæ, feria 4. poſt Margarethæ M. D.XXV.

Noui Prophetæ ſed Sacramentarii.

Martinus Luther.

VVENCESLAO LINCO.

Agit de vocatione Briſgeri ad Eccleſiam Aldenburgenſem, & vt idolatria Canonicorum Aldenburgenſium compeſcatur Refertq;. Electorem Saxoniæ Ioannem moleſte ferre,quod Lincus ad Eccleſiam Norinbergenſem ſe contulerit. Tandem de ſuo Coniugio aliquid aſpergit.

GRatia & pax in Chriſto. Iam prius ad te ſcripſi, Prior ſcripſerat te vocans ad nuptias, ſed nuncius abierat,Ipſe quidem difficilis eſt ad eam vocationem licet idoneus & vtilis ſit. Nam Laicus fieri cogitauit, ego verò ad Principem ſcripſi, vt vocet eum & agat, vt Parochiæ reditus reſtituantur miniſtris verbi, tum vt Canonicis impijs imperetur modus,neq; confirmentur opinionibus ſuis ac ritibus. Benè omnia ſpero quæ ad hanc rem pertinent, Princeps mihi quæſtus de te eſt, quod è terra ſua diſcederes, nec mihi ſanè placeret,niſi ſperarem te illic fructum facturum, & cogitarem

Ruſticos eſſe tuos Aldenburgenſes. Nam tua ratio de ſcandalo me nihil mouet. Benè vale in Domino / Jch bin an Kethen gebunden vnd gefangen/ vnd lige auff der bore/ ſcilicet mortuus mundo. Salutat autem te tuamq; Cathenam mea Cathena, Vuitenbergæ Sabbatho Magdalenæ Anno M. D. XXV. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Commendat Linco quendam egenum ſtudioſum, ac de Briſgeri Magiſterio eum reddit certiorem.

GRatiam & pacem in Domino. Hunc Ioannem Queytzen profligatum ac pauperem tibi commendo, mi Vuenceslae, ſicubi illi poſſes prouidere modico miniſterio, quanquam ego modica ſpe illum ad te mitto, cum tu ſoleas ad me potius mittere, & nos aliâs abundamus fratribus pauperibus, tamen quia ſic me rogabat fidens tibi, ſi Dominus aliquid iſtic prædeſtinaret forte pro eo. Quod ſi nihil eſt, via & iter idem maneat, ſi redire volet. Prior te ſalutat iam non Prior, ſed Magiſter Eberhardus. Reſignauimus cenſus Monaſterii in manum Principis. Benè vale & ora pro me, feria ſecunda poſt Iacobi Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Fratri Amsdorfii natum eſſe Filium, item alia noua de ſeditione Ruſticorum in Sueuia, Bauaria, Auſtria & Hungaria ſcribit Operam ſuam Henrico ab Amsdorfio ſibi commendatur pollicetur.

GRatia & pax in Domino. Noua tibi nuncio mi Amsd: fratri tuo Bartolo natum eſſe filium, ad quem baptizandum vocauit me, ego quoq; nihil facerem libentius, ſed abire non poſſum nec abeſſe vllo modo. Cæſam eſſe coniurationem ſuæuicam apud Meinningen conſtans hîc fuit fama, ſed heri ex aula ſcribitur, Ruſticos illic diffugiſſe, & nihil eſſe hanc famam, ſed circa Salisburgam 500. Equites & aliquot pedites in ſubſidiũ Cardinali miſſos adſerunt eſſe proſtratos. Et 100. arces in Ferdinandi ducatu captas, ſed ſic, vt ſuo Domino illæſas reſtituant à ſcribis (vt aiunt) obtentas hactenus. Hungaria in magno quoq; motu eſt. Hæc, vt nihil me ſcribere non poſsis cauſari, ſcripſi. Tu autem ora pro me. Hinrici tui memor ero quam primum idonea illi mihi vocatio obtigerit, ſaluta ſalutandos in Domino ac vale Vuitenb: feria 2. poſt Iacobi M. D. XXV.

Seditio Ruſticorum.

AD AMICOS QVOSDAM.

Hortatur quoſdam ne deſerant ſuum locum ob Tyrannidem Ducis Georgii, donec eiiciantur, Aldenburgenſibus inſtandum eſſe apud Principem, ſi velint ad ſe vocare Eberhardum Briſgerum Priorem ſuum.

GRatia & pax. Et credo & experior aulæ Tyrannos Friderico mortuo, audere plura quam antea, atq; vt plus ſæuirent in Euangelion quam Georgiani, ſi quo modo poſſent, ſed quid inde? non ideo fugiendum eſt Ioachimo aut vlli alij, donec expellantur vi. Chriſtus adhuc regnat etiam in medio inimicorum ſuorum, vt fremant dentibus & tabeſ-

Pſal, 110. 112.

tabeſcant, tamen deſiderium eorum perit. Deo tuo ad Nurnbergam ſatis eſt diſputatum & quæſtio finita. Si volunt Aldenburgenſes noſtrum Priorem, opus eſt, vt inſtent pro eo, nam proximis literis à Principe ad me datis, nulla fit mentio, cum ego id maxime vrſiſſem. Sic eſt Aula illa prorſus negligentiſsima rerum Chriſti, ſub optimo & Chriſtianiſsimo Principe, Vale & ora pro me. Octaua Iacobi Anno M.D.XXV.

Martinus Luther.

SVO DOMINO GODSALIGO EVANgeliſtæ apud Zellam Luneburgenſis Regionis.

Reſpondet ad Zuinglii argumentum de certitudine Fidei,& narrat non omnia ſuſpecta eſſe quæ à Papiſtis recepta ſunt.

GRatiam & pacem in Chriſto. Pauca occupatiſsimus ſcribo, mi Godſalige, tantum has vnas accepi literas tuas, poſtquam hîc dux Otto fuit, Compatior autem tibi ſic ſpiritibus nouis vexato, ſed fortis eſto, Dominus aderit virtute ſua. Argumentum Zuinglii de certitudiue fidei, nihil te moueat, loquitur enim de fide, prorſus ex auditis & propriè fictis ſine vlla experientia. Poſsibile eſt, imò quotidianum, vt ſimus in aliquot Articulis firmi, in aliquibus infirmi, relictus fuit Moſes tantæ fidei vir infirmus ad aquas contradictionis, tum omnes filij Iſrahel in fide victus & cibi infirmati ſunt, qui tot miraculis vicerant per fidem Pharaonem. Deinde non ſunt ſuſpecta omnia, quæ apud Papiſtas recepta ſunt, alioqui & bap-

Contra Zuinglii argumentũ

Carlſtadius autor erroris de Sacramento Altaris.

baptiſmum & tota Biblia ſuſpecta erunt. Hoc ſit magis ſuſpectum, quod Carlſtadius primus opinionem illam protulit, cuius argumenta Zuinglius & Oecolampadius in totum reſpuunt, & tamen opinionem alijs defendere nituntur, ac ſtulti non niſi potiſsima argumenta Carlſtadii à ſeſe damnata proferunt. Ridiculus mihi ſpiritus, qui articulum aliquem primo proferat argumentis nihili, & deinde alijs promiſsis eadem fere iactet, ac ſic ſibi in totum pugnet, certant illi de gloria dogmatis iſtius. Aliud nihil ibi video, ſed ſucceſſu videbis forte alia. Interim perdura in ſana ſententia, Dominus gratia ſua tibi aſsiſtat. Amen, Vuitebergæ feria 6. poſt Seueri Anno M. D. XXV.

Martinus Luther.

D. GEORGIO SPALATINO.

Rurſus ſpem facit potiundi M. Eberhardi Aldenburgenſibus, ſi Principis vocetur literis. Seq; Principi ſcribere pro Ioachimo, ſigna multiplicia prænuntiaſſe obitus tot Procerum in tam breui tempore, Principem grauius ferre aſsiduas Vuitebergenſium expoſtulationes, cum Spalatino expoſtulat.

GRatia & pax in Chriſto. Scripſi & dixi antea, mi Spalatine, M. Eberhardum vocari oportere literis Principis, quod vbi factum fuerit continuo aderit. Id autem Aldenburgenſes oportet curare, vt fiat, vt illis dudum ſignificaui. Pro Ioachimo ſcribo Principi. Mori Proceres hoc anno forte id eſt, quod tot ſigna partim & illos tangant. Gaudeo te aſſueſcere paulatim tuæ Aldenburgæ, fama ad nos

venit

venit Principis animum alienari ab Academia noſtra, atq; adeò ægrèferre velut improbas noſtras ſubmotiones, nos itidem ægrè ſuſtinemus ſtudioſos ſtatim è portis omnibus erupturi in omnem terram, vbi ſenſerimus ea eſſe vera, ſed forte hoſtis bonorum Sathan ea machinatur, Chriſtus gratificet nos ſibi, Amen vale & ora pro me Vuitebergæ feria 4. poſt Egidij Anno 1525. Martinus Luther.

GEORGIO SPALATINO.

Petit mitti ad ſe libellum Vrbani Rhegii, ac de Carlſtadio & colloquio cum ipſo quædam ſcribit.

GRatia & pax in Domino. Omnibus modis mitte libellum Vrbani Rhegij, mi Spalatine, vt videam, quid alij contra eiuſmodi ſpiritum ſapiant. Martini Richardi literis nihil fido, ſicut nec ipſi homini in totum, quem & nollem Nurmbergæ eſſe. Iodoco Kerno ſeruiam vt potero. De Carlſtadio nunciabo noua vbi venerit quod expecto. Scripſi ad eum ſpe tali quod conueniamus & de pace tractemus, ſi Chriſtus volet. Premitur (vt ſuſpicor) exilio, vel potius conſcientia læſæ famæ Principum Saxoniæ, ſunt qui ex ore eius ad nos retulerunt Chriſtus faciat quod bonum eſt. Vale & ora pro me Vuitebergæ feria 5. poſt Natiuitatis, Anno M.D.XXV. Martiuus Luther.

D. GEORGIO SPALATINO.

Suum ſcribit iuditium de nouo Monſtro, M. Eberhardum ab Aldenburgenſib. vocatum commendat, Principem exhortandum cenſet ad reformandos ſtatus parrochiarum, Philippum à Norinbergenſibus euocatum

catum breui ingreſſurum iter, vt adiuuet ibi inſtaurationem Scholæ Chriſtianæ. Et contra Eraſmum & eius Liberum Arbitrium adornare ſe ſcriptum. Ruſticos ad Baſileam ob nimiam Principum vehementiam denuo arma capere, Spalatino ſponſò benè, Sacrificulis autem Templi in arce Aldenburgenſi malè precatur.

GRatiam & pacem in Chriſto. Monſtrum iſtud abominor, ſicut omnia monſtra, cum non abeant ſine incommodo, quod ſignificant, licet Sophiſtæ naturaliter illa fieri ſomnient, ex ſuo Ariſtotele, ſed mundus id miſerè experitur eſſe ſalſum. Veniat ad vos M. Eberhard Briſcherus, quem tibi commendo, ſicut facis abſq; mea commendatione. Reliquum nunc eſt, conſtituta Schola, vt & Parrochiarum ſtatus aggredi ſuadeamus Principem quam primum reformandos, quod Deus conſulat & faciat, Amen. Nurnbergenſis Senatus Scholam Chriſtianum erecturus, Philippum noſtrum euocauit pro conſilio, iſq; propediem ibit, ſpero Chriſtum fortunaturum ſuum verbum. Ego iam totus in Eraſmo & libero arbitrio verſor, daboq; operam, vt nihil patiar illum rectè dixiſſe, ſicut verè nihil dixit rectè. Tu ora Dominum, vt aſsiſtat mihi, quo maturetur opus ſuum in gloriam ſuam Amen. Ruſtici apud Baſileam rurſus in armis eſſe dicuntur, quod Principum ſæuitia ſit intolerabilis. Cætera Briſcherus coram, Vale cum tua ſponſa & tota Eccleſia tua. Dominus verò conterat Bethauen illam veſtram velociter Amen. Vuitenbergæ in vigilia Michaelis Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

Reſtauratio Scholæ Norinbergenſis.

Lutheri Scriptum contra Liberũ arbitrium Eraſmi.

MICHA-

MICHAELI STIFEL.

Confirmat Stifelium in amplectenda ſyncera doctrina, Mundum offendi ſuo coniugio non eſſe mirandum, cum etiam offendatur in carne Chriſti. Sine iuſſu 13. Moniales Vuitebergam è ditione Ducis Georgii aſportatas, vt eripiantur Tyrannidi Sathanæ, M. Eberhardum factum Miniſtrum Eccleſiæ Aldenburgenſis, Monaſterii cenſus ſe Principi reſignaſſe At in Monaſterio ſibi Patrisfamilias adhuc hoſpitium, eſſe quo verò conſilio vxorem duxerit exponit.

GRatia & pax in Chriſto. Mi Michael fortis eſto in Domino, frater chariſsime & roborare in potentia virtutis eius. Si meum coniugium eſt opus Dei, quid mirum ſi in illo caro offendatur, offenditur etiam in carne ipſius diuinitatis & creatoris, quam ipſe pro ſalute mundi in precium & cibum dedit, ſi non offenderetur mundus in nobis, ego offenderer in mundo, metuens ne non eſſet diuinum quod gerimus. Nunc illo offenſo & impaciente in me ego ædificor & conſolor in ipſo, ita fac & tu. Hac nocte tredecim Moniales ex ditione Ducis Georgii afferre curaui, & rapui Tyranno furenti hoc Spolium Chriſti. Principes noſtri Euangelium palam confitentur & ſequuntur, M. Eberhardus fit Epiſcopus Aldenburgenſis cum Georgio Spalatino, Monaſterii cenſus Principi reſignauimus, viuo ego iam priuatus Paterfamilias, manens in Monaſterio donec Chriſtus volet. Nam non duxi vxorem, vt diu viuerem ſed (quod nunc propiorem finem meum ſuſpicarer, cum iam etiam populos cum Principibus in me furere videam) vt meam

Offendiculum ex coniugio Lutheri.

13. Moniales ex Miſnia elapſæ.

Cauſæ congii Lutheri.

meam doctrinam forte mox poſt meam mortem conculcandam iterum proprio exemplo relinquerem confirmatam pro infirmis. Vale & ora pro me, ſaluta dominam tuam & fructum carnis ſuæ. Die Michaelis Vuitenbergæ Anno M. D. XXV.

D. NICOLAO HAVSMAN.

Hortatur Hausmannum, vt pergat quantum poſsit ſuo loco repurgare Eccleſiam ſuam & vicinas, ſi quæ eum vocarint, donec Principis accedat mandatum, de quo ſolicitaturum ſe Principem pollicetur, ſeq; adornare confutationem Eraſmi Liberi Arbitrii oſtendit.

GRatia & pax in Chriſto. Agite interim quod agitis & ferte quod poteſtis, mi Nicolae. Ego iam totus ſum in Eraſmo confutando, ſcio reformatione Parrochiarum opus eſſe & inſtitutis vniformibus Ceremonijs, iamq; hoc ſaxum voluo, & Principem ſolicitabo. Video fruſtra conari nos niſi Paſtores prouideantur, agetur ſicut cum Leuitis olim, miniſtrari ſibi volunt, nec noſtra hodie conſtituta eſt Parrochia, quid de alijs fiet, quorum querelis quotidie obruor? Sathan eſt in medio. Tu igitur viſita Schnebergenſes & quoslibet potes, ſi vocant & opus habent. Qui Principi ſcias id minime diſplicere Catechiſmum differre, vellem enim vno opere omnia diſſoluere. Vale & pro omnibus ſicut facis, ora ſalutat te coſta mea. Quinto calend: Octobris Anno M. D. X X V.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMAN.

Summa diligentia commendat Licentiatum Baſilium Medicum, vt Phyſici muneri publico in ſua Ciuitate præfici eum adiuuet, Conſiliarios principis Vuitebergæ de reformandis Cæremoniis agere de parochiis idem paulo poſt acturos.

GRatiam & pacem in Domino. Eſt mihi D. Nicolae quo tua opera opus mihi ſit, rogo ne graueris mihi inſeruire, Peruenit ad me aura quædam famæ, quæri Phyſicum pro veſtra ciuitate. Ad quam conditionem, vt alij tendant multi, fortè verum eſt, ſed apud nos eſt Baſilius Licentiatus, neſcio, hominē noris nec ne, qui illam Nonnam à Schonfelt habet, & vnà in cœna tecū affuit, is iam dudum vngues ſuos ſuxit, liber ab officio. Quid nam predicem tibi eius fidem, artem & vſum in re iſta? laudatur à potioribus maximè. Hunc ego non modo pro ſuo commodo, ſed quod & Cygneæ velim optimè conſultum & viro eſſe digno prouiſum, id muneris obtinere cupio. Si tu nunc velles, aut poſsis quippiā cooperari, vt illic promoueretur, CHRISTVM planè foueres & vrbi tuæ benefaceres, aut ſi opus ſit, me alio modo iſta agere ſignifices. Promiſerat illi Princeps Fridericus ſi qua in ditione ſua vacaret conditio aliquando, ſe illum prouiſurum tanti fecit hominem, fac quod ſpero & præſumo, dignum officium tuo nomine & perſona. Proceres Principis hîc ſunt, agitur de ceremonijs conſtituendis nobiſcum. Poſtea agetur aliquando de Parochijs. Interim ſuſtineto te, Deus benedicet, Gratia tecum, Amen. Feria 4. poſt Dionyſij, Anno M. D. XXV. Licentiatus Baſilius.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI LANGO ET RELIQVIS Erffordiæ CHRISTI miniſtris.

Reſpondet ad quæſtionem Miniſtrorum Eccleſiæ Erffordienſis, de formandis Ceremoniis, ac de Miſſa vernacula pro laicis eos edocet.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Fratres chariſsimi, vehementer nobis placet ſolicitudo veſtra pro formandis Ceremonijs, neq; forma à vobis deſcripta ingrata eſt, ſi vel Erffordia ſola in eam conſentiat. Nec referre puto, ſi cæteræ Eccleſiæ nolint in eam concedere, quis coget inuitos? Nos ſanè iam deliniaueramus formã, Principiq́; noſtro miſimus, ac nunc iam eius mandato elaboratur, craſtina Dominica publico experimento tentabitur in nomine CHRISTI. Erit autẽ Miſſa vernacula pro Laicis, quotidianus verò cultus latinus erit, coniunctis lectionibus vernaculis, vt hæc breui publicis exemplaribus ęditis, perſpicietis, tum ſi placuerit nobis conformari, vel veſtris vti poteritis. Interim facite quod facitis, ac in Domino benè valete. Vuitenbergæ Sabbatho Simonis & Iudæ M. D. X X V.

Vernacula Miſſa Germanica celebrata primum Vuitenbergæ.

Veſter Martinus Lutherus.

VENERABILIBVS IN CHRISTO FRAtribus, Verbi DEI Miniſtris apud Argentinam, viris cum bonis tum eruditis.

Cum erronea opinio de Sacramento Altaris, primo per Carolſtadium ſparſa, poſtea per Zuinglium & Oecolampadium latiſsimè ſpargeretur, quam tamen Lutherus æditis in lucẽ aliquot libellis confutarat, ac plurimæ Eccleſiæ ſuperioris Germaniæ Zuinglii dogma amplecterẽtur, miſerunt miniſtri Eccleſiæ Argentinenſis Chaſelium Vuitenbergã, qui de negotio Cœnæ Domini coram cum Luthero conferret, eumq́; placaret, ne adeò grauiter in Zuingliũ & Oecolampadiũ inueheretur. Reſpondet igitur hac Epiſtola Lutherus, ac Argentinenſes adhortatur, vt ſibi ab impio iſto dogmate caueant, ſuamq́; de Cœna Domini ſententiam exponit, & aduerſariorum argumenta & rationes in ſequenti Inſtructione confutat.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO. Redit Chaſelius frater in Domino amabilis, ad vos, viri optimi. Et quid multis orem? CHRISTVM oro, vt per Chaſelium ſuo ſpiritu vobis dicat, quid vobis optemus: Res ſuſpirat breuitatem iſtam & otium tantillum, prudentes eſtote viri chariſsimi, Sathan non eſt homo, neq; mundus, ſed DEVS & Princeps mundi. Oecolampadij & Zuinglij ſanctimoniam, & Eccleſias eorum laudari à vobis quis non gaudeat? Sed videte quorſum eat Zuinglius in peccato Origenali? Quid verò ſanctimoniam & Eccleſiam vocetis, non ſatis intelligo, tam variè literis veſtris afficior. Nos nihil tale audemus de nobis affirmare, atq; vtinam ſine nobis regnaretis. CHRISTVM à nobis primò vulgatum audemus gloriari, at huius negationis iam traducit nos Zuinglius. Errare poſsumus, quid ſi & vos erretis? Sed ex Chaſelio omnia. Dominus autem faciat, quod bonum eſt in oculis ſuis, Amen. Vuitenbergæ, Dominica poſt omnium ſanctorum, M.D. XXV.

Martinus Lutherus.

INSTRVCTIO D. MARTINI LVTHERI, data Georgio Chaſelio ad Euangeliſtas Argentinenſes.

REferas Dominis ac Fratribus mi Chaſeli, ea quæ audiſti & vidiſti, primum quando ipſi per ſeſe ſentiunt, fore, vt 1.
hæc cauſa magnum ſit incendiũ conflatura, acquieſcant huic Admonitio
admoni- Spiritus.

admonitioni ſpiritus, & reuereantur, ne poſtea fruſtraneo conſcientiæ ſingultu gemant ſpiritus monitionem à ſeſe fuiſſe neglectam.

Pax.

Pace nihil optabilius nobis, vt quam hactenus & docuimus & ſeruauimus, quantum in nobis fuit, cum omnibus ſoliciti, teſte ipſorummet conſcientia, quod hanc tragediam non mouimus primi, ſed coacti reſpondimus.

Silere quatenus expediat.

Silere verò perpetuò non eſt integrum, cum ipſi æditis libellis (Zuinglium & Oecolampadium puto) animos mouerunt, niſi optent nos à verbi miniſterio & animarum cura abſtinere, intolerabile eſt illis loquentibus tacere, & turbantibus noſtram Eccleſiam, & extenuantibus noſtram authoritatem cedere, cogitent ſi ſuam docendi authoritatem metuunt, ac nolunt minui, nec noſtram minuendam eſſe.

Errorem damnaſſe non eſt conuitium.

A conuitijs abſtinere viſum eſt, ſed quomodo reſponderi poteſt aut contradici, ſi damnare non licet, & damnandi verbum pro conuitio rapitur? An non eſt cōuitium, quod illi modeſtiſsimi nos Carniuoras, eſculentum DEVM, impanatumq; colere, tum negatores redemptionis in cruce factæ æditis libellis traducunt? Ipſorum eſt modeſtia, nos immodeſti calumniamur, hæc tamen hactenus tulimus, cum ipſi ferre nequeant, ſi errare dicantur à nobis, an prorſus probari nolunt? planè non feremus talia.

Auocatio à quæſtione, Achilleum telum.

Conſilium illud non ſtat, quod fideles auocandi ſint, à quæſtione corporis & ſanguinis præſentis, & ſolo verbo & fide exercendi. Apud nos verbū & fides ſine re, in qua nituntur, non

tur,non ſunt,cum ipſa verba inuoluant ſententiam iſtam, an ſit corpus & ſanguis ibi?Nec vulgus auocari ibi poteſt,tot libellis per illos ſparſis & receptis, ipſorum fuerat primò tacere,ſerò nunc ſilentium quæritur.

Quid verò metuūt,ſi experimento fidei,(quod iactant) certi ſunt,ſi non fallunt,neq; falluntur,nos qui ſumus,qui illis reſiſtamus? Qui ſunt adeò certi de fide eiuſmodi, tenentur prodire & nos damnare erroris, vt conſcientijs & animabus per nos ſeductis conſulant, ſcilicet ex officio obſtricti. Cum vero & hîc trepident & aliud quærant, monemus vt iam altera monitione ſpiritus metuant,& videant quid agant. Qui enim experimento fidei certi ſunt, non iſta quærūt,neq; conſulunt. Spiritus enim non ſic trepidat aut diſputat. Experimentum fidei. 2. Admonitio

Deinde non diximus vnquam, neutram rem eſſe carnem & ſanguinem CHRISTI,aut non afferre ſalutem, ſed diximus verbū predicandum, & cibum eſſe verum animæ. Hîc tertio monet eos ſpiritus, vt ſibi caueant eò lapſi, vt rem neceſſariam faciant inutilem & neutram, idq; nobis falſò imputent. Caro Chriſti non eſt res neutra. 3. Admonitio

Summa alterutros oportet eſſe Sathanæ miniſtros, vel ipſos,vel nos,ideo hîc nulli conſilio aut medio locus, confiteri oportet,alterutrā partē quod credit. Atq; hîc oramus,quādo ita certi ſunt, ne diſſimulēt apud vulgū ſeſe à nobis diſſentire. Hæc quarta admonitio ſpiritus eſt,qui non ſic ſimulat. Quod ſi ipſi pergant diſſimulare, nobis incumbit, vt confiteamur eſſe nos alienos ab inuicem, repugnantibus ſpiritibus. Quæ alterutri Sathanæ miniſtri. 4. Admonitio

enim cõuentio CHRISTI & Belial? pacẽ libenter amplectimur modo ſalua ſit pax erga DEVM nobis per CHRISTVM parta.

Tropus exploditur.

Rationes nil ſunt, Tropum non admittimus, nec ipſi probant, & huic monitioni ſpiritus oro vt cedant. Probandum erat, an verbum, Eſt, in loco iſto, pro ſignificat debeat accipi. Ipſi verò probant, alicubi in Scripturis, pro ſignificat accipi, quis hoc ignorabat? Tum hoc maximè metuant, cum manifeſtè in alijs locis cæcutiant, ne etiam hoc loco errent.

5. Admonitio

Petra erat Chriſtus.

Videlicet manifeſtè cæcutiunt in illo, Petra erat CHRISTVS, Paulus enim non de Petra corporali dicit, ſed de ſpirituali: Sic enim habet, Bibebant de ſpirituali conſequente eos Petra, Petra autem erat CHRISTVS. Nonne hæc, id eſt ſpiritualis Petra erat CHRISTVS? vbi hîc, erat pro ſignificat accipietur? Eſt ne igitur hîc manifeſtus lapſus? Item & aliud, Agnus eſt tranſitus Domini, manifeſtus lapſus eſt, vbi enim hoc habet Scriptura? Sic dicit Moſes comedetis feſtinanter, eſt enim tranſitus Domini: Hoc eſt, ideo hæc omnia facietis, quia dies ille eſt Paſcha vel trãſitus Domini, ſicut ſi dicerem, comede aſſaturam, quia eſt Dominica dies. Ad tempus vel diem ſcilicet refertur non ad agnum, nec aliud ex iſto loco probabitur.

Valeat ac in rem non bonam hîc abeat tropus.

Agnus eſt tranſitus.

Poculum eſt Teſtamentum.

Sic & illud, Hoc poculum eſt teſtamentum nouum, valeret, ſi Apocopen admitti illic oporteret, nunc autem ſic dicit, Hoc poculum eſt Teſtamentum nouum in meo ſanguine, Poculum per ſeſe ſcilicet nihil eſt, ſed per ſanguinem

meum, eſt Teſtamentum, quod ſanguis ſine poculo tradi non potuit,& quæ ratio Symboli,vt poculum ſignificet Teſtamentum,vel vinum ſignificet ſanguinem CHRISTI, vbi hæc in Scripturis?Nonne hæc mera ſunt nugamenta & figmenta propriæ opinionis,quaſi ſufficiat dicere, mihi videtur poculum (ſcilicet quod eſt aurum & argentũ) eſſe ſymbolũ fuſi pro nobis ſanguinis,cum illud ſit durũ & ſolidum,neq; fuſibile,atq; vt nimium admiſceas, vinum bibitur non funditur.

Quanto rectius veteris Teſtamenti oblationes vini quæ fundebantur eſſent fuſi ſanguinis ſymbolum.Sed ſint hæc nihil,Summa eſt, vt probari poſsit, Eſt, pro ſignificat alicubi accipi: probari tamen non poteſt,hoc loco ſic accipi,Iam ſine ratione & Scriptura vim facere verbis ſacrilegium eſt.

Simplicia & aperta Scripturæ verba,citra rationem torquere ac tropis eludere ſacrilegium eſt.

Quare per CHRISTVM & omnia quæ in CHRISTO chara habemus,rogamus fratres, vt ab hoc errore, tot ſignis indicato alienum eſſe à ſpiritu, tam nihili argumentis nixo, abſtineant,deſinantq; animas ſeducere,periculum enim ſalutis animarum hîc maximum agitur.

Quod ſi omnino (perſuaſi) deſinere nolint aut non poſſint, Arriani ſeculi furoribus id comparabimus, & ira DEI noſtram ingratitudinem plectente, tantiſper laborabimus donec miſereatur noſtri, Damnum maximum patrabunt, SED NON PERVINCENT. Quod Zuinglius,vel ipſi,verbo meo offenduntur, quod dixi, Es muß recht ſein was ich ſchreib, doleo, ſignificant enim nonnullo animi morbo laborare in me, cur ipſi iactant experimenta fidei? An non

Error hic Arrianorũ æquatur furoribus.

Prophetia Lutheri de Sacramentariis,vt arguta ita arrogantiæ excuſatio.

An non eſt faſtuoſiſsima illa vox, ſi carnem ſpectes? Verum ſaluberrima ſi vera ſit, Petro authore, qui vult nos ſic loqui, vt certi ſumus verbum DEI nos loqui. Qua certitudine, niſi ipſi inanes eſſent, meam certitudinem & fiduciam non ſic damnarent. Quid eſt eorum experimentum fidei & ſpiritus teſtimonium, ſi talia de nobis iactare, & ab alijs audire iactata non poſsimus? Verum plura dabit res ipſa, cum tractari ceperit. Nos certi ſumus eos errare, Ipſi viderint, quam certi ſint, ſeſe non errare, Dominus det, vt verè non errent, hoc eſt reſipiſcant, Amen.

Cætera tu mi Caſeli dices, vides enim nos non vnis aut binis negotijs occupatos. Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Excuſat ſe cur inuitatus ad nuptias Spalatini non veniat. Ad quæſtionem, num principis ſit, vi prohibere manifeſtam Idolatriam, diſertè reſpondet, confutans præcipua argumenta aduerſariorum qui contrarium aſſerunt.

Nuptiæ Spalatini.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Quam vellem nuptijs tuis intereſſe, mi Spalatine, nec paterer me adeò impedire liberum arbitrium Eraſmi, quin ſeruire mihi cogeretur. Sed nouas ecce turbas mihi parit recentior illa Monialium liberatio, ibi ſæuit animis ignobile vulgus nobilium. Et mirum eſt, quam illis quoq; non credi licet, qui hactenus

nus Euangelicisſimi viſi ſunt. Amsdorfius nuper ipſe in periculo erat apud illos, quos ipſi putabamus cum ipſo eſſe arces & refugia noſtra, ſi opus foret, vox Amsdorfij erat, Sie ſind Buben nicht allein fur Gott / ſondern auch für der Welt. Mirareris ſi nomina eorum literis mandare liceret. Hæc cauſa eſt, vt lachrymis Catenæ meæ retinear, ne te accedam, credentis, nihil minus te optare, ſicut & ſcribit, quam periculum meum, ſic enim diſputat. Amsdorfij vero authoritas apud me plurimum valet, tum noſti, quantum Princeps iſte noſter eſt Euangelij ſtudioſus, tanto minus, eſt ſuis formidabilis, quod ſperent facile illi verba fieri poſſe, quicquid etiam auſi fuerint.

Quod quæris an Principis ſit cohibere abominationes? cauſantibus aduerſarijs, neminem debere cogi ad fidem & Euangelium. Deinde nullo exemplo id fieri, poſtremo Principes in externis ſolum ius imperij habere, reſpondeas, Cur ipſi primi non ſic faciuut, vt nunc demum argumentantur? ipſi enim non ſolum cogunt ad externas abominationes, verum & ad internam infidelitatem & cordis impietatem. Ferant ergo menſuram ex parte ſaltem, qua metiuntur. Quod verò cogunt, ſatis patet, quod inuocant alienum Principem, quo vno meruerant prorſus expelli. Deinde Principes noſtri non cogunt ad fidem & Euangelion, ſed cohibent externas abominationes. Cum igitur ipſimet fateantur in externis rebus eſſe ius Principibus, ipſi ſeſe damnant. Debent enim Principes publica flagitia, vt periuria, (Officium principum abolere idolatrias.)

 blaſphe-

blaſphemias nominis Dei manifeſtas, quales iſtæ ſunt, cohibere, interim nihil cogentes ſiue credant illi ſiue non, qui prohibentur, neq; ſi clam maledicant ſiue non. Nos enim de publicis maledictis & blaſphemijs dicimus, quibus Deum noſtrum blaſphemant. Hoc (inquam) ſi poſſumus, debemus cohibere, ſi non poſſumus, cogimur permittere. Hîc nemo adhuc cogitur ad fidem & Euangelion, nemo cogitur ad cordis impiam opinionem, qualiter ipſi facerent ſi poſſent, modo quia facere non poſſunt, conſentiunt ijs qui faciunt, & probant eos, ideo pari pœna digni. Rom. 1. Exemplum credo ſatis magnum eſſe, quod Chriſtus flagellis

Luc. 19. factis vi expulit vendentes & ementes de templo. Perge igitur, illorumq; vocibus nihil moueare, ac vale in Domino cum ſponſa tua, veniente M. Eberhardo honorabo quantum poſſum Nuptiolas tuas. Die S. Martini M. D. XXV.

Martinus Luther.

GEORGIO SPALATINO.

Gratulatur coniugium Spalatino, excuſans ſe cur ad ſolennitatem nuptiarum eius non venerit, mittitq; illi munus nuptiale.

Nuptiæ Georgii Spalatini.

GRatiam & pacem in Domino, & iucunditatem in vxorcula ſuauiſsima, item à Domino. Quam ingratum eſt tuum coniugium fratribus tuis Baalitis, tam gratum eſt mihi, quin in te nihil gratius (excepto Euangelio) mihi oſtendit Deus, quam vt te mererer videre & audire coniugem. Quanquam & hoc ſit donum & fructus Euangelij non

paruus

paruus. Quo autem animo abſuerim, & quibus cauſis non venerim ad has dulciſsimas tuas nuptias, referet M. Eberhardus. Sic vertuntur omnia ſub Principe Euangelij confeſsore & ſatis equeſtri, ſumus minus tuti in itinere, quam ſub Principe diſsimulante & feriante, vt nunc quos ſperaris eſſe arces refugij, metuere cogaris ſocios latronum & proditores, ſed hæc illis. Ad te redeo & opto tibi magnam & læticiam & prolem, benedicente Chriſto, certè geſtit mihi animus in tuas nuptias, hoc volo mihi credas, non ſecus quam in meas ipſius. Ego pauperculus verò miſiſſem tibi Aureum illum Portugalienſem, quem meæ donaras, niſi metuiſſem ne offendereris. Mitto itaq; adhuc reliquum mihi ex nuptijs, ignarus an tuus fuerit nec ne, Animum verò agnoſces in munuſculo paruo quam maximum. Sed quid verbis opus? Notiorem tibi me eſſe perſuadeo, quam vt egeat confeſsione mea. Saluta tuam coniugem ſuauiſsimè, verum vt id tum facias, cum in thoro ſuauiſsimis amplexibus & oſculis Catharinam tenueris, ac ſic cogitaueris, en hunc hominem, optimam Creaturulam Dei mei, donauit mihi Chriſtus meus, ſit illi laus & gloria. Salutat & te & coſtam tuam mea coſta in Chriſto, Gratia vobiſcum Amen, Vuitenbergæ, Die Nicolai Anno M. D. XXV.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Inſtruit Spalatinum, quid reſpondendum ei ſit ad calumnias Baalitarum opprobrantium ei matrimonium, eumq; mulctare volentium, deteſtatur

igitur impurum papiſtarum cælibatum, ac vult Sacrificulos Aldenburgenſes adhortatos, vt à ſua impietate deſiſtant, Et ſuadet vt tandem principis Electoris auxilium contra Sacrificulos imploret.

GRatiam & pacem. Mihi occupatiſsimo mandatum eſt, mi Spalatine, reſpondere tibi ſuper ijs, quæ Rectori ſcripſiſti & Vniuerſitati. Primum ne cedas ſuperbis iſtis Baalitis, ſed contemne eos rurſus fortiter, & reſponde eis ſermone magnifico in hunc fere modum. Et te quoq; ideo coniugium amplexum eſſe, vt teſtatum faceres Deo & hominibus, maxime illis ipſis, te non conſentire in illorum ſceleratum, impurum, impium & diabolicæ Eccleſiæ Cœlibatum ſiue potius Sodomam igni & Sulphuri cœleſti deuotam, ac propediem deuorandam. Proinde te eos adhuc monere, vt à ſuis abominationibus deſiſtant, ac deſinant DEI verbum & opus blaſphemare, multo magis verò abſtineant à mulcta in te non conuictum neq; damna tum verbo DEI. Alioqui Principis manu inuocata cogaris eos rurſus ſic aggredi, vt malint ſeſe hæc nunquam præſumpſiſſe. His ſcriptis Principem quoq; inuoces, officij ſui memorem facias, vt non ſinat te te mulctari innocentem, ſed ſcribat autoritate qua decet Principem, illis inſanis, vt aut te criminis conuincant literis ſacris, aut te immulctatum ſinant, ne cogatur innocentem ſic defendere, vt eos ſuæ Tyrannidis pœniteat. Non dubium erit quin his literis deterrebuntur, niſi forte Deus eos indurabit, vt pereant cito. Nam ex aliorum pharetra illæ ſagittæ eorum non veniunt, ideo ne

Cœlibatus papiſtarum.

timue-

timueris, ſed patere opprobrium, vt & tuum iudicium in humilitate ſubleuetur. Vale & ſaluta Catenam tuam & M. Eberhardum habe commendatum. Vuitebergæ Sabbathio poſt Nicolai, Anno M. D. XXV.

Martinus Luther.

Finis Anni M. D. XXV.

SEQVENTES EPISTOLAE NVPER oblatæ nobis, in fine anni 1525. poſitæ ſunt, ne interciderent, pertinent autem in annum 1523. 1524.

ÆLIO EOBANO HESSO POETÆ, IN Chriſto Fideli Fratri ſuo Chariſsimo.

Reſpondet Eobano Heſſo ad ſuas literas, ac ait placere ſibi eius Captiuam, predicat quoq; peritiam linguarum ac liberalium artium neceſſariam eſſe Theologo, vultq; Iuuentutem ad ſtudia poetices & Rethorices diligenter aſſuefieri.

GRatia & pax. Literas tuas ſuauiſsimas reddidit Crotus noſter ſuauiſsimus, comes Iacobi Fuchs & Petrei, Gaptiuam verô exhibuit Philippus. Hactenus forte ſatis fuerit ad te ſcribere rudem Lutherum, tantum vt reſponderet tibi optime Eobane. Nam quid ſcribam amplius, qui vellem te non niſi tuis Muſis digna legere? etiam ſi ſcio animi tui candorem, vt viliora quoq; non contemnas. De Captiua quid iudicem tu ipſe poteris iudicare, neq; enim adeô tibi cornea fibra eſt, vt te non ſentias, neq; tam φιλαυτοσ vt teipſum palpes, ſed vt etiam te ſuperes: Tamen in hoc te non ſuperabis, vt captiuam diſplicere vel mihi vel tibi credas, prodibit

autem ipſa in lucem propediem, & authorem ſuum etiam ſine nobis, qualis ſit oſtendet, nec inuidiam ipſam formidatura. Cæterum niſi ſcirem te reſponſurum pro decoro ſeruando abs te factum eſſe, cauſarer meo nomini nimium hoc inſigni opuſculo tributum, alijs des nominis (ait ille) huius honorem, feram tamen immeritam gloriam, qui tot meritas ferre aſſuetus ſum ignominias. Cæterum timores iſti veſtri, te nihil moueant, vbi timetis fore, vt Barbariores fiamus Germani, quam vnquam fuerimus caſu literarum per Theologiam noſtram, habent quidam ſuos quoq; timores ſæpius vbi nullus eſt timor, ego perſuaſus ſum ſine literarum peritia prorſus ſtare non poſſe ſynceram Theologiam, ſicut hactenus ruentibus & iacentibus literis miſerrimè & cecidit & iacuit. Quin video nunquam fuiſſe inſignem factam verbi Dei reuelationem, niſi primò velut præcurſoribus Baptiſtis, viam pararit ſurgentibus & florentibus linguis & literis. Planè nihil minus vellem fieri aut committi in Iuuentute, quam vt Poeſin & Rhetoricen omittant, mea certè vota ſunt, vt quam plurimi ſint & Poetæ & Rhetores, quod his ſtudijs videam, ſicut nec alijs modis fieri poteſt, mirè aptos fieri homines ad ſacra tam capeſſenda, quam dextrè & fœliciter tractanda. Facit quidem ſapientia linguas infantium diſertas, ſed donum linguæ non vult contemni. Quare & te oro vt & meo (ſi quid valet) præcatu agas apud veſtram iuuentutem, vt ſtrenuè & poëtentur & Rhetoricentur, viuit Chriſtus. Ego ſepius indignor mihi

etiam

etiam, hac ætate & his moribus non permitti tempus aliquando Poetas & Rhetoras verſandi, Homerum mihi emeram vt Græcus fierem. Sed ſatis, te his nugis eſſe moleſtatum, Tu de Luthero tibi perſuade id planè quod de tua Captiua perſuaderè poſsis, ac optimè vale in Chriſto fortis Amen, in die Palmarum Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

CHRISTOPHORO HOFMAN.

Antagoniſtam Carlſtadii Hoſmannum admonet, vt à nouorum Prophetarum quæſtionibus ſibi caueat, eruditq; quid ſibi de perſeuerantia & prædeſtinatione noſtra ſtatuendum ſit, deniq; neminem fide aliena ſaluari aſſerit.

GRatia & pax tibi. Ex ijs qui tibi benè volunt amicis, optime Chriſtophore, intellexi quæſtiones tuas, quas Doctori Andreæ Carlſtadio propoſuiſti de ſcientia prædeſtinationis, de lapſu & reſurrectione iuſti, de fide aliena, de baptiſmo paruulorum, de perſeuerantia ſpiritus in ſanctis &c. Exegerunt quoq; vt tibi vno verbo meam ſententiam ſignificarem, quanquam ignotus ignoto, quibus nihil negare poſſum nec debeo. Quare & tu meam operam boni conſulas oro, obſecro autē te per Chriſtum, vt ab iſtis nouis dogmatibus tibi caueas, ſunt enim Prophetarum qui apud nos è Cygnea auditi ſunt me præſente, ſibi ipſis nihil conſtantes & planè ſine Scripturis, ſolo ſuo ſpiritu loquentes, quos niſi ipſe vidiſſem aliorum magnificis bullis motus, eſſe eos aliquid & ego putaſſem. Quibus et Dominus Nouorum Prophetarū quæſtiones

Carlſta-

Carlſtadius ſiue pro ſuo candore ſiue bono animo, nondum fortiter reſiſtit, mea ſententia eſt hæc, nos debere fidere gratiæ Dei, ſed manere incertos de noſtri & aliorum futura perſeuerantia ſeu prædeſtinatione, vt ille dicit, Qui ſtat videat ne cadat, quamquam Apoſtolos certos fuiſſe de ſua ſalute non eſt dubium. At tamen Dauid quoties quæſo metuit & plorat, ne proijciatur à facie Dei? Deniq; multis hæc & exemplis & Scripturis apud nos ſunt teſtatiſsima, fidem alienam certum eſſe, non facere vt ego ſim ſaluus ea ipſa aliena, vnusquiſq; enim per ſe credit vel non credit, facit tamen & impetrat, vt & ego mea propria fide credam, alioqui quid ſunt orationes fidelium pro infidelibus, vt ſanctificetur nomen Dei, vt veniat regnum eius? ſic paruulis dari fidem propriam ſentimus in baptiſmo impetrante eam fide aliena Eccleſiæ, & pro paruulo orante in Chriſti ſpiritu. Sic ſepties cadere & reſurgere iuſtum ſentimus, donec occulta ijs fuerit prædeſtinatio ſui, & quid multis tecum? tu ipſe plura ex ijs ſapies occaſione accepta. Deinde amici tantum ſententiam meam ad te ſcribi voluerunt, quod feci, Chriſtus autem cuſtodiat cor tuum & intelligentiam tuam, in ſimplicitate Chriſti, Amen ora pro me, Vuitebergæ M. D. XXV.

Fide aliena nos non ſaluari.

D. IOANNI LANGO.

Scribit de morte primæ coniugis D. Langii, ac de Sathane furore aduerſus Euangelii doctrinam.

GRatiam & pacem. Solutus es ab vxore, mi Lange, neſcio an gratuler an compatiar. Sic habent res iſto ſeculo

con-

confuſiſsimo & perturbatiſsimo, ſperaueram te viſitaturum nos in tanta vicinia conſtitutos, ſed audio te vexari fulminis iſtius veſtri technis & nequitijs, ſed omnis fortuna ſuperanda ferendo eſt, dabit DEVS his quoq; finem, CHRISTVS ſit tecum, & tu pro nobis orabis diligenter. Sathan enim furit & cogitat plura, quam DEVS ipſe poſsit perficere tam ſubito, vigilandum itaq; & orandum eſt. Vale in CHRISTO, & tu vide περὶ τῆς πολυγαμίας, vt cautus & prudens ſis. Vinariæ die Philippi & Iacobi, Anno M. D. XXIII.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI LANGO.

Commendat Lango D. Ionam, ac de morte Neſſeni eum certiorem reddit.

VEnit Ionas ad vos mi Lange, vxore hîc relicta vicina partui, vt fratris ægri rationem, tum etiam ſuæ rei habeat. Rogat itaq; & ego rogo, vt fideliter ei cooperis, quibus rebus te opus habuerit, quo citius abſolutus domũ redeat. Scis tu, qui iam extra paupertatis periculum poſitus es, quid ſit laborare penuria vel metu penuriæ, qua infirmitate forte & Ionas ægrotat, ob ductam vxorculam & rem familiarem, ſicut itaq; confidimus tete facturum, ita rogamus vt facias. Georgius Neſſenus in aquis miſerè perijt, magno noſtro mœrore, magnoq; hoſtium tripudio, fortè & maiore blaſphemia Euangelij noſtri & nominis CHRISTI. Penè quoq; occidiſſet Sathan Priorem noſtrum, niſi miraculo inſigni fuiſſet

Interitus Neſſeni.

ſeruatus, Dominus ſimul propè ſimul longè eſt, vale & ſaluta Coſtam tuam, Vuitenbergæ feria 4. poſt Viſitationis Mariæ, Anno M. D. XXIIII.

Martinus Luther.

ANNVS CHRISTI M. D. XXVI.

D. MICHAELI STIFEL.

Mittit confutationem Eraſmi, ac ex Carlſtadii errore duos alios natos eſſe inter ſe diſſentientes, quorum vnum peperiſſe Zuinglium, alterum Valentinum Schleſitam nuntiat, vxori eius ſalutem dicit & pro munuſculo, quod nondum accepit, ioco gratias agit.

GRatiam & pacem in Domino. Mitto tibi Eraſmum à me confutatum, vt in breui & feſtinantia fieri potuit, mi Michael. Et placet quod ſentis quam potens ſit Princeps mundi in fructu verbi impediendo, etiamſi audire permittere cogatur, tum in ſerendis ſectis impiorum h. e. zizanijs ſuis. Habet autem error iſte de Sacramento tres ſectas in vno ſenſu. Alijs rationibus Zuinglius contra Carolſtadium pergit, alijs Schleſita Valentinus, contra vtrumq; & omnes, de quo audies ſuo tempore. Iſta ſectarum pugnantia, ſignum eſt Sathanæ eſſe quod docent, eò quod ſpiritus DEI non ſit diſſenſionis DEVS, ſed pacis. Dominam tuam officiosè ſalutabis vnà cum filijs, & gratias ages pro munuſculo miſſo, licet id nondum venerit, neq; fortè futurum ſit, ſed nec refert, ſufficit animi voluntas. Vale & ora pro me Vuitenbergæ, Dominicâ

Tres Sectæ Sacramentariorum.

Dominica poſt Natiuitatis CHRISTI, qua tuas accepi literas, Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Pecuniam pro quibuſdam rebus ſibi emptis mittit. A Duce Georgio, ad ſuas literas modeſtiſsimè ſcriptas ſe accepiſſe reſponſum, non quidem Principe dignum, ſed tali Tyranno digniſsimum. Item quæ fama de ipſius nuptiis ſparſa ſit ſignificet.

GRatiam & pacem in Domino. Mitto cum iſto Brunone 7. florenos, mi Amsdorfi, pro butyro & arido piſce. Nam literas tuas amiſi, & memoria teneo, tantum debere me fermè. Scripſi ad D. Georgium humiles literas & valde ſynceras, at ille mihi reſpondit pro ſuo ingenio inſigniter ſtultas & ſpirantes ruſticam illam ferocitatem, quæ ei ingenita eſt ex Bohemico illo ſanguine, planeq; ſe dignas, videbis exemplar vbi tranſcriptum fuerit. Fama hîc multa fuit te duxiſſe ſalutem illam Alemannam ſponſam meam in vxorem, mirum, ſi clandeſtino exemplo me retalies. Vale in Domino. Vuitenbergæ feria tertia poſt Circumciſionis, Anno M. D. XXVI.

Reſponſio D. Georgii ad humiles literas Lutheri.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Intercedit pro Georgio Schmid, vt eius cauſa cognoſcatur, & legitima cognitione facta iuſtè tranſigatur.

GRatiam & pacem. Hic Georgius Schmid querelis me acceſsit quas ad te mitto, mi Amsd: vt videas an vera ſint

quæ narrat, deinde illi conſulas, & Magiſtratum moueas. Sic iurat, ſic conteſtatur, deinde perſona magnæ ſpei eſt, vt quantum licet vni homini credere, penè credam, cum tamen incredibile ſit Magiſtratum veſtrum tantæ eſſe tyrannidis, vt non modo ius, ſed & reſponſum negent, & ſola vi agant prudenter. Deniq; liberari ab homine non potui, niſi vt tibi & Magiſtratui ſcriberem. Paratus eſt ſtare iure, accuſari & iudicari à quouis, & digna factis recipere. Tu fac quod dederit CHRISTVS, quo vel iuuetur innocens vel conuincatur reus, ac vale in Domino, Vuitenbergæ 7. Iannuarij, Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Conqueritur de maledicis literis Ducis Georgii, & accuſat furorem Sacramentariorum, contra quos Theobaldum Billicanum ſcribere cepiſſe. Se verò atrocia contra ſuum Seruum arbitrium ab Eraſmo expectare nuntiat.

GRatiam & pacem. Spe quidem bona ſcripſi Duci Georgio, ſed falſus ſum, perdidi humilitatem meam, nec reſpondebo ei quicquam. Nihil moueor eius mendacio & maledictis. Et cur hunc non ferrem, qui cogor ferre filios vteri mei, Abſolones meos, qui furioſiſsimè mihi reſiſtunt? Illos puto Sacramentomagiſtas, præ quorum inſania Papiſtas cogor mites iudicare, ita quærit me Sathan per iſtos. Non credidi antea Sathanam eſſe tam nequitioſum ſpiritum, nec

Sacramentarii Lutheri Abſolones.

tum, nec intellexi verbum Pauli: Nequitias ſpirituales, &c. Ephef.6.
Sed CHRITVS viuit. Scribit iam Theobaldus Billicanus Nordlingenſis Eccleſiaſtes contra Zuinglion, Carlſtadium & Oecolampadium. Suſcitat DEVS reliquias ſuas contra nouos hæreticos, ſpes bona eſt, CHRISTVS promoueat, ſcriberem & ego contra eos, ſi ocium eſſet, ſed prius videbo iſtius Domini. Gaudeo Seruum arbitrium tibi placere, ſed idem ab illo vel peiora expecto, quam à Duce Georgio. Sentiet enim vipera ſeſe tangi, & iugulo peti, neq; flectetur mea modeſtia, DEVS det vt fallar, ſed noui hominis ingenium & Sathanæ Organum, niſi DEVS mutaret illum. Alia non ſunt hic noua. Vale & ora pro me. Sabbatho poſt Anthonij Anno M.D.XXVI.

Martiuus Lutherus.

D. IOANNI AGRICOLÆ IVVENTVTIS Eiſlebienſis Formatori fideliſsimo.

Oecolampadium & Zuinglium ſcriptis doctiſsimorum virorum Sueuiæ egregiè eſſe confutatos, & quinq; hæreſes ex vna natas, inter ſe ſaltem Argumentis diſcrepantes. Reginam Daniæ in fide ſyncera ex hac vita diſceſsiſſe ſcribit, &c.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Interim nihil habui quod ſcriberem, mi Agricola, ſcribo tamen vt ſalutem te & vxorem tuam, nam quæ proximis literis poſtulaſti, puto tibi interim innotuiſſe, vt de N. hæreticis, DEVS conuertat eos. Nam in Oecolampadium & Zuinglium egregiè ſcri-

ptum eſt, à Sueuiæ doctiſsimis viris, qui liber hîc æditur denuò, inſuper & Bellicanus breuiter, (huius librum hîc mitto) illi verò & copiosè & eruditè. Spero illis ſua tandem deſperata fore, quæ hactenus tam confidenter iactauerunt, vna illa hæreſis, iam quinq; habet ſectas, omnes idem ſentientes, ſed diuerſis argumentis, ideo peribunt ſtatim. Regia illa mulier, & verè Regina Eliſabeth Danorum Regis vxor exceſsit è viuis, vt ipſe mihi ſcripſit Chriſtiernus Rex, ſed magna fide exceſsit, accepta cœna Domini legitimo ritu CHRISTI, nec perſuaderi potuit licet fortiter tentata per Proceres, vt in Papæ fidem rediret: Scilicet CHRISTVS etiam aliquando Reginam voluit in cœlũ vehere. Pœdagogum herilium filiorum tibi commendo, & ſalutabis tuam Elſam, & omnes noſtros, Kathena mea quoq; te cum tuis ſalutat, cum reuerentia tui ſæpe memor. Vale in æternum 18. Februarij, Anno M. D. XXVI.

Eliſabetha vxor Regis Danorum, Soror Imp. Caroli moritur.

Martiuus Lutherus.

AD NICOLAVM AMSDORFIVM.

Excuſat ſe quod Ioannem Honhoff aliqua vocatione iuuare non potuerit, narrat etiam D. Carolſtadio filium eſſe natum & in Segrena baptizatum, factis compatribus Doctore Iona, Philippo Melanchthone & vxore Lutheri, ſcribit etiam de libris contra Sacramentarios Vuitenbergæ in publicum æditis.

GRatiam & pacem in Domino. Non erat, mi Amsdorfi quo huic pauperi Ioanni Honhoff, officio aliquo prouiderem. Multi enim hîc ſunt, vt ſi numero liceret Scripturas metiri,

metiri, poſſes Euangelio inuerſo dicere, operarij multi, meſsis verò modica, ſed venter miſer & egens tales multiplicat, ſpiritu nihilominus pauci operarij manent. Heri Carolſtadio filium baptiſauimus, vel Baptiſma potius rebaptiſauimus, Compatres ſunt Ionas, Philippus, Ketha mea, Ego hoſpes cum alijs fui. Segrenæ hæc facta ſunt trans Albim, vbi Carolſtadius eſt habitans. Quis ita futurum cogitaſſet anno ſuperiore fore vt hi, qui Baptiſma balneum Caninum vocabant, nunc peterent ab ipſis hoſtibus? ſiue id ex animo ſiue ſyncerè petant, DEO ſit ſeruatum, tamen miracula ſunt ſatis magna, ſi conſiderentur opera DEI operibus hominum contraria. Vale & pro nobis ora. Die Sponſæ Brunonianæ, M.D.XXVI.

Compatres filioli Carolſtadii.

Æduntur apud nos duo Libelli in Zuinglium & Oecolampadium, vnus Theobaldi Billicani, Alter 14. Miniſtrorum verbi in Sueuia eruditiſsimi & ſynceriſsimi, qui ſanam fidem egregiè tuentur in Sacramento, videbis gaudens ſi nondum vidiſti.

Libelli contra Sacramentarios.

D. MAGISTRO EBERHARDO BRIESger Paſtori Aldenburgenſi.

Aere alieno iniuria aliorum obſtrictum & ſolicitum de vxore ſua gerente vterum, ob magni cuiuſdam periculi metum, conſolatur, ſuam quoq; vxorem factam eſſe grauidam nuntians.

GRatiam & pacem. Quid egerim in tua cauſa, mi Eberharde, cum Nicolao Demut, etiam antequã tu me rogares, intelliges ex iſtis literis ſuis. Ego qui obruor ſumptibus & profun-

& profundendis pecunijs, alioqui pro te dediſſem interim: Satis autem miror, ſic te debitis fuiſſe inuolutum, verum rectè facis, quod agnoſcis tentationem à DEO eſſe, iam reliquum eſt, vt prudenter ferens finem prouentus, quem non vides, nec videre decet, expectes. Non te deſeret, qui etiam volucrem nullum ſinit fame perire. Stipendium tibi immi-nui & ligna negari, res digna eſt verbi contemptoribus, ſic enim meriti ſunt, ne verbo inſeruiant peritura ſua ſubſtantia.

Tentatio de ære alieno.

Matth. 6.

Illud verò de vxore tua magis mouet, ſed ferendum eſt & hoc periculum, rogandusq́; DEVS, vt auertat quod timetur. Certè negari non poteſt, ſi fœtus non ſentitur, periculum eſſe, verum ſi ab initio aliquando ſenſiſti, bona adhuc ſperare licet, ſolent enim (vt audio) fœtus aliquando interquieſcere, niſi forte vxor tua non intelligit, quid ſit ſentire fœtum, de quo explorandum eſt. Salutat te & tuam Cathenam mea, cuius fœtus ſe præbuit ſentiendum, iam ferè ſex Hebdomadibus, DEO gratias & gloria. Idem optamus & oramus tibi & tuæ, donetq́; CHRISTVS, vt cum gaudio natos videamus, Amen. Vale & pro me ora. Saluta Spalatinum in Domino. Vuitenbergæ, feria 2. Bachanaliorum M. D. XXVI.

Martinus Lutherus D.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Pro domeſtico quodam negotio ſibi confecto gratias agit, & Formam ceremoniarum ab Hauſmanno conſcribi optat.

Gratiam

GRatiam & pacem in Domino. Gratias ago pro vaſculo, mi Ni colae, nec ſperabam tantæ operæ & induſtriæ ſtudijs paratum iri, Vimineis ſcilicet cratibus implicitum ſat fuiſſet. Nunc verò affectum Kethæ meæ in illud ſuſcitaſti nimium, ſicut ſolent mulierculæ: Mineralia valde admiror, ſed nollem te iſtis fraudari. Habes tu quibus des, ſi quid ſupereſt, ne in meam id perdas curioſitatem, fratri huic literas dedi ad Principem diligenter ſcriptas, ſpero illi profuturas. Ordinarium Ceremonialem à me fieri petis generalem, ſed quomodo in tot negotijs poſſum? Vtinam tu formam deliniares & ad me mitteres, vt & tu aliquid in iſta cauſa faceres, ſecundum donum DEI tibi datum. Vale mi chariſsime frater. Salutat te mea Coſta, Vuitenbergæ, feria 3. poſt Palmarum. Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Ioco cauſam oſtendit, cur rarius ad ſe inuicem ſcribant, Literas Chriſtierni Regis Daniæ condolens remittit, de inſidiis & Sathanica virulentia Ducis Georgii & Epiſcoporum grauiter quæritur, Eraſmum denuò contra ſe ſcribere nunciat. Quoſdam viros doctos piis & eruditis ſcriptis confutaſſe Sacramentarios, & eos ſubinde in plures diffundi ſectas, vt mutuis concidant certaminibus.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Verum eſt chariſsime Spalatine, & tuas nobis, & noſtras tibi eſſe rariſsimas. Sed tu quid cauſæ habeas videris, nos honeſtiſsimam habemus, ſed quid volumus noui mariti gaudia interturbare in-

 tempeſtiué,

tempeſtiué, ſed ſinere vt nuptiarum tempus plenè præteriret, maximè cum parum læta ſint, quæ ſcribenda fuerunt. Cæterum extra iocum, latores literarum rari ſunt alioqui iamdudum has regis Chriſtierni, hominis longè nunc miſerrimi ac ſoli CHRISTO mirabiliter viuentis, literas triſtiſſimas miſiſſem, adiunctis his, quas ad me miſit, vnà cum legatione literis tranſmiſſa ſatis miſerabili. Fortè DEVS aliquando ferinam (vt dicitur) id eſt, regem & reginam ad cœlum vocabit, atque eum regem de quo minimè ſperaſſet ſenſus humanus, vt ſit mirablis ad ludendum noſtrum iudicium. Vix credis quanta moliatur Sathan per Ducem Gorgium & Epiſcopos, guſtum eius nequitiæ breui dabo tibi per libellum iam ſub prælo poſitum. Niſi Dominus prohibuerit, præludium dices fuiſſe delendæ Germaniæ ſeditionem illam & cædem ruſticorum. Proinde ſerio te oro, vt omnibus viribus mecum ores Patrem miſericordiarum, vt iſtas inſidias impediat, & furorem frangat, præſertim Ducem Georgium accuſando, hominem (vt metuo) deploratum & perditum, vt illum vel conuertat, vel ſi dignus non eſt, tollat de medio, alioqui beſtia illa non quieſcet, non modo proprio furore, ſed & Epiſcoporum impulſu penè Sathan ipſe. Lutherum autem non occidi, id ita hominem torquet, vt metus ſit, ne vel hac ſola animi ægritudine conficiatur non poteſt dormire nec vigilare. DEVS bone quantū ſuſtinet Princeps noſter, non modo ab ipſo, ſed etiam à ſuis quibusdam Proceribus nequiſsimis inſidiarum & peſsimorum con-

Calamitas Regis Danorum Chriſtierni

Inſidiæ & practicæ Epiſcoporum & Ducis Georgii

rum conſiliorum. Multa haberem tibi dicere, quæ literis non licet mandare. Præterea vipera illa irritata iterum in me ſcribit Eraſ: Rot: quam exercebit ibi eloquentiam in ſternendo Luthero gloriæ iſtud animal vaniſsimum? Porrò eruditiſsimos ſcientiæ viros contra Oecolampadium ſcribentes, legiſſe te puto, mirum quam placeat libellus. Scripſit in eundem Bilibaldus Birckamerus maiore & animo & ſtudio quã mihi de tanto viro promiſiſſem, vt quem alijs occupatiorem credebam. Sed ſurgunt rurſum alij, habetq; ea Sacramentaria ſecta iam ni fallor ſex capita vno anno nata, mirus Spiritus, qui ſic diſſentiat ſibi. Carolſtadij Tuto fuit vna quæ cecidit, Zuinglij eſt altera quæ cadit, Oecolampadij Figuratum tertia quæ cadet, cecidit & quarta Carolſtadii, qui offenſus ſcilicet ſic verba diſpoſuit: Quod pro vobis traditur, eſt corpus meum. Quinta ſurgit iam & ſtat in Sileſia authore Valentino Crautualdo & Caſparo Schuuenckfeld, quæ inuertit verba hoc modo: Corpus meum quod pro vobis traditur eſt hoc, ſcilicet ſpiritualis cibus. Hi nos mirè vexant ſcriptis, ſuntq; moleſtiſsimi & garruli, opto eis noſtrum Calculum fortes ſibi viſis. Sexta eſt Coloniæ Petri Flori quam Philippus habet, nondum vidi niſi Epiſtolam, Vah quam ille Lutherum reprobat: Scio inquit, Lutherum eſſe derelictum à Domino. Hi omnes ſpiritus inuicem diuerſi argutis dimicant argumentis, omnes iactant reuelationes precibus & lachrymis impetratas, & in ſumma tamen conueniunt. Benè nobis per CHRISTVM,

Eraſmi furor aduerſus Lutherum.

Sex Capita SectæSacramentariorum.

Krautualdus & Schuenckfeldius Samentarii.

qui pro nobis illos facit ſibijpſis pugnare, ſtatim ab initio, vide hæc triſtia, quomodo tibi ſcribere debuerim? Qui addit ſcientiam, addit dolorem. Sed taciturnitatem ſic volo prolixitate compenſare. Vale cum tua Coſta, feria 3. poſt Palmarum, Anno M. D. XXVI.

T. Martinus Lutherus.

FRATRI FRIDERICO MYCONIO.

Reddit Myconium certiorem de conſpiratione Epiſcoporum & Principum aduerſus confeſſores Euangelii, vult igitur populum ad ſeriam & ardentem inuocationem Dei excitari, quo hæc conſilia Sathanæ diſpentur.

GRatiam & pacem. Abeunte & ad vos redeunte Oſualdo veſtro Proconſule committere nolui, mi Friderice, vt vacuus veniret, ſaltem ſalutatione ſcripta. Nam ſi benè vales, & verbum DEI proſperatur, nihil audierim iucundius, Nos valemus quantum dominus dat. Commendo autem me precibus tuis, ne CHRISTVS deſerat me in tentatione. Cæterum vides, quam furiat Sathan aduerſus Principes Catholicos, conſpirant impij Pontifices (vt dicitur) & bellum etiam minari ſcribit mihi è Iena Philippus. Quare curabis tu, vt monitus populus ſtrenuè pugnet, fide & oratione aſsidua ad Dominum, vt ſpiritu victi & prohibiti, pacem etiam carnis ſeruare cogantur. Certè ex ſcriptis & dictis intelligo multorum ſummum opus, ſummæ neceſsitatis eſſe ſeriò orare, nam Sathan conſilia cogitat. Quare te oro, vt populo hanc rem ſeriam & neceſſariam perſuadeas, vt in medijs gladijs &

Conſpiratio Epiſcoporum & Principum.

furoribus Sathanæ poſito & perclitanti. Dominus tecum gratia & virtute ſua, Amen. Aldenburgæ, M. D. XXVI.

T. Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Gratulatur Spalatino Spira reuerſo, Optat vt Sacrificuli in Templo Arcis Aldenburgicæ mandato Principis cogantur intermittere ſuos Idolatricos cultus, de interitu Ludouici Regis Hungariæ & aliorum. Item portentis in cœlo conſpectis, ſuum ſcribit iuditium, Verſionem cuiuſdam loci in enarratione capitis noni Eſaiæ reprehendit.

GRatiam & pacem. Gratulor aduentui tuo ſaluo, & precor CHRISTVM, vt det tibi è Spira attuliſſe Spalatinulum paruulũ. Pulchrum & iuſtiſsimũ foret, vt Baalitæ tui cogerentur iubente Principe ſua monſtra ponere, qui falsò iactant ipſum iuſsiſſe, aut velle ea erigere. Si igitur iactant obedientiam falſam, adigantur ad veram. Ad quod operare & tu, idem ego faciam. Regem Hungariæ item tam certò & conſtanter affirmant eſſe cæſum, vt planè dubitem. Sed monſtra ſunt, diem extremum portendentia, dum ſic in ſummis Regibus hoc ſeculo operatur DEVS, Hæc ſcilicet voluerunt tot ſigna cœli his annis continuata. Quis non videt mendam eſſe manifeſtariam in enarratione Eſaiæ 9? Sed exemplar meum non habeo, abſq; dubio vbi legetur geborn werden ibi aut ſcriptum fuit aut ſcribendum, ſchwanger werden. Id quod tota enarratio, poſtulat, & res de qua agitur. Quis verò omnibus moderari queat, vt non falſificent aut errent?

Ludouicus rex Hungariæ cæſus.

Vale & ora pro me, feria 4. poſt Inuentio: Crucis, Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI HESSO.

Conſolatur Doctorem Heſſum contra Scandalum hæreticorum, vndiq; inſurgentium, ac nunc articulos fidei impugnantium, præſertim autem de Schuenckfeldio & Krautualdo quærelam inſtituit.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Verum dicis mi Heſſe, das bisher eitel faule Teufel geweſt ſind. Quia pugnatum eſt hactenus in cauſis prophanis extra Scripturam, vt de Papa, purgatorio, alijsq́; nugis, nunc ad ſeria ventum eſt, & ad victam pugnam de rebus intra Scripturam poſitis. Hic iam Draconem pugnantem videbimus, vel congrediemur potius ipſi, Duce Michaele in cœleſtibus, vbi tertiam partem ſtellarũ trahet ſua cauda in terram, hîc iam vires in CHRISTO requiret res ipſa. Hîc Sathanas quis ſit, quantus ſit cognoſces, quem hactenus non ſatis vidiſti, neq; ſatis cognouiſti. Schuuenckfeldius ſeruatus eſt ad hæc mala cũ ſuo Crautualdo, quod doleo mirum in modum, ſed fundamentũ DEI ſtat firmius, habens ſignaculũ hoc. Nouit Dominus qui ſunt eius. Hæc noſtra eſto conſolatio & inſultatio aduerſus iſtas portas inferorum, victoria certa defuncta eſt, ſed victores oportet infirmos videri, victos verò celebrari triumphatores iuxta illud hodiernũ, Modicum non videbitis me. Igitur te hortor mi frater, fortis eſto, viriliter age, confortetur cor tuũ, ſuperanda & illa fortuna ferendo eſt. CHRISTVS aderit ſuo tempore. Ego nihil terreor iſta Sathanæ (vti ſpero) ſu-

Daniel. 10. 2. Tim. 3. Ioan. 16.

prema inſania,certus quod blaſphemias iſtas tam ſęuas mox ſit ſecutura vox Centurionis: Verè hic filius DEI erat. Vale & ſaluta confortaq; fratrem tuum Ambroſium Moibanum, & alios omnes in Domino. Tuq; noli timere, CHRISTVS viuit & regnat quoq;. Dominica Iubilate. M. D. XXVI. Matth, 27.

T. Martinus Lutherus.

D. IOANNI AVREO.

Hortatur Ioan: Aureum ad modeſtiam in tractando verbo, & erudit eum quo ordine illud docere primum debeat, adq; mutuam concordiam cum ſuis collegis cohortatur.

GRatiam & pacem in Domino. Relatum eſt mihi de te, mi Ioannes, quam verbum tractes paulo ſeuerius, & rogatus ſum te hortari. Si itaq; pateris, rogo vt ea quæ ſunt ſeria doceas primo loco, hoc eſt vt fidem & charitatē vrgeas. Nam his non radicatis, quid eſt quod in ſtultis ceremonijs vexandis laboremus? quibus nihil fit, niſi quod ſtultioris vulgi animos leuitate & cupiditate nouarū rerum inſtabiles titillemus abſq; fructu, ne dicam cum iactura gloriæ DEI & verbi. Age igitur cum tuis Symmiſtis vt vnanimi corde & ritu omnia gubernetis & faciatis. Noli eos contemnere, qui neſcis quales forte futuri ſint, ſed placidè eos inuita, & cum humilitate, non vrgens & iactans quàm recta tu moueas & moliaris. Cognoſcentur hæc poſtea abunde, Nihil viuificabitur, niſi prius mortificabitur. Hanc meam admonitionem boni conſule ac vale, Vuitenbergæ feria 3. poſt Trinitatis, Anno M. D. XXVI.

Concordia cum Symmiſtis alenda.

T. Martinus Lutherus.

D. NICO

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Nunciat Prophetam Habacuc à ſe mox abſolutũ iri,& ſe à Deo ex vxore ſua filio primogenito auctum lætus nuntiat.

GRatiam & pacem. Habacuc (ſicut Philippo tuo promiſi) nondum eſt abſolutus, ſic diſtrahor. Abſoluetur autem,(vt ſpero)proxima Hebdomada, nec fallam Philippum promiſſo. Noua nulla, niſi quod CHRISTVS meus benedixit Ketham meam,& auxit filio Ioanne,ſano & integro. Gratia & gloria bonitati ineffabili. Salutat te mater & proles valde.In CHRISTO vale benè,raptim feria 4. poſt Barnabæ, M.D.XXVI.

Natiuitas Ioannis Lutheri.

GEORGIO SPALATINO

Gratias humaniter agit Spalatino,ei congratulanti de nato filiolo,quem ſuis precibus commendat,teſtatur etiam ſuum dolorem de obitu infantis,M.Briſgeri,ac predicat illi ſuum hortum nuper plantatum.

GRatiam & pacem.Gratias ago in Domino tibi, mi Spalatine,qui tam ex animo gratularis mihi (ſi DEVS pergat)fœlici marito, qui ex optima vxore & muliere gratiſsima filiolum Ioannem Lutherculum, DEO benedicente, accepi,paterq́; factus ſum mira DEI gratia. Idemq́; tibi faueo & precor, etiam fœliciore & maiore benedictione, quo tu melior me & ſuperior es.Ora verò vt mihi ſeruet CHRISTVS prolem contra Sathanam, quem ſcio nihil omiſſurum,quo me lædat in filio,ſi permiſerit DEVS. Nam & iam nonnihil vexatur infans,neſcio quibus morbellis, vel potius Lactis inſoliti (vt putant) cruditate, qua puerperæ primò coguntur

nutrire. Doleo M.Eberhardo ſuum gaudium ereptum, ſed bona eſt voluntas DEI, verum valdè abſcondita bonitate, vt nihil ſentias crudelius. Cæterum quando venis ad nos? Viſurus aliquando vetera monumenta familiaritatis & amicitię. Hortum plantaui, fontem ædificaui, vtrumq; ſatis fœliciter. Veni & coronaberis Lilijs & Roſis. Vale in Domino & ora pro me, Dominica poſt Viti M. D. XXVI.

Martinus Luther.

FRATRI ANDREÆ KAVGISDORFIO Eccleſiaſti & Paſtori in Eilenburgo.

Dehortatur Kaugiſdorfium, ne propter quorundam iniurias deſerat verbi miniſterium, aut ſuam ſtationem abiiciat, priusquam legitimè aliò vocetur, aut eiiciatur vi.

GRatiam & pacem in Domino. Mihi non videtur conſultum, vt relinquas verbi miniſterium, niſi coactus vi, aut aliò vocatus. Quid ſi Impij ſint in tuo circulo, cum ſuo Sathana, cum nuſquam abſit? ferenda eſt ea nequitia Sathanæ propter CHRISTVM, ideo conſtans & paciens eſto propter reliquias & feces Iſrael ſeruandas. Ego pro magno cogitabo, modo non erat, quod poſſem, Vale & ora pro me, feria 6. poſt Ioannis D. M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Quo genere vitæ non procul à Vuitenberga Carolſtadius ex ſua interceſsione apud Principem, inuitis reliquis Aulicis, nunc vitam agat, nuntiat.

Carlſtadius degens in Berquitz.

GRatiam & pacem. Carolſtadij libellum de quo ſcribis, mi Nicolae, vidi dudum, æditus eſt enim ante aduentũ eius ad me, nunc verò ſpargitur per Aduerſarios. Sed DEVS videbit & iudicabit etiam hoc facinus. Cæterum ipſe Carlſtadius apud nos degit in vicinio Vuitenbergæ & ruſticatur in Berquitz miliario ab Vrbe noſtra. Hoc impetraui ego vix magnis & aſsiduis precibus à Principe contra totam Aulam, DEVS conuertat eum tandem perfectè. Ioannes meus Lutherulus reſalutat te cum matre ſua, gratias agens pro benedictionis officio, quo eum dignatus es. Gratia DEI tecum, feria 3. poſt Viſitationis. Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Se ſcripturum contra Sectas Sacramentariorum, Eraſmi inuectiuam ſe expectare, Epiſcopos in Comitiis moliri inſtaurationem ſui regni, Vrbem Vuitenbergam à Principe muniri, ſe filio auctum, ſuam vxorem pro literis ſuauibus ad ſe datis ipſi gratias agere, & ſe iucundiſsimo Dei beneficio frui matrimonio, nuntiat.

GRatiam & pacem in Domino. Cum nactus eſſem nunciũ qui ad te vſq; iret, mi Michael, volui has ſalutationis literas ad te dare, cum præterea nihil ferè eſſet, quod ſcriberem. In Sectas Sacramentariorum meditor ſcribere, ſi tantum ocij largitur Dominus. Eraſmi aceruum expecto, de Comitijs nondum quidquam ſcio, niſi quod Epiſcopi moliuntur priſtinum regnum reſtituere. Noſtram vrbẽ Princeps muniuit fortiter. Mihi DEVS benedixit filio Ioanne Lutherulo

ſano & integro, pro ſua magna bonitate. Salutat te Ketha Coſta mea, & gratias agit, quod eam literis tuis tam ſuauibus dignatus es. Ipſa bellè habet DEI dono, mihiq́; morigera & in omnibus obſequens eſt & commoda plus quam auſus fuiſſem ſperare (DEO gratia) ita vt paupertatem meam nollem cum Croeſi diuitijs commutare. Saluta Dominum & dominos tuos nomine meo, & benè vale. Vuitenbergæ, 11. Auguſti. M. D. XXVI.

Martinus Luther.

VVENCESLAO LINCO.

Agit de authoritate Parentum in contrahendis ſponſalibus liberorum, deq́; Comitiis Spirenſibus, & prælectione ſua in Eccleſiaſten eum erudit.

GRatiam & pacem in Domino. Sic vt ſcribis, ita ſentio in iſto caſu paternæ authoritatis, deniq; ita ſcripſi antea aliquot libellis. Quam ſententiam nondum mutare poſſum. Neq; enim alijs Regulis res iſta comprehendi poteſt, quam Epiikia, hoc eſt, vt vis plerumq́; ſit in parentibus, verum quod vel ſuo arbitratu, vel cauſa poſcente, poſsint ſuſpendere, vt charitati locus præ iure & legibus relinquatur. Si ſunt qui aliter ſentiunt, nos conſuetudinem hanc tenemus. Quare fruſtra eſt, vt nouis libellis eam rem tractarem ſic copioſè tractatã. Spiræ Comitia ſunt more ſolito Germanis comitia celebrãdi, potatur & luditur prȩterea nihil. Hîc nihil noui eſt, niſi quod Vuitenberga ſic munitur magno labore vt vix agnoſceres, ſi priſcam conferres cum præſente. Ego Eccleſiaſten lego mirè inuitum & impatientem lectionis

Comitia Spirenſia.

Prælectio Lutheri in Eccleſiaſtē.

tantum eſt ibi Ebraiſmi & ignotæ linguæ obſtaculorum, perrumpo tamen gratia DEI. Tu pro me ora & vale cum tua Coſta, quam DEVS faciat propediem tecum parentem. Filius meus viuit & valet DEO propitio, ſalutat te Philippus paulò melius habens, habiturus commodius ſi feriaretur à laboribus. Feria 3. poſt Bartholomæi M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

MAGISTRO THOMÆ NEVVENHAGEN Euangeliſtæ Iſenacenſis Eccleſiæ.

Confirmat & erudit Concionatorem Iſenacenſem, vt intrepidè tractet verbum libertate Euangelica, & ceremoniis liberè vtatur, contemptis calumniis Strauſsianorum, ea tamen prudentia & moderatione, ne contentioſis ob ceremonias ſe adiungat.

GRatiam & pacem in Domino. Locutus ſum cum Georgio Parocho tuo, de his quæ poſtulaſti, mi Thoma, placetq; vt libertatem Euangelicam verbo tractes, tum ceremonijs prorſus liberè vtaris, contempto Sathana cum ſuis contentioſis, ſciens quoniam Sathan eſt, deniq; malo te, in deſpectum Strauſsij, Strauſsianorumq; excedere in hanc partem, quam vno digito illis in ſuam partem cedere. Quod ſi in te multa blatterent, tu fortiter contemne, ac neq; audias, neq; noris eos. Imparem te & longè Strauſsio inferiorem iactabunt, hoc tu pro laude ducas, & DEO gratias age, quod pernitioſo, contentioſoq; deniq; ſeditioſo diſsimilis traducaris. Tu ſeruito CHRISTO, ille Sathanæ ſeruijt, tantum verbo cōſcientias liberas ſerua & id diligenter. Indignæ

ſunt

ſunt ceremoniæ, vt propter, eas contendamus, tamen ne contentioſis ſubijciamur fortiter contra eos ſunt ſeruandæ. Vale & ora pro me, Cætera Georgius 3. Septembris, Anno M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Interitũ toti orbi terrarum ob verbi contemptum impendere, multa ſigna portendere, contra Oecolampadium ſe adornare ſcriptum indicat.

GRatiam & pacem. O vtinam gratiam & pacem in CHRISTO. Credo enim nihil opus eſſe, optime Nicolae, nouitates inuicem ſignificare. Aduolant ſponte & nimio, CHRISTVM cepit tædere mundani huius curſus, ideo tradit eum Sathanæ, qui vindicet contemptum illum verbi gratiæ ineffabilem, hinc furentibus hæreſibus, illinc armis hoſtium & caſibus Regum magnorũ. Breuiter orbis ruit & portendit nimirum oſtento magno affore diem illum extremum in ianuis. Prouocatus ſum ab Oecolampadio, paro ſcriptum, ſi ocium eſſet, ſic homo cum conſummauerit tunc incipiet, doleo ex corde Oecolampadium tantum virum captum friuolis & nihili argumentis in ea ſecta ſacrilega, Dominus miſereatur eius. Tu vir DEI fortis eſto & ora nobis. Lutherulus meus valet cum matre, quæ te ſalutat reuerenter, Vale in CHRISTO & ſaluta noſtros, 13. Septembris, Anno M. D. XXVI.

Interitus mundi.

Lutheri ſcriptum contra Oecolampadium

Martinus Lutherus D.

EPISTOLÆ D.M. LVTHERI,

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Prælo traditũ eſſe libellum de re militari, quid deinceps in ſcriptis Biblicis laboret, ſuumq; iudicium de præſenti rerum ſtatu perſcribit.

GRatiam & pacẽ. Nihil erat hîc noui, mi Nicolae, quod hic Bibliopola afferret, nondum enim finitus eſt libellus de re militari, ſed ſub incude formatur indies. Zachariam meditor vt ſequatur Habacuc & Ionam. Eccleſiaſtes Salomonis, multum mihi facit negotij, velut nolens legi, cogatur tamen legi, adeò iacuit hactenus is liber. Verè dicis, mundum ruere, ſpero & ego diem illum imminere illuſtrationis aduentus magni DEI, adeò feruent, ardent, mouentur, cadũt, ruunt, fremunt omnia vbiq;. Tu vero vale & pro me ora, Dominica poſt Dionyſij, M. D. XXVI.

Martinus Lutherus.

D. MICHAELI STIFEL.

Gratulatur Stifelio conſtantiam in ſincera doctrina & fide, & deplorat magnorum virorum obſtinatam cæcitatem ex puerilibus argumentis in re Sacramentaria, contra quos ſe iam ſi per otium liceat, parare ſcriptum.

GRatiam & pacem. Vehementer fuerunt iucundæ literæ tuæ, mi Michael maximè quod teſtes ſunt conſtantis & integræ fidei tuæ, quæ rara eſt hoc ſeculo, in quo tot corrumpuntur iſtis ſectis & opinionibus. Niſi ſcirem iram DEI eſſe et experientiam viderem, multis modis perſuaſus nunquã fuiſſem, poſſe tantos & tot viros tam leuiculis & nihili argumentis, tam puerilibus ineptisq; rationib. ſeduci in hanc peſtilentem & ſacrilegam hæreſim. Quid eſt quæſo hoc argumenti?

Puerilia argumenta Sacramentariorum.

CHRI-

CHRISTVS eſt in dextera Patris, ergo non eſt in Sacramēto? Caro non prodeſt quicquam, ergo corpus CHRISTI non eſt ibi. At hæc ſunt potiſsima eorum. Furor eſt iſtis nugis moueri à ſimplicibus apertisq́; verbis CHRISTI, Hoc eſt corpus meum. Meditor in eos ſcribere, ſi CHRISTVS otium dederit. Quisquis ſit qui literas attulit, nihil moror, experior hominē. Dicito Dominæ tuæ, primum illud confectum quod antea miſerat tandem (licet ſerò) veniſſe. 25. Octobris. M.D.XXVI.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Noua de Rege Franciæ, Papa & graſſatione Sacramentariiſmi ſcribit, ſeq́; ipſum ſingularis torporis in laborando incuſat.

GRatiam & pacem in Domino. Redit ad vos Domina Stephaniſſa, quæ tuas attulit, meas refert. Quanquam nihil noui ſit, quod ſcribā, niſi ſalutem & gratiā. Nam omnia quæ iam fiunt ſub ſole terribilia & magna credo te noſſe. Rex Franciæ ambit regnum Bohemiæ, per Nuncios, Papam eſſe captum, dicitur pro certiſsima re. Peſtis Sacramentaria ſæuit, & acquirit vires eundo. Ora quæſo pro me, torpente & frigente. Neſcio enim quo vel tædio tentor, vel Sathana occupor, vt non plura faciam quam facio, ſiue hæc eſt ingratitudo noſtra, ſiue alia culpa. Quanquam inſignis ille contemptus verbi DEI, etiam grauiorem errorem mereatur mitti. Et verax nimium fui Propheta talia præſagiens. Gratia DEI tecum. Salutat te mea Ketha reuerēter, feria 2. poſt Simonis, D.M.D.XXVI. Martinus Lutherus.

Obſidio Vrbis Romæ.

DOCTO-

EPISTOLÆ D.M. LVTHERI,

DOCTORI IOANNI FROSCH FIDE-liſsimo Præconi CHRISTI, in Vrbe Auguſta.

Cum apud Auguſt. nos Cõcionator quidam M. Michael Keller, infectus opinione Sacramentariorum turbas moueret maximas, ita vt in ſuſpitionem & alii pii miniſtri ob Sacramentariiſmum venirent, reſtitit hic Doctor Froſch graſſanti illi errori. Conſolatur igitur & confirmat eum Lutherus vt in ſyncera doctrina fortis & conſtas perſiſtat.

GRatiam & pacem. Seruet te & tuos CHRISTVS, mi Rana, ſed in hac tentatione cogita oportere ſcandalizari mulros, & paucos eligi qui ſtent. Seuit iam Sathan permiſſu DEI, ob ingratitudinem & contemptum ſui verbi, quod pauci intelligunt, vt prædixi ſemper fore, vt bellis & ſectis percuteremur ingrati. Tu fortis eſto, & ſuſtine paucitatem tuam. Sæuiant, regnent & triumphent illi, Maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in illis eſt. (1. Ioan 4.) Ardeo meam fidem adhuc ſemel profiteri, & illorum ludibria paucis verbis oſtendere, (nam ipſi non audiunt vltra) feciſſemq; dudum, niſi otium defuiſſet, & Sathan ipſe me impedijſſet. Dabo autem & CHRISTO fauente, & vobis pro me orantibus, operam, vt prodeam. Literæ tuæ & Martini Vueiſ. apud & coram me ſunt, eò quod cogitarem ſemper publicè iſta tractare, iam feſtinans nuntius non ſinit plura. Vale in CHRISTO, & ſolare ac ſaluta fratres, Vuitenbergæ in die Symonis & Iudæ. Anno M. D. XXVI.

D.NICO-

D. NICOLAO AMSDORFIO.

De quibusdam articulis ſuis recens per alios æditis, quaſi idem adhuc ſentiat quod olim, quæritur.

GRatiam & pacem. Articulos illos vel ſinam ire, vel ſi otium fuerit, reuocabo. Nam & alia nequitia recenter hoc anno ſeſe declarauit, aſsignato numero anni huius æditi, quaſi hoc anno ſic ſentirem. Sic Sathan ludit in ira ſua. Vale & ora pro me ac ſolare Marquardum afflictum. Sabbatho poſt Thomæ, Anno M. D. XXVI.

Martiuus Lutherus.

ANNVS CHRISTI M.D.XXVII.

SVO IN CHRISTO CHARISSIMO Fratri Iuſto Ionæ, ſeruo CHRISTI ſyncero, Northuſiæ.

Quærelam de ſuis tentationibus inſtituit, ac ſe piis precibus commendat, cumq; propter peſtem Vuitenbergæ graſſantem Profeſſores Academiæ vndiquaq; diſperſi eſſent, indicat luem illam Dei beneficio deſiiſſe graſſari, & optat vt domum redeant, &c.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Vide, vt non ceſſes pro me orare, & mecum agoniſare, mi Iona. Nam tentatio mea aliquando quidem mitigatur, ſed ſuis horis ſæuior redit, vt CHRISTVS me non deſerat, nec ſinat eſſe impiorum cruciatus, ſed filiorum, ne deficiat fides mea in finem. Vtinam hîc omnes rurſum adeſſetis, orauimus Dominum contra peſtem, & videmur exaudiri, nam planè nulla eſt peſtis am- Tentatio Lutheri.

plius,ne in ſuburbano quidem Piſcatorum. Aër inſuper purus & ſalubris. Tu quoq; idem orabis, vt verbum ſuum glorificet in nobis, quod periculo & opprobrio patet per noſtri diſperſionem. Et lætatur Sathan cum ſuis, nos eſſe ſic ſeparatos. Saluta omnes noſtros præcipuè Ketham tuam, Pomeranus te ſalutat valdè, & mea Ketha. CHRISTVS tecum & nobiſcum ſit, Amen. Feria 2. poſt Natiuitatis CHRISTI. Anno M. D. XXVII.

Schuuermerij libri nondum hîc videntur, rectè ergo facies, ſi iſtos remiſeris ad nos. Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Pulſo Stifelio in exilium pollicetur hoſpitium & victum, ac æditionem Zachariæ, & prælium ſuum cum Sacramentariis ſignificat, vnaq; dono mittit libellum de Milite Chriſtiano.

GRatiam & pacem. Nihil erat quod modo ſciberem, mi Michael, audieram autem te fugatum nunc redijſſe ad Dominam tuam. Laus DEO ſi ita eſt, ſin aliter iterum benedictus, ad me tibi patet acceſſus & locus, ſi fortè alibi manere non poſsis, mecum viues & feres quę CHRISTVS dederit, ac interim benè vale, & Dominæ tuæ, meo meæq; Kethæ nomine magnificè gratias age pro donato Peplo. Scripſiſſem tibi plura, ſed tot erant ſcribenda his nundinis, vt tempus non ſuffecerit. Et Zachariam in lucem molior, ſimul cum Sacramentarijs Turbatoribus cõgrediar, tu ora CHRISTVM, vt det mihi Sathanam rectè tractare, in quo benè vale. Mitto libellum de militari Chriſtianiſmo Vuitenbergę Calend: Ianuarij. M. D. XXVII. Martinus Lutherus.

Libellus de Milite Chriſtiano.

AD

AD GEORGIVM SPALATINVM.

Excuſat ſe cur rarius ad Spalatinum ſcribat, ac iocatur cum Ioanne à Doltzig equite aurato. Et grauiter conquæritur de rapinis Monaſteriorum, ac diſsipatione bonorum Eccleſiaſticorum, & iniquitate quorundam aulicorum. Mirè etiam predicat probitatem optimi Principis Ioannis Electoris.

GRatiam & pacem in Domino. Quod non ſit culpa mea quod rarius ad te ſcribã, mi Spalatine, has incluſas volo teſtes meos eſſe, nam coram oculis ſemper verſatæ nunciũ expectant. Tu ex eo menſe, die & cauſa intelliges, quibus datæ ſunt, vt ego ipſe rerum oblitus, tandem tædio victus reſignarem, viſurus quid ſcripſiſſem. Deniq; proximus nuncius, quem omninò ne abiret ſine literis meis, Quæſtoris Eiſenbergenſis cauſa ad vos, valde caueram, ſed nec ſic profeceram cum deſcendens eum quærerem forte mihi tardius nunctiata eius pręſentia, abijſſe dicebatur impatientia ſuperatus. Ego ſimul indignatione ſuperabar familiæ, ſic eſt, quod nõ tangit non mouet. Sed tu ipſe recole, num ſic ſolitus ſim differre, cum in Aula eſſes, hoc eſt, cum mihi certos nuncios aut certos publicanos deſignares, qui tibi meas redderent. At nunc fortuitis nuncijs vtendum eſt, quorum quotusquisq; rogo vel quærit, vel reddit, vel petit, vel expectat literas? Hæc pro mea Apologia, nam occupationes nolo prætexere, cum nullæ ſint quæ ſcribere ad te non ſinant, quandoquidem de tuo ingenio mihi perſpecto, certus ſum etiam inter cœnandum ſcriptas tibi gratas eſſe. Ad rem, Doltzig noſtro chariſsimo dicito, quod ſi amicas fert (ſicut facit) altercationes.

Apologia Lutheri.

In curia fortuitorum nunciorum

Nobis non deeſt ratio, vt aliquando ſcribendum eſſe contendamus, darumb, aliquando, drumb. Cur enim nos Germani non imitemur Græcos, Latinos, Ebræos in contractis & ſyncopis, ſi modo eſt vlla lingua magis ſyncopiſans Germanica? Syncope dicimus, du ſolſts mirs thun, quod Doltzika ſeueritate dicendum eſſet, du ſolteſt mir es thun. Vide quæ gratia Syncopes & quæ nauſea regulæ. Si quæras, Warumb thuſtu das? Regulariter dicemus, darumb, voce ſolitudinis, rurſus voce aggregati, Syncope eleganti dicitur, Jch wils drumb nicht laſſen, quod quanto odio diceretur, Jch wil es darumb nicht laſſen? Ad Thuringos cum iſtis barbaris Germaniſmis. Vides quam arguti nos quoq; ſimus? Caueat ergo Doltzikus ſibi à Grammatica pugna, præſertim ſi nos laceſſere tentet, qui nos Ariſtarchi bis, ter, quater, videmur. Hęc ioco ad te ſcribo, ſeria ſunt valde mi Spalatine, de rapina monaſteriorum, & crede macerat res iſta me vehementer, Ego ſcriptis egi iamdudum quod petis. Hoc non contentus irrupi (dum hîc erat Princeps) inuitis omnibus etiam in cubile Principis, vt ſolum conuenirem ſuper hac re, Vnus Riteſel aſtabat, improuiſum adoriebar Principem, quæſtus ea quæ tu ſcribis fermè, cum idem ante fores Iuniori Principi quoq; fuiſſem quæſtus, & ille ſe oſtenderet ægre ferrè huiusmodi. Reſponſum eſt cautum iri, vt rectè fierent omnia. Quid dicam? ſub optimo Principe metuo mihi & nobis omnibus fumos, fucos, fabulas obtrudi, etiam ita vt authores neſcire cogamur, Fridericum eſſe mortuum putant. Hac opinione

Rapina monaſteriorũ.

nione Reges ſunt in hac terra, vtinam non tam fœliciter. Et eſt illud acetiſsimum mihi acetum, quod antea ij, qui Euangelio hoſtes (nunc hoſtes perſeuerantes) Friderico Principi diſſentiebāt in pietate, nunc prædæ occaſione ludunt, irrident, exultant dilatati, quod ſub Euangelij nomine eis licet ſimul & ſummos eſſe Euangelij hoſtes, & omnibus frui Enangelij licentijs. Nunquid huic vidiſti ſimile iniquitati? Ego qui Principem obrutum video fruſtra moneri, conſilium aliud non habeo, quam quod mihi publico libello monendus eſſe videtur Princeps, vt Monaſteria aliter adminiſtret, ſi forte ſic illi pudefiant. Nam quod tu mones, vt exemplo fratris ducet & imperet ipſe, noſti eſſe inſperabile. Homo fidelis eſt omnium expoſitus verſutijs, & qui credat homines eſſe ſui ſimiles, bonos & fideles. Nequam eſſe oportet, qui Princeps eſſe debet, & Tyrannum decet Regem eſſe, Hoc exigit mundus. Vides prolixum me factum neceſsitate ſimul & voluntate, Tu ſi quid præterea per CHRISTVM habes conſilij impartire, nos ſequemur libentiſsimè, adeò Sathanæ odimus vbiq;, vndiq;, aſsiduè furorem, inſidias, nequitias, vt voluptati fuerit illi quouis modo occurrere vel nocere. Vale cum tua Coſta in Domino. Meus Iohannellus te ſalutat, qui dentionis menſe incipit iattare, & iucundis offenſionibus quosuis increpare. Ketha quoq; tibi omnia optima imprecatur, maximè Spalatinulum, qui te doceat, quod ſe doctā iactat à ſuo Iohannello, hoc eſt, fructum & gaudium coniugij, quibus indignus erat Papa cum ſuo mundo. In die Circumciſionis M.D.XXVII.

Iniquitas Aulicorum quorundā.

Probitas Electoris Ioannis.

Martinus Lutherus.

EPISTO. D. M. LVTHERI, DOMINO IVSTO IONÆ.

Northuſiæ hærenti.

Pro dono filiolo ſuo miſſo gratias agit, dolores calculi ipſi mitigatos gaudet, & diuturnam valetudinem ei precatur, vt ſe mortuo ipſi dimicent contra Sathanam. Zachariam æditum, reddendum illi per ſuum Ioannellum cum aduenerit. Rumori falſo de reliqua peſte ne habeat fidem, Michaeli Meienbergo aduerſa valetudine laboranti mittit quæ Doctor Eſſchaus remedia ipſi vtenda cenſeat, ſui morbi deſcriptionem quoq; adiiciens.

GRatias agit meus Ioannes pro Ioanne miſſo, mi Iona, Ego verò gaudeo & gratias ago CHRISTO, quod tui miſertus calculo mandauit pro te, vt dimittat te, oroq; vt ratum faciat opus ſuum in perpetuum. Nam hoc vnicè cupio, vt ſi ego periero, vos ſaltem ſuperſtites mei, vindicetis me in Sathana furente cum ſuis Apoſtolis. Zacharias æditus eſt, quem mitterem, niſi ſpe tuum aduentum expectarem, tum Ioannes meus tibi offeret Zachariam ſuum. Omnes valemus DEI gratia, Tu vide ne credas, ſi qua fama nos de peſte reliqua maculet, vellet Sathan ne in æternum cõueniremus. Atq; adeò nuper in ipſa vrbe vulgare tentauit, reuerſam eſſe peſtem tribus denuò correptis, ſed mendacio detecto, putabant ideò fictum eſſe ab ijs, qui Magiſtratu abſente regnant vt abſterrerent reuerſuros, quo diutius liceret regnare. Sed nos verius Sathan ſic tentat, vt diſperſos & diuiſos teneat.

Peſtis Vuitenb: regnans.

Valde doleo pro Michaele veſtro, & mitto quæ Eſſchaus dictauit, ſed ſenex eſt, deinde medicorum more peregrè mederi difficilè putat, maximè cum exiſtimet apud vos eſſe medicos,

dicos, aut ſaltem Erffordiæ vicinos. Meus morbis talis erat, vt egeſtione ſimul prodiret Anilabium tumens in modum fere iuglandis in circuitu toto, in quo erat ſcabies minutula quantum eſt granum Canabis, quæ partula ſcilicet, quo laxior eſſet egeſtio, hoc plus dolebat, quo durior hoc minus cruciabat. Si autem cruor mixtus ibat, tum erat ſalus atq; adeò ſuauitas & voluptas quædam egerendo. Atq; quo plus cruoris hoc plus voluptatis, ita vt delectatio prouocaret me per diem ſæpius ad cacandum, & ſi digito tangeretur ſuauiſsimè pruriebat & fluebat cruor. Proinde me iudice, minime omnium ſiſtendus aut cohibendus eſt iſte cruor egeſtionis, dicunt enim auream eſſe venam, & verè aurea eſt. Nam eo cruore effluere dicunt quicquid eſt mali in toto corpore, velut per ſterquilinij portam omnium morborum, ſolereq; hos homines diutiſsimè viuere, vt qui hoc loco & Apotecam, & omnes Doctores Medicinæ habeant incluſos. Siſtitur autem per ſeſe, ſuo tempore abſq; noſtra cura. Tu ergo proſpice ſi tale quid illi contigerit, ne cruorem cohibeat. Reliqua in Schedula. Vale & ora pro me, Vuitenbergæ. Salutat te & tuos omnes Ketha mea cum liberis, in die Epiphaniæ Domini. M. D. XXVII.

Morbus Lutheri.

T. Martinus Lutherus.

AD D. IOANNEM HESSVM.

Illuſtriſs. D. Martini Lutheri Epiſtola de contrahendis ſponſalibus, diſputans de authoritate parentum & obedientia liberorum.

Gratiam

GRatiam & pacem in Domino. Et nos tot vexant Matrimonia per Sathanam, vt deliberemus, rem iſtam prophanam, prophanis iudicijs committere. Hactenus ſtulta ſpe præſumebam de hominibus aliud quam humanum, ſcilicet, poſſe eos Euangelio duci, ſed res ipſa docet, quod Euangelio contempto, velint legibus & gladio cogi. Euangelium docet, vt Pater proli licita petenti indulgeat, proles parenti obtemperet, vtrinq; bona voluntate. Sed hoc apud pios valet nunc cum audient impij per Euangelium Parentibus aſſeri authoritatem, abuſi ea authoritate, fiunt Tyranni. Rurſus filij, audientes Licentiam ſibi ſub Papa dari & Cæſare, abutuntur vſq; in contemptum Parentum, vtriuſq; immanitatis exempla abundant.

Authoritas Parentum, & obedientia filiorum.

Quare in iſto caſu duo tibi proponenda aſſumes, primum Euangelium hoc eſt, vt filia Patrem adhuc ſemel humiliata roget, pro viro ſibi marito donando, ſiue hoc per ſe, ſiue per alios faciat. Si igitur filia amat & iuuenis dignus eſt, debet pater iure Euangelij filiam exaudire. Si hoc nolit, iam filiæ nihil eſt contra Tyrannum patrem agendum, ſed vobis ad ſecundum eſt eundum, hoc eſt, vt denuntietis patri, quandoquidem filiæ amanti & petenti, ea quæ ſunt ſalutis & commoditatis, ſecundum Euangelium non vult amicè & paternè concedere, ad ius prophanum hoc eſt Cæſareum (ſub quo viuimus in carne) relegandus ſit, & ſic vos exonerabitis. Quid autem iuris Cæſarei in hac cauſa fuerit, hoc Principis vt prophani iudicis eſt ſtatuere & definire. Nam nobis Euan-

geliſtis non eſt agendum cum pertinacibus, aut in cauſis pertinacium, ſed inter voluntarios, quietos & cupientes ſeſe cæcos & ignaros doceri & duci. Duros & obſtinatos à noſtro foro mittimus ad Cæſaris Tribunal, illic duris occurritur ſuo competenti iuditio. Sic Cæſar eſt Dominus & defenſor etiã filiorum contra parentes Tyrannos, à DEO ordinatus. Quod ſi Cæſar non defendit, proles ferre debet paternam Tyrannidem, memini de hac re libellum à me æditum. Hæc ratio mihi hodie eſt, vt qui volunt, facilè eos cõcordem ſecundum Euangelium, qui nolunt, mox à me ad Cæſarem relegem, ſic enim tutus ſum. Qui enim nolunt Euangelion audire, Euangelio nec frui debent.

Verba de futuro.

Illud verò cauillum eſt ridiculum, quod verba de futuro non obligent, ſc: tota Germania nouit, quod noſtra lingua præſentem animum & præſentem promiſsionem iſtis verbis eloquitur, Jch wil dich haben / Jch wil dich nemen. Quod ſi copia corporum & impletio promiſsionum futura iſtis verbis intelligitur, nunquid ipſe quoque animus aut promiſsio quæ futura intelligi poteſt? non enim aliter poſſes illud Germanicum, Jch wil dich haben, Latinè vertere quàm ego volo te habere, vel volo te accipere, etiamſi ad verbum transferam. At volo eſt præſentis verbum ſi loquimur, ſed iuris quidam conſulti illud ſic ſomniant verti, Jch wil dich nemen, id eſt, ero te accipere, vel in futurum te accipiam, quo tamen ipſo modo nullus Germanus intelligit futuram promiſsionem, ſed omnes præſentem. Quin ſi pater dicit dabo

tibi filiam vxorem, intelligitur promiſsio præſens præſentis animi, alioqui non video quomodo poſsis filiam promittere, niſi verbo futuro præſentem animum & promiſsionem firmes. Verbum verò præſens do, accipio, eſt potius ſolennis copula, & ipſa traditio realis ac perſonalis, quæ Sponſalia dici niſi ab imperitis nugigerulis non poſſunt.

Summa, & Cæſari opus eſt hic epiikia, ſicut & in omnibus alijs, vt nec Parentibus ſæuiendi & proteruiendi, rurſus nec filijs audendi & contemnendi licentiam præbeat. Nos quibus cum pijs, audientibus, manſuetis agendum eſt, iſta incommoda non grauant ſi volumus ſapere. Vale & ora pro me 7. Ianuarij. Anno M. D. XXVII.

Martinus Luther.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Principem Vniuerſitati reſpondiſſe, Viſitationem Parochiarum ſe maturaturum, Zachariam ſub prælo eſſe, & Sacramentarios ſe ſimul aggredi, pro cuius rei fœlici ſucceſſu vt oret, hortatur, eumq; non iſto veneno infectum gaudet, Oecolampadium in Sacramentariorum errorem prolapſum dolet, & idem de Vrbano Rhegio ſuſpicatur.

GRatiam & pacem in CHRISTO, mi Nicolae. Nihil & ego præterea noui habeo, niſi quod Princeps Vniuerſitati reſpondet, ſeſe velle maturare Viſitationem Parochiarum, quod vbi factum fuerit, tum conſtitutis Eccleſijs poterit vſus Excommunicationis præſumi, laceris autem ita rebus quid præſumas? Zacharias ſub prælo formatur ad lucem, creſcitq;

Viſitatio Eccleſiarũ Saxonicarũ

citq; liber indies ſub manu mea,ſimul aggredior Sacramentarios. Tu ora vt CHRISTVS dirigat calamum meum in Sathanam fœliciter & ſalubriter. Vehementer gaudeo etiam de teſtimonio tuo, quod adhuc intactus es ab iſto fermento. Nam apud me ſemper ita de te credidi, dolet mihi valde Nobiliſsimum virum Oecolampadium tam ludicris & nihili cogitationibus in hoc Barathrum prolapſum,pulſat eum Sathanas,Dominus eripiat eum. Vrbanus Rhegius in idem malum vel inclinat, vel iam cecidit, Dominus ſeruet ſuos. Vires Cæſaris in Italia ſecundas credo te audijſſe, Papa vbiq; viſitatur vt deſtruatur,venit enim finis & hora eius, licet paſſim ſæuiat perſequutio & multi exurantur. Salutat te mea Ketha reuerenter,10.Ianuarij.Anno M. D. XXVII.

Oecolampadii honorifica mētio

T.Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Nobilitati,cum ardeat cupiditate regnandi in Aula,exitium ſubitum minatur,curq; rarius ſcribat ſe excuſat,ſibi nuper ſubitò de vita periclitanti præſentiſsimum remedium fuiſſe aquam Cardi Benedicti.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Quamuis nouiſsimè ad te ſcripſi,mi Spalatine, quas credo ad te perueniſſe, tamen quando ita ſanctè me adiuras, nouiſsimas literas iterum ſcribere cogor. Primum de Simone Balneatore quod ſcribis videro, ſed in Aula non eſt vlla ſpes reliqua adeò omnia præſumunt & efficiunt quoq; Nobiles,vnde illis

Prophetia de Nobilitate.

 incre-

incredibilis attollitur confidentia & regni tantus faſtus, vt ruinam celerem ſibi videantur prouocare, de hoc ſatis. Rarò me ſcribere confiteor, ſed hoc nulla mea culpa fieri velim te credere, aut vlla offenſionis vel prouocationis cauſa me moueri, liberè enim (ſicut antea ſcripſi) te monerem, ſi quid tale contingeret, ſicut à te volo moneri. Tabellarij rari ſunt, deinde quidam tam ſuperbi & imperioſi, vt prorſus exigant me ſedere & illos aduentantes otioſum ſuſpicari oportuiſſe. Omnia hîc ſunt ſalua, vt hactenus. Saluta Eberhardum & omnes noſtros, ac optimè cum tua Ketha vale. Verum eſt nuper me ſubito ſanguinis coagulo circum præcordia anguſtiatum, peneq; exanimatum fuiſſe, ſed repente mihi remedio fuit aqua Cardi Benedicti, vt vocant, hauſta, mirè præſentis ſalutis ea aqua eſt, quanquam à medicis neglecta vel ignota potius, 8. poſt Epiphaniæ. Anno M. D. XXVII.

Aegritudo ſubita Lutheri.

T. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Expectat à Linco de rebus nouis reddi certior, ſcribit tamen de portento quodam Magdeburgenſi, quod Georgii Vuincleri Concionatoris Hallenſis mortem præceſsit, qui hoc anno propè Aſſchenburg à Moguntinenſibus Sacrificulis interfectus eſt, refertq; ſe accingi ad prælium cum Sacramentariis.

GRatiam & pacem. Nihil noui eſt quod ad te ſcribam mi Vuenceslae, & quid nos, Vermes in hoc culo mundi latitantes ad vos ſcriberemus, qui in vertice mundi ſedetis, & faciem mundi coram videtis & auditis? A vobis potius homi

nibus

nibus re & auditu diuitibus, nos miſeri & inopes accipere debemus lucem, & quæ ſunt lucis in hoc mũdo. Scribit mihi tamen Nicolaus Ambsdorf. Magdeburgæ nocte Circũciſionis ſub matutinis in ſummo templo omnes candelas & lampadas ſubitò extinctas eſſe, excepta vna coram Sacramento. Sunt autem valde multæ, præſertim quæ ſub offitio accenduntur, deinde tot anguli Capellarũ abditi, vt impoſsibile ſit vento (cui non patet iſtic acceſſus) extingui. Interpretantur quidam portendi obitum Canonicorum, ſic & antea factum aiunt, vt morituro Epiſcopo Erneſto maior candela ceciderit extincta & fracta, aliamq; iacens ambuſſerit. DEVS viderit. Signa multa fiunt non irrita futura, ego in Sacramentarios rurſus prodeo. Ora pro me vt fœlix ſit mihi CHRISTVS in ſua cauſa. Semina in hortum expecto ad futurũ Æquinoctium. Vale cum tua & omnibus in Domino, 23. Ianuarij, M.D.XXVII.

Portentum Magdeburgæ.

Martiuus Lutherus.

IOHANNI HESSO.

Spiritum Munzeri vndiq; in Eccleſia Bauaria & aliis locis graſſari narrat, ſtatuentem Magiſtratus impios perdendos eſſe, & pios regnaturos in terra, indicat etiam ſe ſtringere calamum aduerſus Sacramentarios & Anabaptiſtas

GRatiam & pacem in CHRISTO, mi Heſſe. Monſtra de quibus ad me ſcribis, CHRISTVS noſter miſericorditer compeſcat, & miſereatur miſeris iſtis hominibus Sathanæ captiuis. Similia geruntur in Bauauria, nec ferro nec igne

poſſunt cohiberi, deſerunt vxores, liberos, familias & facultates, Sic furit Sathan hac hora velut nouiſsima. Mihi non videtur vt Magiſtratui prodas, prodent ſeipſos, & tunc Senatus vrbe eos migrare pręcipiet. Eſt in omnibus iſtis Muntzeri ſpiritus reliquus, de perdendis impijs & regnaturis in terra pijs, vt & Cellarius nuper ædito libro prophetat, hoc eſt, ſeditioſus eſt ſpiritus ille totus. Horologion D. Apello curabo reddi, peſtis DEI gratia deſijt apud nos, redeunt fugitiui ciues. Nouarum nihil apud nos. Ego Sacramentarijs nouiſsima pugna congredior, & Catabaptiſtas attingo pro noſtris confirmandis, ſic arbitror CHRISTO me ſeruire & placere, Sathanæ verò diſplicere, & irritare magis etiā plus quam furioſiſsimum in me ſæuientem. Commendabis me, rogo, tuis & Eccleſiæ tuæ precibus, ac ſeriò pugnemus, quia Sathan non iocatur in nos, vt vides in tantis monſtris. CHRISTVS ſit ſpiritu ſuo tecum, & Moibanum ſalutabis. Salutat te D. Pomeranus noſter cum ſuis, 27. Ianuarij. M. D. XXVII.

Spiritus Muntzeri.

Pugna Lutheri cum Sacramentariis & Anabaptiſtis.

Martinus Lutherus.

VENERABILI IN DOMINO VIRO, D. Ioanni Draconi Epiſcopo Vualtershuſen: fideli, ſuo fratri chariſsimo.

Conſilium dat Doctori Draconi, ne cedat ex ſua vocatione propter malitiam paucorum quorundam aduerſariorum, eumq; admonet, ne cogitet ſe ſine perſecutione profeſſurum Euangelii doctrinam. Tandem vult eum paucitate bonorum auditorum contentum eſſe.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Ego verò modis omnibus

bus ſuadeo, mi Draco, ne vinci te ſinas à molo, vt locum eum mutes, ſed vincas bono malum iuxta conſilium Pauli. Cogita quæſo te propter malos non eſſe iſtic poſitum, ſed propter paucos bonos, quos ſi relinqueres propter malos, quantum quæſo aculeum mortis in conſcientiam tuam figeres? Tu ſi illic non eſſes, tamē accurrendum tibi eſſet propter bonos, nulla malorum ratione habita. Nunquid ſolus tu vis ſine perſecutore, ſine ſpinis roſa, ſine Sathana filius DEI eſſe? Atq; alios malles impios quam iſtos? Fidendum eſt, quod hac tentatione DEVS prouentum faciat, & tandem lucreris quos poſtea pœniteret eſſe deſertos. Alet te Dominus ne dubita, ſcribo autem Principi pio, ac rogo vt condones ſi peccauit in te aliquid, inuicem peccatores ſumus, inuicem confiteri & condonari oportet, ſic eſt hæc vita. Ritus & ceremoniæ tuæ ſatis placent, tantum age, ne ſperes omnes bonos & quietos tuos habiturum te, ſed gratias potius agas, ſi tres te ament & cupiant, cæteri oderunt & perſequuntur. Quotos quæſo CHRISTVS in tanto ſuo populo proprio habuit adhęrentes? vix feces, reliquias & purgamenta de toto illo Iſrael electo DEI populo. Vale & pro me ora, 2. Februarij. Anno M.D.XXVII.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI LANGO.

De ſtatu rerum & tentationibus, C.S. vult reddi certior, ac ſe nunc verſari in explicatione Zachariæ, & translatione Prophetarum in linguā vernaculam, indicat, præterea de reſponſione ſua aduerſus Regis Angliæ blaſphemias eum erudit, ac petit ſibi Raphanos Erſfordienſes mitti.

Gratia

GRatiam & pacem in Domino. Cum eſſet hic Sebaſtianus per Erffordiam iturus ad Rhenum, mi Lange, rogaui vt te adiret viſurus vt haberes, ac admoneret vti ad me perſcriberes, quo in ſtatu eſſent res C. S. ſi fortè noſſes, cogito enim pro homine in ſua tentatione, ne Sathan ei faceſſat negotium plus quam ferre valeat. Nam de te omnia benè cogito, Iuſti Moënij commentarius formatur typis. Ego Zachariam explano, & Prophetas Germanico vertendos aſſumpſi, digniſsimum opus gratitudine, qua me hactenus excepit Barbara hæc & verè beſtialis netio, deinde ſimul in Schuermerios vehor. Nam ad Regis Angliæ (ſi non eſt Eraſmi) blaſphemias duobus quaternionibus abſolutis, reſpondeo. Peto quoq; vt memor ſis in futura quadrageſima, ad me mittere (ſi commode potes) Raphanos iſtos decumanos & maximos Erffordienſes, nam illos monſtro noſtris oſtentare volo, glebæ veſtræ gloriam iactaturus, ſi præterea ſemen eorundem mittere potes, gratum erit. Vale in Domino ſanctè & fœliter, 4. Februarij. Anno M. D. X X V I I.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Spalatinum ac ſeipſum confirmat & conſolatur contra ſuorum aduerſariorum furorem & tyrannidem, ac ſe Regi Angliæ quadam Epiſtola reſpondere ait, poſtremo commendat ei profugum quendam Monachum.

GRatiam & pacem. Iactent & ſperent, imò etiam vincant Baalitæ tui, mi Spalatine, quid tum? Noſtra eſt iſta crux &

crux & ſalus,illorumq́; verò perditio. An ſine cruce viuendum nobis eſt?Regi Anglorum (quem Eraſmi laruam putant) breui Epiſtola reſpondeo, maximè ob Titulum quem Palinodiam fecerunt. Iſtæ blaſphemiæ, technæ, nequitiæ Diaboli & ſuorum, ſunt cibus & ſagina mihi. Hic enim eſt cibus de quo gloriatur CHRISTVS Ioan.4. Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem Patris, id eſt, moriar & blaſphemer. Eodem & nos ali oportet, incredibile eſt, quàm Sathan vndiq́; & per omnia furit, diem fortè ſentit extremum, ſed DEO gratia,qui nos confortat,vt contemnamus. Cæterum hunc adoſcentem Martinum aliquot menſes ferè alui, ſpe officij aut famulaturæ, ſed hîc omnia plena videns aliò migrare conſtituit. Tu qui multis notus es, & multos noſti, ſi alicubi poſſes ad ſeruitium vel opus promouere, pauper & bonus eſt,ſed mirè ſimplex, è Cella aufugit Monachus,commendo eum tibi.Benefeceris CHRISTO ſi alicubi promoueris. Vale cum tua Cathena, Vigilia Purificationis, Anno M.D.XXVII.

Lutheri reſponſio ad Regis Angliæ ſcriptum.

Martinus Lutherus.

LEONHARDVS KEISER, VINCTVS PRO CHRISTO Michaeli Stifel.

Gratulatur ſibi ipſi cognitionem Euangelii, & commendat ſe Michaelis Stifelii,eiusq́; Eccleſiæ precibus, vt in illa agnitione Chriſti ad diuini nominis gloriam conſeruetur.

GRatia & pax à DEO Patre noſtro & Domino IHESV CHRISTO. Congratulor mihi frater Michael in CHRISITO

Hic Leonhardus Keiſer in Bauaria ab Epiſcopo Paſſauienſi captus propter Euangeliũ, & poſtea combuſtus eſt.

chariſsime, qui DEVS omnipotens & Pater miſericordiarum me indigniſsimum ſeruulum ſuum & maximum peccatorem ad confeſsionem nominis ſui melliflui benedictiſsimiq; inuitare dignatus ſit, ſit DEVS benedictus, Amen. Ille conſortet dirigatq; cor meum, ſenſus & omnes conatus meos in viam ſalutis, & ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ linguam & cor meum, vt pronuntient laudem & gloriam eius, ne per me infirmum & fragile vas ſuum vituperetur & blaſphemetur puriſsimum eius Euangelium, toties à me auditum. Vtinam cum fructu ad honorem nominis ſui fiat hoc mihi, & impetretur à DEO Patre precibus tuis ſynceris & deuotis, & tuum Leonhardum tibi recommendatum habe, populumq; admone, vt DEVM ſuis deuotis precibus pro me exoret. Scimus enim illud Euangelicum, Vbi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, quicquid in nomine meo petierint, impetrabunt, & minimè denegabitur eis. Commendo tibi meum Vdalricum, ſaluta dominam tuam, matronam honeſtiſsimam, Dominum Fuchshaber fideliſsimum ſeruum DEI, omnesq; fratres noſtros. Gratia DEI ſit cum omnibus vobis, Amen. Ex vinculis meis, Sabbatho ante Dominicam Inuocauit. Anno M. D. X X V I I.

D. GEORGIO SPALATINO.

Ipſum de omnibus quæ ſcire cupiat, melius per M. Eberhardum & D. Hauſmannum certiorem fieri poſſe, quam ex ſuis literis, quas antea ſcripſit. L. bellum ſuum in Regem Angliæ multis è ſuis quoq; videri nimium vehementem,

vehementem, communi fama ſe accepiſſe Vrbanum Rhegium publicis ſcriptis contra ipſum certaturum, ſeq; plauſtra librorum in ſe vnum expectare. Nullis verò aliis niſi Oecolampadio reſponſurum, Auguſta in ſex ſectas diuiſa, tantum Ioannem Froſch & Stephanum Agricolam eſſe conſtantes ibi & ſynceres.

GRatiam & pacem. Nuper paucis per M. Eberhardum ſcripſi, occupatus & immerſus, quanquam is credo omnia melius ore retulerit, quam ego literis poſſum ſcribere, quæ ſcire cuperes, idem faciet hic D. Nicolaus Hauſman vir optimus & pius. Ex Polonia noua ſi non audiſti, ex hoc audies, cætera apud nos adhuc benè ſe habent gratia DEI. Libellus meus in Regem Angliæ mirum eſt quàm multos etiam ex noſtris offendat, cum mihi valdè neceſſarius videatur, aduerſus tantam ſuperbiam Sathanæ, ſed CHRISTVS iudicabit. Præterea Vrbanus Rhegius minari dicitur in me ſcripta, ſcilicet Oecolampadiũ & Zuinglium tantos viros (vt ſentit) non vult offendere, ſic mutatus eſt ab illo, ſic furiunt etiam antequam videant ſolo auditu libelli mei, quid erit vbi viderint? ſcilicet examina librorum in me vnum extendent illi multi. Sed ego vnum Oecolampadium deinceps apprehendam, cæteris contemptis, nec dimiſſurus (CHRISTO operante) niſi Sathanam traduxero. Auguſta in ſex diuiſa eſt ſectas, ſolus ibi Ioannes Froſch, & Stephanus fortiter & ſyncerè agunt in CHRISTO, qui eos ſeruet, & tu pro nobis ora, ac vale cum tua Coſta, feria 2. poſt Inuocauit. Anno M. D. XXVII.

Libellus Lutheri in Regem Angliæ

T. Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, AD CLEMENTEM VRSINVM PASTOREM in Brucka.

Adhortatur Vrſinum ne deſerat ſuam vocationem, poſtea agit de reſtaurando legitimo vſu Miſſæ. Monetq; vt opinionem Zuinglianam de Cœna Domini, ac Anabaptiſtarum errores vitet. Tandem de Poligamia ſuam exponit ſententiam, deq; mutatione ceremoniarum.

GRatiam & pacem in Domino. Quod rogaſti me, chariſsime Clemens, omnino diſuadeo, vt locum deſeras, niſi coactus, ſicut & CHRISTVS tolerauit diu Iudæorum tarditatem. Hoc eſt tum verè puluerem excutere, ſi expellamur coacti, quis ſcit, ſi aliqui ſint, qui adhuc credent? Heroem tuum, vt incognitum nondum audeo literis meis tentare, metuens, ne rem faciam peiorem, id quod mihi ſæpe aliâs accidit. Tu loquere & perge commiſſa cauſa DEO, ſic tutus eris. De Miſſæ legitimo vſu reſtaurando, iam multi ſunt æditi libelli germanici à me & alijs, vnus verò à me de Miſſæ abuſu latinus: Sed qui venditus & diſtrachus eſt, vt non haberē quem ad te mitterem. Zuingliana & Oecolampadiana ſententia latè ſerpit, habetq; iam inter ſeſe varias ſectas, verum à diuerſis eſt contra eam ſcriptum & Latinè & Germanicè. Ego quoq; iam librum Germanicè in eos abſoluo. Tu ſi meam recipis exhortationem, fugies eam opinionem, vt peſtem, quia blaſphema eſt in CHRISTI verbum & fidem, ſic nos credimus & ſcimus, Idem ſentio de paruulorum Baptiſmo contra Balthaſarem Huebner. Quod ſi omnino docendum tibi eſt, ſaltem ſuſpende in his articulis ſenten-

Zuingliana opinio vitanda.

Balthaſar Huebner Anabaptiſt.

ſententiam, & interim fidem, charitatem, libertatem ſpiritus, crucem, & obedientiam Magiſtratus exerce, & benè inſtructos redde, alia venient ſuo tempore. In Apocalypſin nemo adhuc ſcripſit. Catalogum librorum meorum ipſe non habeo: Sed nec ipſos libros, vt qui optem, Biblia pura legi pro meis. Sum in opere Biblia corrigendi ad veritatem Ebraicã, ora pro nobis. Polygamia Iudæis & Gentibus conceſſa olim, non poteſt fideliter apud Chriſtianos probari, ac tuta conſcientia tentari, niſi extrema foret neceſsitas, vt altera coniuge ſeparata per lepram aut ſimile. Ideo carnalibus dices, ſi volent eſſe Chriſtiani, debent fidem colere & carnem cogere, non frena laxare, ſi volent eſſe Gentes, faciant quod volent ſuo periculo. Summa Euangelion ſic doce, vt dicas, quæ Chriſtiano cognoſcenda ſint omnia, ſiue firmi ſiue infirmi ſint. Sed à facto temperabis, nec quicquam mutabis niſi prius roborati fuerint, & te coegerint, ne tua voluntate, ſed mera coactione ordinetur, ſi quid ordinandum fuerit. Interim ſine vt verbum currat & faciat quæ Dominus voluerit. Salutabis Ambroſ: Buxiũ in charitate, Philippus Melanchthon te officiosè ſalutat. Et tu in Domino optime vale, pro me oraturus in charitate, Amen. Vuitenbergæ feria 5. poſt Reminiſcere. M. D. XXVII. Polygamia.

T. Martinus Lutherus.

D. IVSTO MOENIO SERVO CHRISTI Erphor: fideli in CHRISTO fratri.

Scribit de Apologia Moenii, & de ingratitudine Erffordienſium erga Euangelium.

GRatia & pax. Data eſt opera, vt Apologeticus tuus excudatur, mi Iuſte, qua ratione autem conuenerint Typographus & tuus Tabellarius, idem tibi referet. Erphordia tua eſt Erphordia, tam citò ſequitur ira de cœlo, vt ſimul ac ceperit gratia lucere, ſtatim concurrat & furor DEI excæcantis & grauantis cor Pharaonis. Tu ora pro me Dominum & ſalutabis D. Langum & omnes noſtros in CHRISTO feria 3. poſt Iudica. M. D. XXVII.

Martiuus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Libellum ſuum in Sacramētarios ipſi placuiſſe gaudet, cur autem ſerius perferantur exemplaria miratur. Bucerum virulentiſsimas in ipſum ad Ionam dediſſe literas. Iudicat quoq; Viſitationem Aldenburgenſis Bethauen differendam eſſe in aliud tempus, propter nuptias illuſtriſsimi Principis Ioannis Friderici, Ducis Saxoniæ.

GRatia & pax. Iucundum & gratum eſt tibi placuiſſe libellum meum in Sacramentarios, mi Spalatine, ſed miror qui fit, vt tam tardè ad vos vehantur exemplaria, cum Paulum Knothum arbitrer procuratorem tuum eſſe alioqui ipſe miſiſſem. Non dubito quin vehementer commouerim Sacramentarios, videor enim & mihi, quamuis verboſus & modicæ eruditionis liber ſit, me eos tetigiſſe. Bucerus autem & antea virulentiſsimas in me ſcripſit literas ad noſtrum Ionam, prorſus Sathan eſt Lutherus apud illos, quid putas facient libello iſto ſtimulati? Sed CHRISTVS viuit & regnat, Amen. Bethauen tuam arbitror vſq; ad Viſitationem ſinendam eſſe ſuo furori, nam & nuptijs Principis quoq; impediretur,

diretur, ſi quid interim ſcriberem & peterem, finito verò tumultu nuptiarum, ipſe cogor inſtare omnibus modis pro Viſitandis Parochijs. Pro Simone Balneatore diligenter ſcripſi, ſicut rogaſti, Tu vale & ſaluta noſtros, ac pro me ora, Vuitenbergæ. Anno M. D. XXVII.

Martinus Luther.

VVENCESLAO LINCO.

De Zuinglii libello contra ipſum, eiuſdemq; Epiſtola ſcribit, ac ipſius furorem & ſæuitiam grauiter accuſat, refert etiam de translatione Prophetarum, ſeq; prælectione Eſaiæ occupatum eſſe.

GRatiam & pacē. Hoc ſolum habeo noui quod ſcribam, mi Vuenceslae, quod Zuingel vnà cum libello ſuo vaniſſimo Epiſtolam quoq; ad me miſit, manu ſua ſcriptam, dignam ſc: illo ſuperbiſsimo ſpiritu, ita modeſtiſsimè furit, ſæuit, minatur ac fremit, vt mihi videatur irrecuperabilis etiam manifeſta veritate conuictus. Libellus meus verboſus multis ſanè profuit. Prophetas vernacula donatos Vuormaciæ non contemno, niſi quod Germaniſmus obſcurior eſt, fortè natura illius regionis fecerunt diligentiam. Quis autem omnia attingat? Ego tamen iā accingor, & ipſos vernacula extrudere, lecturus ſimul Ieſaiā, ne ocioſus ſim. Tu pro me ora Dominū & pro Eccleſia eius. CHRISTVS faciat me audire natam tibi & ſaluam prolem, Amen. Mea Ketha rurſus nauſeat ac vomit ſpe ſecundi fœtus. Spenglerū ſaluta & gratias age, nam omnia quæ miſiſti ſemina oriuntur, tantum Melones & Cucurbitæ differunt, quanquam in alijs hortis etiam prodeant, Vale. M.D.XXVII.

Prælectio Lutheri in Eſaiam incepta anno 1527. Et illa enarratio aliquando ex hac officina Typographica prodibit in lucem.

Martinus Lutherus.

EPISTO. D. M. LVTHERI,

VENERABILI IN CHRISTO VIRO, D. Friderico Abbati Ægidianæ Familiæ apud Norimbergenſes, ſuo in Domino Maiori.

Agit Abbati gratias pro donato Horologio.

GRatiam & pacem. Ignotus ignoto, Vir optime, ſcribo, id facit meus ac iam pluſquam tuus Vuenceslaus Lincus, qui tuo nomine mihi æneum Horologium à te donatum miſit, donum gratiſsimum, ita vt cogar fieri Mathematicis noſtris diſcipulus, donec intelligam omnes iſtas formas & regulas vnius Horologii, nam antea non vidi nec obſeruaui tale, rudis ſcilicet harum rerum Mathematices. Vtinam poſſem animo tuo reſpondere, quem intelligo hoc dono ſignificari intimè, nihil eſſet quod magis vellem præſtare. Hoc pro iucunda familiaritate velim candidè (vt ſpero) accipias, ac benè valeas, oraturus pro me, feria 2. Paſchæ. Anno M.D.XXVII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

L. Cordatum commendat Spalatino, ac ſuam refert ſententiam de caſu quodam matrimoniali, eosq; caſus imposterum ſe demandaturum Magiſtratui politico, ſuasq; cenſuras in eiuſmodi caſibus nemini communicaturum niſi pauidis & piis conſcientiis.

GRatiam & pacem. Venit hic D. Licentiatus Cordatus Eccleſiaſtes Zuuikauienſis, mi Spalatine, offerens tibi has literas, vir dignus tuo colloquio, ne alia predicem. Cauſa coniuga-

coniugalis ad nos miſſa ſtatim ſequetur, in qua pronuntiauimuspro marito ſecundo, & primnm illum profugam damnauimus etiã decretis Papæ. Nam iura Papiſtica quoq; legere incipimus & inſpicere, in quibus videmus, non ipſos quidem ſua iura videre aut curare, miramurq; priorem ſententiam à noſtris datam. Quanquam ego deinceps ſtatui Ruſticorum & vulgi ingratitudinem ſic vlciſci, vt niſi pij ſint, qui cauſa laborant aliqua, prorſus ad Officiales remittam, & ſinam mortuos ſepelire ſuos mortuos. Proinde & hanc veſtram mulierculam ad Officiales & Iuriſtas remiſiſſem, niſi veſtro teſtimonio pia meruiſſet libertate Euangelica frui, quanquam poſtea & ipſo Papæ iure idem conſecuta eſt. Nam ego prorſus indignos volo eſſe Euangelica libertate Porcos & Canes, ſolumq; pauidis & pijs concedere noſtrã beatitudinem. Alioqui Euangelio abutuntur maximè ij, quos nec Papę ſolum ſed & furijs inferni ſubiectos eſſe decet. Matth. 8.

M. Eberhardo leges vnum grande & bonum capitulum, quia arguit me, quod tuis quæſtionibus aut literis non reſpondi. Idem facies tibi ipſi, ſi ex te habet hoc monſtrum quærelæ, nam per Ketham tuam vos ambo vel luditis vel falſi eſtis coniugum veſtrarum ſiue amore ſiue imperio, ſat viuaciter memini me tibi ſemper reſpondiſſe, etiam vſq; ad copiam moleſtam, Vale & ora pro me miſero peccatore, feria 3. Paſchatis. M. D. XXVII.

T. Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

M. IOANNI AGRICOLÆ.

Commendat quendam Agricolæ, ac vult vt rationem valetudinis ſuæ coniugis habeat, deq; ſuæ coniugis ægritudine narrat.

GRatia & pax. Si quid potes, mi Agricola, in cauſa quam tibi exponet Stephanus iſte (potes autem maximè) adiuua. Nam etſi ſimus hactenus variè decepti, tamen hac perſona videor mihi non decipi nos aut noſtra ſtudia, ſi quæ in illam conferamus. Miſera eſt & eget officijs charitatis, in quam rem propenſos habes tuos Comites. Elſæ tuæ nobis videtur conſultum, ſi mutandi aëris, cui aſſueuit, cauſa, huc cōcederet aliquot dies. Tu in hac re conſules ſimul, nam vxorculæ tibi gratiſsimæ & mulierculæ ſimplici & probæ, nos libenter faciemus, quicquid illi poteſt vllo modo prodeſſe, vale. Ketha mea vomit & nauſeat ægrotatq; rurſus, ſed bona (vt ſpero) ægritudine nempe capitis & vertiginis (neſcio cuius) quæ te Elſamq; tuam valdè ſalutat. Ioannellus meus lætus & robuſtus eſt, atq; homo vorax ac bibax, DEO gratia. M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Inſtrumenta Tornatoria ſignificat ſe accepiſſe, ac approbat libellum imaginarium de Papatu, commendat etiam illi Vitum Theodorum.

GRatiam & pacem in Domino. Et inſtrumenta tornandi accepimus ſimul & quadrantem cum chilyndro & ligneolo

ligneolo horologio,gratias agētes. Vnum autē omiſiſti quod non ſignificaris quantum reſtaret pecuniæ mittendum,duos enim ſcilicet miſſos, putamus non eſſe ſatis, alioqui inſtrumentorum ſatis eſt hac vice,niſi habeas aliqua noui generis, quæ per ſeſe tornare poſsint, ſtertente Vuolffgango aut negligente. Nam horologij ſum ego Magiſter penè perfectus, præſertim cum ſint horæ ſignandæ ebrijs meis Saxonibus, qui potius cantharos quam horas ſpectant, nec valdè cruciantur errore ſiue Solis,ſiue horologij aut Magiſtri eius. Nihil noui apud nos niſi libellus veſter imaginarius de Papatu, in quo imaginem meam cum falce valdè probo, vt qui mordax & acerbus tot annis ante prædictus ſum futurus, ſed roſam pro meo ſigno interpretari dubito, magis ad offitium etiam pertinere putarim, cætera nunc placent, ſi vera ſunt quæ vulgaſtis, Vale in Domino,19. Maij. M. D.XXVII.

Martinus Lutherus.

Vitum Theodorum tibi Philippus commendabit,ſicut & ego facio,ſi fortè eius ſit aliquis vſus.

DOMINO FRIDERICO EGIDIANÆ familiæ Oeconomo Nurnbergæ.

Abbatem eius noticiam & amicitiam ambientem,familiariter amplectitur, illiq; cognitionem veritatis Euangelicæ gratulatur.

GRatiam & pacem. Ego verò quam libentiſsimè communi et mutua familiaritate tibi coniungar vir in CHRISTO venerabiliter ſuſcipiende: Quin hoc quod tu petis fieri, hoc mihi apud te fuit ſummis votis ambiendum, vt qui

maximè vexatus tum à peccatis, tum ab ipſo Sathana opus habeam multis amicis apud DEVM, qui me precibus iuuent in tanto negotio merſum. Vehementer autem gaudeo, tibi donatum eſſe, vt Euangelij veritas placeat in hoc corrupto & nequam ſeculo, vbi rari ſunt qui ſyncerè teneant, CHRISTVS qui cepit in te bonum opus, perficiat etiam, in quo benè vale, 20. Maij. M. D. XXVII.

Martinus Luther.

D. FRIDERICO MYCONIO.

Intercedit pro Paulo Saluelt Paſtore Goldbachenſi, ne à Parochia deponeretur, & vult iſtam cauſam differri vſq; ad tempus Viſitationis.

GRatiam & pacem. Conqueſtus mihi eſt hic Paulus Salueld literarum portitor, mi Friderice, quaſi agatur cum eo, vt à Parochia Goldbach deponatur, velut parum idoneus & neſcio quæ alia. Ego verò qui tuam fidẽ & integritatem perſpectam mihi habere videor, difficilè credere potui, te quidquam indignè aduerſus vllum etiam hoſtem tentare, tamen ne fruſtra queſtus eſſe videretur, conſului, vt ad Viſitationis vſq; tempus rem differret, quod idem te facturum eſſe (ſi quid tentaſſes) & facilè credo, & illi ſine dubitatione pollicebar. Tu igitur facito quæſo, vt ſuperes hominis ſiue iuſtitiam ſiue iniuſtitiam, tua bonitate & ſuauitate, ſicut mihi perſuadeo de te certiſsimè. Vale in Domino chariſsime, feria 3. poſt Trinitatis. M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

HISTO-

HISTORIA TENTATIONIS D. M. LVtheri, cuius plurima fit mentio in ſequentibus Epiſtolis.

CLARISSIMO THEOLOGO D. D. IOANni Bugenhagio Pomerano, noſtro Epiſcopo, amico & Fratri in Domino chariſsimo.

SAlutem per CHRISTVM. Quia illa ſubita ægritudo D. Martini, Patris noſtri & ſimilia, videntur mihi monitiones in quibus monet nos DEVS, ne theſaurizemus nobis iram, Rom. 2. ſicut hodie monebat & tua cōcio, nolui illos ſermones arden tiſsimis adfectibus plenos, quibus heri Doctor in prima anguſtia vtebatur, perire nobis. Videor iam eos mihi memoriæ inſcriptos & affixos retinuiſſe, & bona fide in hac charta annotaſſe, Quas tibi chariſsimo amico & fratri communicare volui, rogoq́; vt ſi tranſcribere velis, remittas hanc chartam, nullum enim retinui exemplar. Si ineptio hac in re, libenter ineptio, iſti mihi tanti caſus videntur non contemnendi. Vale in CHRISTO, & nemini præterea iſta impertias, ſed cela, ſatis eſt nos hæc ſcire, alioqui nimis latè inuulgarentur. Reſcribe.

Iuſtus Ionas T.

NARRATIO D. IOAN. BVGEN. Pomerani.

IN vigilia Publicanorū & filij prodigi, hoc eſt Sabbatho, quando Dominica ſequenti predicatur Euangeliū Luc. 15. de Publicanis & peccatoribus, adpropinquantibus ad

IHESVM,&c. Quod ego tunc predicaui, & in veſpera eiuſdem Dominicæ Euangelium de filio prodigo. Erat iam id Sabbathum poſt feſtum Viſitationis Mariæ proximũ anno Domini M.D.XXVII. In hac inquam vigilia ſiue Sabbatho nocte, ſiue mane præcedenti, contigerat D. Martino grauis tentatio ſpiritualis, qualis ſæpe legitur in Pſalmis. Contigerat autem nunc grauior quam aliàs vnquam, quam altera die coram D. Iona & D. Chriſtiano & me confeſſus eſt, multo grauiorem fuiſſe, quam illam corporalem ægritudinem, quę pomeridiano tempore eiuſdem Sabbathi conſequuta eſt, quam tamen videbatur ad certum morbum vrgere, ſed non eam ipſam quidem corporalem ægritudinẽ ſibi videri dixit naturalem fuiſſe. Imò potius fuiſſe colaphum Sathanæ,
2. Cor. 12. qualem fortè Colaphizationem Paulus expertus fuerat. Ad aurem enim ſiniſtram ita dixit cepiſſe ægritudinẽ, ſibi enim viſum, quaſi tumentes fluctus Maris, magna tempeſtate reſonante reſonarent ad aurem ſiniſtram, & totam ſiniſtram capitis partem, non tamen intra caput adhuc, ſed extra. Vt dixerit ad Ionam, qui ſolus ei aderat, hæc non naturaliter accidere, ſed eſſe adeò intolerabilia, vt vitam quantocijtius ablatura eſſent, ſi non ſtatim ceſſarent. Ibi tamen illud murmur, & quaſi flatum tempeſtatis, quem quaſi extra caput, vt dixi ſenſerit, occupaſſe aurem ſiniſtram, & interius ſiniſtram capitis partem. Ego verò nunc hac occaſionę accepta primum proſequar hiſtoriam huius pomeridianæ ægritudinis. Tunc ſubitò anima ſyncopi, corpus verò frigore cor-

reptum

reptum deficit. Non videbatur calor aut ſanguis reliquus, non ſenſus, non vox erat, ſed tantum ſola mortis imago. Perfuſus autem aqua frigida à Iona, quandoquidem deficiens poſtulauerat, cepit ardentiſsimè orare, quam orationē chariſsimus frater noſter Doctor Ionas diligenter adnotauit, Et ego qui interim ignorarem quid ageretur, vocatus circa ſextam horam veſpertinam, in lecto inueni, claris verbis nunc Latinè nunc Germanicè, nunc DEVM Patrem, nunc CHRISTVM DEVM inuocantem. Maximè verò commendantem DEO miniſterium ſacri Euangelij hactenus ſibi commiſſum. Indignus ego inquit fui, qui ſanguinem meum, vt multi ex fratribus meis Euangelij confeſſoribus, pro CHRISTO funderem, ſed iſte honor etiam negatus eſt dilecto CHRISTI diſcipulo Ioanni Euangeliſtæ, qui tamen multo peiorem librum contra Papatum ſcripſit, quam ego vnquā ſcribere potui. His enim verbis loquebatur. At ego cum ſtupidus adſtarē prę animi anxietate, tandem ſic compello virū, mi Doctor ora quoq;, vt manere tibi liceat propter nos miſeros, & multos alios. Reſpondit, Mihi mori lucrū eſt, ſed manere in carne, propter multos neceſſariū, Domine DEVS, &c. & cōuerſus ad Ionam & ad me dixit, quando mundus gaudet mendacijs, dicēt me meam doctrinā in hora mortis reuocaſſe, vos ergo teſtes volo cōfeſsionis meæ fidei: Quod benè mihi conſcius ſum, me ſanè docuiſſe ex verbo DEI, ſecundum miniſterium meum, ad quod me DEVS vel inuitum traxit, docuiſſe inquā ſanè, de fide, de charitate & de cruce, de Sacramentis.

Quærela Lutheri.

Confeſsio fidei D.M. Lutheri.

Immode-

Immodeſtiam meam accuſauerunt multi, arguendo aduerſarios. Sed nonnunquam ita immodeſtus fui, vt nondum me pœniteat. Nullius damnum quæſiui ſiue modeſtus ſiue immodeſtus, ſed eorum potius ſalutem, etiam Aduerſariorum meorum. Ego eram acturus & ſcripturus etiã de CHRISTI ſacro Baptiſmo, contra Zuinglium & Sacramenti corruptores, ſed iam videtur DEVM aliud de me ſtatuere. Inde grauiter & ad DEVM & ad nos locutus eſt, contra Sacramentarios, cum lachrimis conquæſtus, quod iam ſectæ multiplicatæ eſſent, non parcentes gregi & verbo DEI: Mihi inquit DEVS dedit dona egregia, quæ multis hominum milibus non dedit, vos autem impares eritis tam multis ſectarijs, iam tam latè regnantibus. Niſi quod CHRISTVS Sathana potentior eſt & eius Dominus. Teſtamentum verò vxori ſuæ pregnanti & filiolo his verbis condidit, Domine DEVS, gratias ago tibi, quod volueris me eſſe pauperem ſuper terram & mendicum (einen Betler) non habeo domum, agrum poſſeſsiones, pecuniam quæ relinquam, Tu dediſti mihi vxorem & filios, tibi reddo, nutri, doce, ſerua, vt hactenus me, O Pater pupilorum, &c. Reliqua annotauit diligenter Doctor Ionas. Inter hæc Medicus frigidum eius corpus curauit multis veſtibus, plumis & linteis ſubinde ad ignem calefactis, foueri, maximè pectus & pedes, inde cum quietus ageret diſcedimus ad inferius cœnaculum. Doctor Ionas, Doctor Auguſtinus Schurff Medicus & ego cœnaturi, vt in tali dolore licebat. At Medicus interea, vbi reaſcendit renuntiat Doctorem

Acto. 20.

Teſtamentũ Lutheri.

ctorem Martinum multum ſudaſſe, nihil pericli ſubeſſe, & nos quidem inter ſpem & metum poſiti abeuntes, ſalutamus noſtrum ægrotum, ſed mane reuerſi inuenimus Medicum rectè iudicaſſe. Niſi quod ægrotus per diem dominicum manſit in lecto, diei illius murmuris intra caput adhuc graues ſupereſſe reliquias queſtus. Ad veſperā verò eiuſdem diei, ſurrexit & cœnauit nobiſcum integrè (CHRISTO gratia) reſtitutus, Ita Dominus deduxit ad inferos & reduxit, non ſolum illum ſed & nos cum illo, vt non ſimus confidentes in nobis &c. Igitur vt reuertar ad id quod ceperam, ſi hæc pomeridiana ægritudo, quam hactenus deſcripſi tanta fuit, quantam putas fuiſſe illam ſpiritualem tentationem, quam mane paſſus fuerat? de qua ipſe pronuntiat fuiſſe longe grauiorem, quam ſubſecutam illam corporalem ægritudinem, quam tum etiam non dubitauit colaphum Sathanæ interpretari. Itaq; Sabbatho mane poſt illam ſpiritualem tentationem veritus ſicuti Hiob, ſe non poſſe ferre manum DEI, ſi rurſum ita rediret, ſuſpicatus quoq; iam adeſſe vocationem Domini noſtri IHESV CHRISTI, vocauit ſubitò me per famulum hora octaua ante meridiem, ſuſpecta erat mihi iſta ſubita vocatio, ſed vultu ſolito inueni virum cum vxore in coquina, quemadmodum ipſe poteſt æquiori ſæpe omnia commitere DEO. Non enim hominibus conquæritur de ſuis æſtibus, qui iuuare non poſſunt, aut quibus ſuis quærelis prodeſſe non poteſt, talem ſe exhibere ſolet hominibus, qualem videntur requirere illi qui ex eo conſolationes quærunt, ſi

1. Sam. 2.

Cap. 6.

quod hîc iocis & conuiuijs excedit, etiam ſibi apud ſe non probatur, nam verò nulli piorum diſplicere poteſt. Nam minimè amat hos, & Hypocriſeos eſt inimicus, ſed pergo, ſciſcitatus ſum itaq; , quid ita me vocaret? reſpondit nihil mali eſſe, vbi verò aſcendimus in cubiculum, ſecretius DEO commendat omnia, & confitetur peccata ſua, rogans Magiſter ex diſcipulo verbum conſolationis, ex ſcriptura ſancta, & abſolutionem peccatorum, monens vt orarem pro ſe, id quod ego ſimiliter poſtulaui ex eo, nempe vt oraret pro me, Hoc quoq; poſtulat, vt poſtera die, quæ Dominica futura erat, ſe ad Sacramentū CHRISTI corporis & ſanguinis communionem admitterem, ſperauit enim ſe altera die predicaturum nihil ſuſpicatus eorum, quæ ei poſtea pomeridiano tempore, vt diximus, acciderunt. Et ait, ſi iam me Dominus vocat fiat voluntas eius, mirabar hæc omnia, ſed vbi pomeridianam illam vidi ægritudinem, cepi deſperare de eius vita quod ſcirem quam diligenter ante ægritudinem mane compoſuiſſet ſe ad huius vitæ finē. Hîc neſcio quid orarim DEVM certè hoc, vt morerer potius quam ipſe, qui tamen defunctus iam hac tentatione libenter viuo cum ipſo, donec DEVS vult. Hoc autem memoratu dignum præterire non debeo, quod poſt confeſsionem, vbi aiebat de tentatione quam paſſus fuerat, quam potuit pati, explicare forte non potuit, dixit, ego propter externam meam conuerſationem putor ſuper meras roſas incedere, ſed DEVS nouit vitam meam. Tentaui ſæpe etiam ſeruire mundo graui, ſeuero vultu, & ſanctitatis

ſpecie.

ſpetie, ſed DEVS vult ſtultificare cæcum & ingratum mundum, vt ſuo contemptu pereat, & non videat, quam egregia dona multis hominum milibus non data, mihi dederit vni, vt ſeruiam quibus ipſe nouit. Vt dum mundus non admiratur verbum ſalutis, quod per me DEVS offert, inueniat in me quo offendatur, & cadat, viderit iſta iudicia ſua DEVS, ego enim orabo ne peccatis meis alicui ſcādalo ſim. Hæc ego (mirum quam libenter audiui) vbi ego cum ſolo egeram mane reſtabat iam ferme hora vſq; ad prandium, & quia inuitati eramus à quibuſdam Nobilibus, hortabar virum ne deeſſet conuiuis, negat ſe ille abfuturum. Aderat ergo conuiuio, parum edens & bibens, id quod ego vel ſolus aduertebam, ſed tamen more ſuo conuiuas illos exhilarans, quantum licebat. Circa autem duodecimam horam egreſſus eſt è conuio in hortum Ionæ. Ego autem qui concionaturus eram ad veſperam, abij domum, inde contigerunt omnia quæ ſuperius dixi de ægritudine, quæ dilectus nobis frater & Doctor Ionas diligentius conſcripta explicauit, & ad me miſit, maximè verba, quæ vel ſolus tunc, vel ego & ipſe communiter ex Doctore audieramas. Non enim ignorauit mihi valde gratum eſſe ad me ſcribere, vt licere mihi ſæpius hanc hiſtoriam memoria repetere, & aliquid haberem quod imitarer in tentatione, ſic itaq; ſcripſit.

DOCTORIS IONÆ DESCRIPTIO HVIVS Tentationis, Anno M.D.XXVII. Sabbatho poſt Viſitationis Mariæ in medio Sextæ.

CVm Doctore Martino chariſsimo Patre noſtro ſic accidit res, cum mane, vt ipſe fatebatur nobis, habuiſſet grauem tentationem ſpiritualem, & tamen vtcunq; ad ſe redijſſet, vocatus à quibusdã nobilibus, Martino Vualdefels, Hans Loſer, Eraſmo Spiegel ad diuerſorium Schultheiſen, à prandio ad diſcutiendum animi merorem & moleſtiam, intrauit hortulum meum, ibi ſedit mecum confabulans duabus horis, abiens ex ædibus meis, vocat me & vxorem ad cœnam. Aſcendo igitur monaſterium circa horam quintam, ibi vxor Doctoris dicit eum valetudinis cauſa quieſcere, rogat ne moleſta ſit mihi mora, vt dem hoc illius valetudini, cum expectaſſem ſurgit è lecto Doctor vna nobiſcum cœnaturus: Quæritur de ſonoro & moleſto tinnitu auris ſiniſtræ, quam medici in ſyncopi dicunt præcurrere. Proinde cum is tinnitus ſubinde ſentiretur, negat ſe Doctor præ tinnitu adſidere poſſe, aſcendit igitur cubiculũ rurſus, compoſiturus ſe in lectum, inſequor è veſtigio ſolus, adhuc ad infimos gradus neſcio quid ancillis demandante vxore, in limine cubiculi antequam adeſſet quantumuis feſtinans vxor, corripitur Doctor ſyncopi, ſubitò inquit, **O Herr Doctor Jona mir wird vbel / waſſer her oder was jr habt / oder ich vergehe.** Fortè igitur arrepto, ſuperfundo conſternatus ac tremens gelidam, tum in faciem tum in tergum nudat. Inter hæc incipit orare, Domine ſi ita vis, ſi hæc eſt hora quam prefiniſti mihi, fiat voluntas tua, orans magno ardore mentis, oculis in cœlum leuatis, Pater noſter & totum Pſalmum, Domine ne in

ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum, &c. Interim ſuperuenit vxor, videnſq; collabentem penè exanimem ipſa quoq; conſternatur, & magno clamore vocat famulas: Mox Doctor iubet ſibi tibialia detrahi, quæ protinus abrepta, proiecto inde grabato quieſcens, & ſupinus omnibus ſe viribus ſentiens ſubito deſtitui, accingitur rurſus orationi, Domine **mein aller liebſter Gott**, quam libenter fudiſſem ſanguinem pro tuo verbo, tu ſcis, ſed forſan ſum indignus, fiat voluntas tua, ſi eſt ita voluntas tua, morior, tantum vt glorificetur Nomẽ tuum, ſiue per mortem ſiue per vitam. Si poſſibile eſſet ego adhuc optarem viuere propter pios, Domine propter electos tuos, ſed ſi venit hora, tu es Dñs vitæ & mortis, **mein aller liebſter Gott / du haſt mich ja in die ſach gefürt/du weiſt das dein warheit vnd Wort iſt.** Ne glorifica inimicos, ne fortè dicant Gentes vbi eſt DEVS eorum? ſed glorifica Nomen ſanctum tuum contra hoſtes verbi Sacroſancti tui. Domine IHESV tu dediſti mihi cognitionem nominis tui, Tu ſcis quod credo te DEVM verum, & verum Mediatorem ac Saluatorem noſtrum, qui fudiſti ſanguinem tuum pro nobis, Tu nunc hac hora adeſto ſpiritu tuo. Et repetijt, Tu noſti multos eſſe, quibus dediſti, vt pro Euangelio tuo funderent ſanguinem, **Aber ich bins nicht wert**, fiat voluntas tua. Tu ſcis, quod Sathan variè inſidiatus eſt mihi, vt perderet corporaliter & ſpiritualiter, per Reges & Principes, ſed tu hactenus mirabiliter conſeruaſti me, conſerua

Gemitus & vota Luth.

adhuc ſi eſt voluntas tua, interim interrogat an venerit D. Auguſtinus Medicus, qui non multo poſt aduenit, adhibuitq; calefactos puluinos & alia ſomenta, animans ac conſolans eum ne ſic triſtaretur. Inter hæc ſuperuenit Pomeranus Vuitenbergenſis Eccleſiæ Parochus, cui mane eadem die erat confeſſus, ibi incipit ad nos dicere, Orate quæſo pro me, ſicut & initio ad me & adſtantes vxores noſtras dixerat. Nos viciſſim rogabamus, vt ipſe Dominum oraret, ne nos priuaret fideli miniſtro ſancti ſui Euangelij. Mox ſubdit, mein lieber Herr Pfarherr/ich hab euch heute gebeicht/ vñ jr habt mir nur ein abſolution geſprochen / das iſt mir lieb. Interim nonnihil inualeſcente ſyncopi, ſubinde repetit egregias voces fidei, Mein allerliebſter Gott / du biſt je ein Gott der Sünder vnd elenden/hilff mir. Sub hęc bis aut ter dixit ad vxorem, Mein aller liebſte Ketha/ich bit dich ſo es Gotts will iſt/das du dich in Gottes willẽ gebeſt/ du biſt mein ehlichs Weib / du wolleſt ja das gewis behalten vnd nach Gottes Wort richten. Deinde ad Pomeranum & me, Ich meint ich wolt noch de Baptiſmo geſchriben haben, ſed fiat voluntas tua. Inter hæc non deſinens ab oratione, iterum cepit adorare, ô Domine IHESV, qui dixiſti, petite & accipietis, quërite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: Te Chriſte quæſo nunc pulſanti aperi, o du allerliebſter Gott vnd Vater / du haſt mir viel tauſent teurer vnd edler gaben für andern gebẽn/were es denn dein will/ich wolt je gern nach zu ehrẽ deines Namens

vnd

vnd nutze deines Volcks mich brauchen laſſen / ſed fiat voluntas tua, vt glorificeris ſiue per mortem ſiue per vitam. Poſt hæc ſubiecit, O wie werden die Schwermer ein weſen anrichten nach meinem tod? Ibi cum ſingultu largas fudit lachrimas, præterea & hoc adiecit, mein lieber Gott vnd Vater / bin ich vnter zeiten leichtfertig mit wortē geweſen, Tu ſcis quod feci id ad diſcutiendum mœrorem infirmæ carnis meæ, non mala conſcientia. Inter hæc conuerſus ad nos dixit, Sitis teſtes, quod quæ de pœnitentia & iuſtificatione ſcripſi contra Papā non reuocaui, ſed ſentio DEI Euangelium eſſe & DEI veritatē, ſi quibuſdam videor paulo liberior & acerbior fuiſſe, non me pœnitet, Ich hab je niemands arges gōnet / das weis Gott. Ibi iterum, Domine ſi vis me in lecto mori fiat voluntas tua, maluiſſem fundere ſanguinem, ſed tamē Ioannes Euangeliſta, der auch ein gut ſtarck Buch wider den Bapſt geſchribē hat / ſic mortuus eſt iuxta tuam voluntatē. Interdū adhibentur puluini calefacti, incipit interrogare de filiolo, wo iſt mein aller liebſtes Henslin / adfertur puer arridens Patri, tum inquit: o du gutes Kindlin / nu ich befehle mein aller liebſte Ketha vnd dich meinem aller liebſten frōmen Gott / jhr habt nichts der Gott aber qui eſt Pater pupillorū & iudex viduarum, wird euch wol bewaren vnd erneeren. Hæc finiens dixit aliquid vxori de argenteis Cyphis, addens, præterea noſti nos nihil habere. Adhæc omnia vxor conterrita & conſternata, ſpem vultu ſimulans, dolorem corde premens inquit,

Mein

Mein liebſter Herr Doctor/iſts Gottes wille/ſo wil ich euch bey vnſerm Herr Gott lieber deñ bey mir wiſſen. Es iſt nicht allein vmb mich vnd vmb mein Kind/ſondern vmb viel frome Chriſtliche leut zuthun/die ewer noch dürffen/wollet euch meinet halben nicht bekümern/ich befelhe euch ſeinem Göttlichen willen/Es wird euch Gott wol erhalten. Cum adhibentur puluini calidi, dicit redire vires optareq́; ſe vt poſſet ſudare, iubemur diſcedere vt quieſcat. Dominus noſter IHESVS CHRISTVS conſeruet nobis diu hunc virum incolumen, Amen.

Altera die. Hodie dixit ad me Doctor, Ich mus den tag mercken/ich bin geſtern zur Schule geweſt, dixit heſternam Tentatione ſpiritualem duplo fuiſſe maiorem, quam hanc ægritudinẽ corporalem ad veſperam ſubſequutam.

IOANNES BVGENHAGIVS Pomeranus.

AB eo tempore libenter adſum viro, per quem mihi DEVS voluit reuelatum Euangelium, gaudẽs quod in modico iam ei ſeruire liceat, quando præter hanc tentationem accidit etiam, vt propter peſtem ab omnibus deſerti ſimus. Adſum autem ei die ac nocte, ita ſępe oblitus chariſsimę vxoris, filiorum & familiæ, vt habere non videar. Tentaui ſępe domi meæ dormire, ſed bis terue accidit, vt me nocte vocaret, quandoquidẽ tamen nunquam vocauit nocte ſub vno tecto dormientem, vnde iam domi eius dormio, ipſo ſic volente, ſubinde

ſubinde enim quæritur ſe grauiter tentari,& orat ardenter & loquitur de Scripturis.

Hoc ſæpe mihi dixit, quando Tentatio me obruit, venit vt tumentes fluctus & obſtupeſco, vt nihil dicam, mox autem vbi DEVS dat vt orem,vt loquar ex Scripturis,vt alloquar homines,non poteſt præualere Tentatio.

Accidit etiam poſtquam Ionas cum familia ſua ad ſuos abierat, vt ego cum Doctore animi oblectandi gratia abirem Kembergam ad dilectum fratrem noſtrum illic præpoſitum,deinde in villam Segrenam, inde domum reuerſi. Ego quidem gaudeo, quod Doctorem eo die hilarem videram,ſed domi ſtatim nimis triſtis effectus eſt. Ego verò iſtud parum referre putans,ſecurus abeo domũ, ſed media nocte me reuocat, & inuenio virum in lecto ad ſolitas preces conuerſum,& ad ſuæ fidei confeſsionem, ibi requirit me & Brunonem teſtes ſuæ doctrinæ,quod non recantarit quæ docuit, quemadmodum etiam diximus antea eum feciſſe, commendat ſe DEO quaſi ſtatim moriturus.

Agones Lutheri.

Præterea factum eſt quadam die, quando legeram in collegio hora 3.vt hora 4.me vocaret, & inuenirem in lecto iam orantẽ,dixit ergo venienti, iam nihil eſt periculi,quando ad orationem veni. Hîc ego timebam, laborabat enim poſtea grauiter,ſed vbi vnum & alterum verbum dixeram,ſubito miraculo ſurgit, dicens, Iam cœnabo vobiſcum, vt videat Sathan & rumpatur præ ira.

Poſt dies aliquot,vbi domum redieramus à Torga,ego

ſecurus diſceſsi veſperi ab inuito. Sed poſt noctem ſummo mane me vocat,& accedenti ad lectum dixit, vide ne turberis,nihil eſt periculi, ſciebā te iam vigilare, ideoq; vocari volui. Iuſsit ergo me aſsidere ſuper lectum, & locutus eſt mecū, & ego cum ipſo aliquandiu de Scripturis. Inde iubet me diſcedere, vt rurſum inquit parumper dormiam, & tu cures negotia tua.

Hæc de tentatione Viri ſcio,quæ ei per DEVM, etiam nobis cedet in bonum,doctrina integra eſt & ſana.

Si Prophetis, Apoſtolis, alijs atq; adeò CHRISTO Domino talia acciderunt,non mirum ſi & huic accidunt. Interim tamen per omne hoc tentationis tempus nihil omiſit ſui officij. Rarò enim omiſit lectiones publicas, predicationem die Dominica. Quid autem domi fecerit, hæ Nundinæ in Autumno teſtantur,vt interim Epiſtolas taceam, quas valde multas quotidie cogitur ſcribere,& præterea alia bona,quæ mundus ignorat,

Tentat experimentū.

Rarò nunc concionatur die Dominica, quin poſt concionem confiteatur peccata & roget pro ſe orari, communicet item corpori & ſanguini Domini noſtri IHESV CHRISTI.

Reddat illi DEVS Pater conſolationem æternam, qua per eum multas afflictas conſcientias conſolatus eſt. Nonnunquā Sabbatho ſic dixit, cras in nomine Domini iterum accipiam Sacramentum, credens ibi adeſſe verum corpus & ſanguinem Domini noſtri IHESV CHRISTI, vt glorificem veritatem Inſtitutionis CHRISTI, & confundam meos Suermerios

Panoplia Lutheri.

merios in CHRISTVM blaſphemos. Valde debile inquit eſt caput meum,neq; mirum,ſed vbi DEVS me confirmauerit, wil ich mich mit dem Teufel zuſchmeiſſen / vnd mit allen ſeinen Boten.

Contra Eraſmum ita ſcripturus eſt,vt iſtum σκεπτικὸν ableget à ſe,vt alia curet,cõtra Sacramentarios declaraturus eſt fidem ſuam,ita tamen vt tractet diligenter ea,in quibus præter cauſam eum errare dicunt,poſtea derelicturus eſt eos ſuo ipſorum & aliorum iudicio, maximè cum etiam alios pro hac cauſa decertaturos eſſe videat. Brentiũ laudat,Oſiander maximè ei probatur. Nihil magis optat, quam vt redeat ad labores Eccleſiæ profuturos,nempe ad interpretationes Scripturarum & Bibliorum tranſlationes. M. D. XXVII.

VVENCESLAO LINCO.

Gratulatur Linci familiam auctam aſſe Filia, ac Nicolao Eudriſſo pollicetur exemplaria ſuorum librorum, quam etiam retalionem à Typographis pro ſcriptione libellorum expectet ſignificat.

GRatiã & pacem. Gratulor tibi filiã Margaretham dono DEI datam,id quod magno deſyderio expectaui,vt & tu experieris στοργὴν τὴν φυσικὴν πρὸς τὰ τέκνα,vide quã ſubitò ſim factus Barbarogræcus. Cęterũ tornandi vaſa accepimꝰ cũ quadrante & horologio,& operã dabo vt idæam ſcyphi mei habeas, tã ſubito fieri nõ potuit. Nicolao Eudriſ: ſalutẽ multã dicito, ſimul vt audax ſit petere à nobis exẽplaria quorumlibet librorũ. Nã pecunia & ipſi pauperes ſumus valdè,ſed iure quodam licet modico vtor in Typographos,vt cũ nihil ab eis pro vario labore meo accipiã aliquãdo cũ libet exẽplar tollã. Hoc credo

mihi deberi,cum alij Scriptores imò Trāslatores pro quaternione aureum accipiant. Proinde & Vuolffgango meo dedi mandatum,vt quicquid pauper Eudriſſus petierit exemplarium, illi mox procuret,hoc credat firmiter. Vale cum tuis omnibus. Melones ſiue Pepones creſcunt, & ingentia cogitant ſpatia occupare,idem & Cucurbitæ & Citrulii, ne fruſtra miſſa veſtra ſemina cogites. Vale iterum, M.D.XXVII. 5.Iulij.

Martinus Lutherus.

D. IVSTO MOENIO.

Pro precibus & conſolatione Mœnii pro ſe tentato & afflicto gratias agit,ignoſcit etiam Icolſameri Theologi Erphordienſis offenſis & delictis erga ipſum,& eum certiorem reddit de libris Zuinglii & Oecolampadii.

GRatia & pax tibi in CHRISTO IHESV. Gratias ago tibi, mi Iuſte,quod pro me oras Dominum, deinde conſolaris,vtrunq; mihi hoc tempore neceſſarium, proinde rogo ne deſinas fortiter orare pro me , & conſolari , quia Agon iſte meus ſupra vires eſt. CHRISTVS hactenus fidelis Seruator fuit,nec deſpero,quin futurus quoq; ſit in æternum: Non ſolum corpore ægrotaui,ſed multo maximè ſpiritu,ſic me Sathan fatigat cum angelis ſuis permiſſu DEI Saluatoris noſtri. Itaq; in preces veſtras me commendo,certus , quod Dominus exaudiet vos,& conculcabit Sathanam ſub pedibus noſtris,Amen.

Aſylon adflict:

Icolſamero

Icolſamero ſcripſiſſem, ſed capitis infirmitas non ſinit me occupari ſtudijs, dices tamen ei, me ignouiſſe ei omnia, etiam antequam rogaret, ſicut & omnibus inimicis alijs, & ignoſco & miſereor, vt & mihi CHRISTVS & Pater iuſtus ignoſcat & miſereatur. Miror quid de Grammatica tua ſcribas, nam ad me nihil horum eſt delatum, nec reſciſcere poſſum, vbi ſit, aut quis excudat, quare nihil poſſum tibi ſuper hac reſpondere.

Manſuetudo Lutheri.

Zuinglius & Oecolampadius reſponderunt, ſed nondum legi, nec legere poſſum donec reſtituar, totus enim ſerior & ocior, vt languens Lazarus & ægrotus CHRISTI. Vale in Domino, mei memor vti facis, Vuitenbergæ M. D. XXVII. feria 2. poſt Laurentij.

Martinus Lutherus.

Academiæ noſtræ homines iam in Ihena, vobis vicinos tibi & noſtris omnibus commendo.

DOCTORI IVSTO IONÆ.

Grauiter quæritur ſuam Tentationem, ab Eraſmo & Sacramentariis etiam exaſperari, vt afflictionem addant afflicto, ſed ſpe liberationis & victoriæ in Chriſto quem purè docuit ſe ſuſtentat. Aduerſam valetudinem ſui Filioli & aliarum quarundam fœminarum, Item Fratrem Chriſtianæ Goldtſchmidin ducere vxorem, & Chriſtianum ob peſtis metum, per Marchionem Ioachimum Electorem Berlina eiectum, nuntiat.

GRatiam & pacem in Domino IHESV Saluatore. Gratias ago, quod & pro nobis oras & aliquando ad nos ſcribis, mi Iona

mi Iona. Credo autem literas pridianas à me profectas interim veniſſe in manus tuas. Eraſmum & Sacramentarios nondum legi, niſi Zuinglij tres ferme quaterniones. Rectè faciũt, ſi me miſerum conculcent, vt impleant Iudæ exemplum, cogentes & me cũ CHRISTO queri, Et perſequutus eſt inopem

Pſal.109. & pauperem, & contritum corde ad mortificandum. Ego enim porto iram DEI, quia peccaui ei, Papa & Cæſar, Principes, Epiſcopi & totus Mundus odit & petit me, nec eſt hæc ſatis, niſi fratres mei deuexent me. Quin peccata mea, mors, Sathan cum angelis ſuis, ſine fine ſæuiunt. Et quid eſt quod me ſeruet & ſoletur, ſi etiam CHRISTVS me relinquat, propter quem illi me oderunt? Sed non relinquet in finem peccatorem miſerrimum, arbitror enim me eſſe nouiſsimum omnium hominum. O vtinam & iterum vtinam, Eraſmus

Lucta Lutheri. & Sacramentarij vnius horæ quarta, cordis mei experiri poſſent miſeriam, quam ſecurus ego pronunciarem, eos ſyncerisſimè conuerti & ſanari. Nunc ipſi inimici mei firmi ſunt & viuunt, deniq; addunt dolorem ſuper dolorem, & quem DEVS percuſsit perſequuntur. Sed hæc ſatis, ne ſim quærulus & impatiens virgæ DEI, qui percutit & ſanat, occidit & viuificat. Benedictus in ſua ſancta placente & perfecta volũtate. Fieri non poteſt, vt quem mundus & Princeps eius ſic odit, quin CHRISTO placeat, ſi de mundo eſſemus, mundus quod ſuum eſſet diligeret. Solicitus ſum & pro vxoris partu, ita me pauefacit exemplum Capellani vxoris, ſed magna mihi fecit, qui potens eſt, magna etiam à me requiruntur quæ feram,

ram, CHRISTVS meus, quem purè docui & confeſſus ſum, ſit petra & fortitudo mea, Amen. Iohannellus meus iam non ſalutat te, præ ægritudine, ſed optat orationes tuas pro ſe, hodie 12. dies ſunt, quod nihil comedit, ſolo potu alitus vtcunq;, nunc parum incipit edere. Mirū quam infans ille vellet more ſuo lætus & fortis eſſe, ſed non poteſt debilitatus nimio. Margarithæ Mochinnæ apoſtema heri inciſum eſt, & pure peſtilente emiſſo incipit melius habere, incluſi eam hybernaculo noſtro vſitato, nos in anteriore magna Aula verſamur. Henſchen in meo Hypocauſto, Auguſtini vxor in ſuo, ſperamus peſtis finem. Vale & oſculare filiam & amplectere Matrem eius, memores noſtri precibus veſtris. Atq; vt noui aliquid ſcribam, Literas vidi, quas Frater Chriſtianæ Goltſchmit ille iuuenis ſcripſit, in quibus confitetur, ſe contraxiſſe cum Dorothea Felckinna, ſi vtrinq; permiſerint cognati, firmo & raro coniugio, imploratq; Sororis & Chriſtiani conſilium & auxilium, quid fiat ignoro, hoc Sorori eius certò poteris narrare. Romam nollem exuſtam, magnum enim portentum eſſet. Vtinam rurſus liceret cohabitare, & Eccleſiaſten ædere, antequam moriamur, commendo me precibus tuis. Chriſtianus cum domo ſua Berlinam migrauerat, ſed Marchio Ioachim iuſsit eodem die cedere ſua ditione tota, cauſatus periculum peſtis, vide nequitiam Sathanæ & hominum. Ita Vuitenbergēſes ſumus omnibus odio, nauſeæ, timori, vt Pſalmus ait, opprobrium hominum & contemptus populorum, ſed gaudium & corona (vti ſperamus) Angelorum & Sanctorū, Amen. Pſalm. 22.

Martinus Luther, Chriſti lutum.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Commendat ſe Amsdorffii & aliorum fratrum precibus, ne Deus in tam graui tentatione eum ſuccumbere ſinat, ſed in cognitione Chriſti à ſe predicati firmum & conſtantem conſeruet, ſe vbi conualuerit Sacramentariis reſponſurum, Peſtem aliquos in ſua quoq; domo corripuiſſe, ſeq; in tantis periculis tantum verbo Dei ſuſtentari ſcribit.

GRatiam & pacem. Sicut Domino placet, ita fit, mi Amſdorfi, vt ego qui alios hactenus omnes conſolari ſolebam, ipſe conſolationis omnis indigus ſum. Vnum hoc peto, tuq; petes mecum, vt CHRISTVS meus faciat mecum quod placuerit, tantum ſeruet, ne ingratus & hoſtis eius fiam, quem tanto ſtudio & feruore hactenus predicaui & colui, licet interim non ſine peccatis multis & magnis eum offenderim. Sathã petit ſibi dari denuò Hiob aliquem, & cribrare Petrum cum Fratribus, CHRISTVS autem dignetur ei dicere, Animam eius ſerua: Et mihi, Salus tua ego ſum, ſicut adhuc ſpero, quod non iraſcetur peccatis meis in finem. Cupio reſpondere Sacramentarijs, ſed niſi fortior fiam animo, nihil poſſum, Exemplar tuum ſeruabo, ſed ſuo tempore reddam. In domo mea cepit eſſe hoſpitale, Hanna Auguſtini peſtem intrinſecus aluit, ſed reſurgit. Margaretha Mochinna ſuſpecto apoſtemate & alijs ſignis nobis timorẽ peperit, quanquam & ipſa reualeſcit. Valde metuo Kethæ meæ partui vicinæ, nam & Filiolus meus iam triduo æger nihil edit & malè habet, dicitur eſſe violentia dentium, & creditur vtrumq; eſſe in tanto periculo. Nam Georgij Capellani vxor & ipſa

Cap. 1. Luc. 22.

vicina

vicina partui peſte correpta iam exercetur, ſi quomodo infans redimi poſsit, Dominus IHESVS adſit illi miſericorditer, ſic ſunt foris pugnæ, intus pauores, ſatisq; aſperæ, CHRISTVS nos viſitat. Vnum ſolatium eſt, quod Sathanæ furenti opponimus, ſcilicet verbum ſaltem DEI nos habere, pro ſeruandis animabus credentium, vtcunq; corpora deuoret. Proinde nos fratribus commendes & tibi ipſi, vt pro nobis oretis, vt feramus fortiter manum Domini, & Sathanæ vim & dolum vincamus, ſiue per mortē, ſiue per vitam, Amen, Vuitenbergæ die omnium Sanctorum. Anno decimo Indulgentiarum conculcatarum, quarum memoria hac hora bibimus vtrinq; conſolati, Anno M. D. XXVII. 2. Cor. 6.

T. Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Se libellum ſuum Antiſchuermerium antea ipſi miſiſſe, plurimosq; eo ſcripto eſſe cōfirmatos, ad quod ſe nunc ipſorū criminationes expectare, Zuinglium Epiſtola & alio ſcripto atrocius ipſis Papiſtis debachatum eſſe in ſe. Hæc ſe gratitudinis exempla accipere à ſuis, & mundum inſtinctu Sathanæ Principis ſui aliter facere nec ſolere nec poſſe.

GRatia & pax. Miſi ad te nudius tertius, mi Michaël, literas vna cum libello Antiſchuermerio, quem ſpero & accepiſſe te & ipſum placuiſſe. Nam multi ſunt eo libello DEI gratia confirmati in ſana fide, rurſus expecto illorum furioſam reſponſionem, quibus occurram, quando CHRISTVS dederit ac voluerit, virtute & ſapientia. Nam Zuinglius ad me ſcripſit Exegeſin quandam adiecta epiſtola ma

nus ſuæ plena ſuperbia & temeritate. Nihil eſt ſcelerum aut crudelitatis, cuius non me reum agat, adeò vt nec Papiſtæ me ſic lacerent hoſtes mei, vt illi amici noſtri, qui ſine nobis & ante nos nihil erant, ne hiſcere quidem audebant, nunc noſtra victoria inflati in nos vertunt impetum. Hoc eſt gratias agere, ſic eſt mereri apud homines, ſumma, Nunc demum intelligo, quid ſit, Mundum eſſe in maligno poſitum,
1. Ioan. 5: & Sathanam eſſe Principem mundi. Hactenus putabam
Ioan. 16. hæc tantum eſſe verba, ſed nunc video rem eſſe, & Diabolum verè in mundo regnare. Anno M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Gaudet Spalatino redditam valetudinem, & ſuam ipſius precibus quoq; commendat. Acta Viſitationis à Principe miſſa ſibi probari, & optare eius executionem. Quomodo peſtis ceperit Vuitenbergæ graſſari, & Academiam diſsipauerit, narrat. Libellorum per Schuermerios contra ſe æditorum, & Epiſtolæ Zuinglii mentionem facit.

GRatiam & pacem. Reſtitutum te eſſe gaudeo, & gratias ago CHRISTO Domino noſtro. Ora, quæſo, pro me, vt & ego planè reualeſcam, ſi eſt voluntas DEI Saluatoris. Ne te quoq; conturbent viſitationis rumores, nam heri Princeps acta Viſitationis ad me miſit, vt viderem & iudicarem, digna ne eſſent æditione. Omnia pulchra ſunt, ſi modo ſic, vt conſtituta ſunt, adminiſtrentur, vti videbis. Sine vt aduerſarij glorientur in mendatijs, ſicuti ſolent, cum veritate conſolari ſe nequeant. Peſtis hîc cepit quidem, ſed ſatis propitia eſt,

pitia eſt, ſed mirus eſt hominum pauor & fuga, vt tale mon
ſtrum Sathanæ antea non viderim, adeò terret, imò gaudet
ſe poſſe ſic corda pauefacere, ſcilicet, vt diſpergat & diſperdat
vnicam iſtam Academiam, quam odit non fruſtra præ om- Diſperſio
nibus alijs. Attamen toto tempore Peſtis ultra 18. funera vſq; Academiæ
in hanc diem non fuerunt, computatis ijs, quæ intra oppi- Vuitenber-
dum fuerũt, puellis, infantibus, & omnibus numeratis, ſcilicet genſis, anno
in ſuburbano piſcatorum atrocius ſæuijt, in ſuburbano no- 1527.
ſtro, nullum adhuc funus, licet omnia ibi ſepeliantur. Hodie
Tilonis Deni vxorem ſepeliuimus, quæ ferè inter brachia
mea expirauit heri, atque hoc primum funus in me-
dia vrbe, illa 18. funera circum me am Elſterthor habita
ſunt. Inter quæ & Barbara Soror Eberhardinæ veſtræ fuit
iam nubilis, id quod M. Eberhardo dices, ſed & Ioannis Gro-
nebergi filia perijt, Hans Lufft reſurrexit & vicit peſtem, ac
multi alij ſurgunt, ſi vtuntur medicina, ſed tam barbari ſunt
multi, vt medicinam contemnant & moriantur ſine cauſa.
Iuſto Ionæ filiolus Iohannes etiam defunctus eſt. Ipſe cum
domo profectus in patriam, ego maneo & neceſſarium eſt,
propter monſtrum pauoris iſtius in vulgo, Itaq; Pomera-
nus & ego hic ſoli ſumus cum Capellanis, CHRISTVS au-
tem adeſt ne ſoli ſimus, qui & triumphabit in nobis ſerpen-
tem illum antiquum homicidam & peccati artificem, Ioan. 8.
vtcunq; mordeat calcaneum eius. Orate pro nobis & vale,
Vuitenbergæ feria 2. poſt Aſſumptionis Mariæ. Anno M.D.
XXVII.

Saluta M. Eberhardum & omnes noſtros, & nos illis commenda. Schuermeri in me ſcripſerunt, libellos nondum habeo, Zuinglij autem Epiſtolam alteram ferocem ad me volebam mittere, ſed non erat ad manum.

Martiuus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Reſpondet Hauſmanno ſe quoq; præter virulentam Epiſtolam Zuingli nihil libellorum Sacramentariorum vidiſſe. Quantum terrorem modica peſtis Vuitenbergenſibus incuſſerit, ita vt Ionas & alii plurimi cum ſuis familiis abitione ſibi conſulere ceperint, narrat, Philippi reditum expectari, de fœlici ſucceſſu inſtitutæ Viſitationis in bonam ſpem ipſum adducit.

GRatiam & pacem in CHRISTO, qui febrim tuam iubeat deſinere, Amen. Optime frater, nec ego libros Sacramentariorũ vidi, mirorq; quod non aduehantur: Quamuis Zuinglius Epiſtola ad me miſſa, ſane quam feroci & minaci, ſignificet ſeſe reſponſum mittere, ſed non eſt cum Epiſtola redditum, inſanire eos dicunt qui legunt, quod facilè credo. Ionas abijt cum domo ſua in Patriam, metu peſtis, quæ licet ſit modica apud nos, incredibili tamen pauore omnium corda percutit Sathan, ita vt ego & Pomeranus hîc ſoli ſimus, & non ſumus ſoli, ſed CHRISTVS nobiſcum eſt, triumphaturus & protecturus nos in ſemetipſo aduerſus Sathanam, ſicut credimus & ſperamus. Philippum expectamus omni die, ſpes eſt Viſitationem facilè proceſſuram, iam per Viſitatores compoſita pulcherrima ordinatione, quam

Princeps

Princeps ęditurus eſt, vt nobis poſtea facile ſit conuenire & ordinare, quæ neceſſaria ſunt pro Eccleſijs. Hæc tibi in conſolationem ſcribo, & vt ores CHRISTVM quo dignetur ceptum opus perficere, in quo benè vale, Amen, feria 3. poſt Aſſumptionis Mariæ, Anno M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

M. IOANNI AGRICOLÆ.

Pro conſolatione & officio præcationis ad Deum gratias ipſi agit, & ſe non tam à Sacramentarijs exerceri, quam à Sathana ipſo magna ſpiritus imbecillitate tentari quæritur, in quibus tentationibus ſe conſcientia rectæ doctrinæ ſuſtentari gloriatur.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Gratias ago, mi Agricola, pro conſolatione quam dediſti, dum ſcribis Eccleſiam veſtram eſſe ſolicitam, & orare pro me, DEVS conſoletur & vos in tribulatione, Ego oro ne deſinatis me & conſolari & orare, quia inops & pauper ſum. Non quod Sacramentarij nos moueant, quorum furias nondum legi nec vidi, ſperoq; per CHRISTVM, me contemptorem fore eius Sathanæ, atq; adeo victorem. Ipſe Sathan per ſe, cum tota virtute ſua in me furit, poſuitq; me Dominus illi, velut alterum Hiob in ſignum, & tentat me mira infirmitate ſpiritus, ſed per Sanctorum preces, non derelinquor in manibus eius, quamuis vulnera cordis quæ excepi difficile ſanentur. Spes mea eſt, Agonem hunc meum ad multos pertinere, quanquam nihil eſt malorum, quod peccata mea non meruerint, vita eſt verò, quod ſcio & glorior me verbum CHRISTI,

purè & ſyncerè pro multorum ſalute docuiſſe, id quod Sathanam vrit, & vellet me vnà cum verbo ſubmerſum & perditum. Ita fit, vt à Tyrannis mundi nihil patior quidem, dum alij occiduntur, exuruntur & pereunt pro CHRISTO, verum eo plus à Principe ipſo mundi patior in ſpiritu. Per omnia benedictus DEVS, & Pater Domini noſtri IHESV CHRISTI, qui voluntatem ſuam ſanctam, & ô DEVS quam occultè bonam & placentē in me perficiat, Amen. Salutat te Ioannes Pomeranus, qui ſolus hîc eſt mecum vna cum Capellanis, ſed non ſumus ſoli, CHRISTVS & veſtræ preces & omnium Sanctorum ſimul cum ſanctis Angelis ſunt nobiſcum, inuiſibiliter, ſed efficaciter. Gratia CHRISTI vobiſcum, Amen. 21. Auguſti. M.D.XXVII. Martinus Lutherus.

AD IOANNEM AGRICOLAM Moderatorem Scholæ Eislebianæ.

Perſpicuè libertatē docet ſpetie aut prætextu charitatis Chriſtianæ non eſſe lædendam, & quamuis Infirmorum habenda ſit ratio, tamen in gratiam Tyrannorum nihil prorſus cedendum, vt libertas Chriſtiana vindicetur, illos enim non Infirmos iudicandos demonſtrat. De Viſitatione quæ ſpes ſit indicat.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Ea quæ de libertate conſcientiarum ſcribis, mi Agricola, recta & ſana ſunt, ita enim hactenus docuimus, quod Chriſtianus teneatur eam confiteri, atq; ſi cogant Tyranni contrarium, fortiter tueri: Liceat pro Infirmis, & qui nō cogunt, neq; impugnant, poſsit pro ipſis docendis & lucrifaciendis interdum omitti. Sicut Paulus circumcidebat Timotheū, vbi docendi erant Iudæi. ſed Titum non eſt paſſus circumcidi, vbi cogebatur. Et Pe-

trum reprehendebat, quod Gentes coëgit Iudaiſare. Cũm igitur Tyranni non hoc agant, vt tanquam infirmi diſcant, ſed vt ſerui Papæ & miniſtri Sathanæ extinctã volunt libertatem noſtram, ne pilo quidem eis cedendũ eſt, aut vllo puncto, ſed cõfidenter pronuntiandũ, ac cum Paulo proclamandum, ſi circumcidamini, CHRISTVS vobis nihil proderit. Ita ſi vnũ Iota Tyrannici præcepti admiſeris, totũ Chriſtum negaſti. Nec enim refert Chriſtũ in magno aut paruo præcepto neges, Idẽ CHRISTVS in magno & paruo eſt, quamuis libertas nõ ſit parua res, etiãſi in parua re verſetur, vt eſt eſca & potus & vxor, ſanguine enim filij DEI cõſtat et nobis parta eſt. Nihil eſt itaq; charitatẽ iactare, vt libertatẽ lædas, nã ſi hoc licebit charitati in libertatẽ, licebit idẽ in totũ Euangelion, quod etiã quærunt Tyranni, **Weñ der Teufel einẽ fingerbreit einreiſt/ſo reiſt ers gantz vnd gar vmb.** Reliqua tu latius & ſcripſiſti & noſti, hæc pro meo teſtimonio tibi addere volui.

De Viſitatoribus noſtris & eorum decretis agemus cum aderit Philip: nam hîc excudentur, quantũ intelligo ex Principe Electore, interim patientiã habeto, et diſputationes ſuper hac re coherceto, ne opus iſtud neceſſarium Viſitationis ante tẽpus & ante cauſam impediatur in curſu ſuo, CHRISTVS dabit vt oĩa rectè fiant. Mundus & ratio non capit, quã ſit cognitio ardua, Chriſtũ eſſe iuſtitiã noſtram, Ita operũ opinio nobis incorporata agnataq; & innaturata eſt. Commendo in preces tuas Euangelij & Eccleſiæ cauſam, ſimul & pro me orato CHRISTVM, vt roboret me. Saluta Elſam tuam & omnes, vltima Auguſti. M.D.XXVII. Martinus Lutherus.

MAR-

MARTINVS LVTHERVS IOANNI Secerio Typographo.

Exponit iuditium ſuum de translatione Poſtillarum, authore Martino Bucero, quem Spiritu Sacramentario infectum eſſe dolet. Recenſet autem ſua & aliorum doctorum Virorum ſcripta, quæ Sacramentariorum deliriis oppoſuerint, deſcribit autem proprietatem, argumenta & fundamenta Sacramentariorum, eaq; diluit & refutat, ſeq; manifeſtè illorum Aduerſarium confitetur, quos Chriſti blaſphematores & irriſores appellat.

Translatio Poſtillarum Lutheri.

GRatiam & pacem. Quod Poſtillam meam (vt vocant) in Tomos quatuor diuiſam, interprete Bucero, latinam factã ędis, mi Seceri, non diſplicet, quando vobis ſpes eſt, non nihil fructus eo libro alienæ linguæ hominibus prouenturum in CHRISTO, quod ardentibus votis opto. Placuitq; & adhuc placet interpres Martinus Bucerus, qui pro facili & parata ſua facundia ſatis dextrè fœliciterq; præ alijs, mea reddit latinè, quanquam alicubi vocabula & figuras meas non tenuerit, ſed hoc in pauciſsimis, ijsq; parui momenti locis, vt cum cætera conſtent, in his mihi quoq; veniam dem, parum fortè dilucidè locuto. Cæterum opus ipſum dignè abſoluit, ſenſu & verbis meis redditis, idq; hoc teſtimonio meo confirmo. Sed proh dolor in medijs his laudibus & laboribus (permiſſu DEI) lapſus eſt in monſtrum illud blaſphemum Sacramentarij ſpiritus, & donum illud facundiæ & intelligentiæ contaminatur, imò perditur peſtilenti illi veneno. Prioribus enim Tomis & piè & purè abſolutis, in quarto Tomo temperare ſibi non potuit anhelus ille & ſui ſenſus

M.B. Spiritu Sacramẽtario infectus.

propagan-

propagandi incredibili furore cupidus ſpiritus, quin præfatione dira & ſacrilega, tum annotationibus virulentis, meum opus crucifigeret: Ita vt non fuerint contenti miſeri homines ſuũ virus proprijs & iam infinitis libris ſparſiſſe, niſi & alienos libros eo veneno illito, perdant. Idem fecit & antea Ioanni Pomerano in ſuo Pſalterio inſigni perfidia, quem non ignorabat per Diſdiapaſon ab illa impia ſecta diſſentire. Sic nuper & mihi quidam inſanus Leopoldus fecit, ędito libello contendens Eraſmum, Lutherum, Melanchthonem, Pomeranum & totam Vuitenbergam cum illis ſentire, quid fiet nobis mortuis cum talia contingant viuentibus? Quis iam non ſuſpectos habeat omnium Patrum libros? ſcilicet hæretici illi eſſe non poſſunt ſine nobis: Nec mouentur quicquam (vt de me dicam) quod ante tres annos libro vernaculo ad Valdenſes de Adoratione Sacramẽti inter alios ſermones de Euchariſtia æditos, abundè teſtatus ſim, non modo quid ſentiam, ſed & ipſos Significatiſtas confutauerim, antequam vllus cogitaret eos futuros eſſe, idq; argumentis adhuc inuictis. Deinde acerrimo libello (ipſis etiam teſtibus) aduerſus Carolſtadium, anno proximo toti orbi notum feci ſenſum & dogma meum, necdum video vllum prodire, qui eum librum confutare poſsit, cum alioqui tam ſint verboſi vt libros pluere poſsint. Adhuc clamant, cur Lutherus tacet? cur ſuam ſententiam non prodit? Finge quæſo me mille libros ſcribere, quid promouero inter iſtos ſurdos & furioſos, qui nihil audiunt nec vident? Syngramma Sueuorum eſt in publico

Lutheri ſcripta contra Sacramentarios.

Sueuorum Syngrãma

lico quod à me laudari illis dolet, ſiquidem & in ipſo quod laudo meam ſententiam confiteor, nec hoc audiunt. Cupiebat Oecolampadius ipſum confutare, ſed non eſt alia cogitatione hoc aggreſſus opus, quam ſatis eſt contra ſcribere, argumenta diluere, non opus eſt: Vulgus deniq; nobis credet, contentum quod audierit librum eſſe contra illud ædi-

Buceri dilutiones.

tum. Niſi fortè hoc eſt argumenta diluere, quod Bucerus hac præfatione dicit, Mirabilia CHRISTI fuerunt talia vt cum diceret, Hoc eſt illud, mox ſenſibile quoq; fuerit, Ideo & CHRISTI corpus oportere eſſe viſibile in Sacramento, aut non eſt in Sacramento. Videlicet iſtis ludibrijs firmandæ ſunt conſcientiæ noſtræ in rebus DEI, ſuper verba clariſsima Scripturæ, Hoc eſt corpus meum. In Triuijs ridentur pueri qui ſic dialecticantur, aliquod animal currit, ergo omne animal currit, & tamen hic glorioſiſsimus ſpiritus triumphat ſecurè, dum ſic diſputat, aliqua miracula CHRISTI ſunt viſibilia, ergo neceſſe eſt omnia eſſe viſibilia, ita CHRISTVM ſedere ad dextram Patris, regnare, viuere

Sacramentarii ſpiritus proprietas.

agere, eſt falſum, quia eſt miraculum inuiſibile. His ſpiritibus credat doceri veritatem, ſi quem perire delectat, cum non, niſi manifeſtis mendacijs, ortum dogma ſuſceperint, mendacijs aſſerant, tum perfidia alienos libros corrumpendi propagent. Deinde dum optimè tuentur ſimilitudinibus, coniecturis, abſurditatibus & argumentis à Particulari ad Vniuerſale nituntur vitioſiſsimi Diſputatores.

ſputatores. Nullus verò anguſtias conſcientiarum noſtrarum clamantes dignatur audire, vbi dicimus, Clara apertaq́; verba ſunt CHRISTI: COMEDITE HOC EST CORPVS MEVM, hîc conſcientiæ (inquam) noſtræ captæ ſunt: Monſtrari cupimus locum, qui cogat noſtrum ſenſum in his verbis eſſe falſum, At hîc nemo hiſcit in tot libris eorum. Obijciunt nobis, carnem nihil prodeſſe, at hoc ſciebamus. Quærimus aliud, nempe de iſto loco, Hoc eſt corpus meum, obijciunt abſurdum eſſe, at hoc quoque ſciebamus, ſed aliud quærimus, obijciunt miracula viſibilia, & hoc ſciebamus. Quærimus aliud, ſemper aliud occinunt quam quod quærimus. Quærimus quæ? ipſi reddunt ble. Nihilominus iactant nos non prodire, neque eos confutare: Fateor, ſi multos libros ſcribere eſt dogma tueri, nimirum illi triumphant etiam ſuper totam Scripturam. Si autem dogma tueri eſt argumentis ſolidis pugnare, & conſcientias ſecuras reddere, verum eſt, illos nec dum vnam cepiſſe chartulam ſcribere. Hanc Epiſtolam mi Seceri, ideo ad te ſcribo, vt ſi æditurus es denuò Tomum illum quartum, omnibus modis eam præfigas vel ſubnectas, vt ſit Lectori in meo libro antidotum aduerſus Buceri præfationem, ea verò cauſa permitto, ædas Buceri verſam Poſtillam, quod (vt dixi) facilis ſtyli & dextrè vertendi dono, per bonitatē DEI pollet, vtinam gratus agnoſceret. Deinde, quod ea ipſa præfatione mihi teſtimonium perhibet, eſſe me vehementem aduerſarium ſuæ ſectæ, Lutherus Aduerſarius Sacramentariorum.

atq; vtinam per negotia liceret eſſe vehementiorem, quanquam velit rem videri leuiculam iſtam diſſentiunculam, deniq; citra fidei iacturam, ſic enim ſentit ille ſpiritus, Fidem non perdi, ſi CHRISTVS mendax in verbis ſuis blaſphemetur, quo argumento ſatis declarat, qua æſtimatione dignetur CHRISTVM cum toto ſuo regno. Nam cum vtrinq; CHRISTVM ſic & ſic diere contendamus, ſintq́; ea contraria, neceſſe eſt aut nos aut illos CHRISTO falſum & mendaciũ impingere. Sed CHRISTVM mendacem facere ſi hoc non eſt CHRISTVM negare & fidem eius blaſphemare, quid eſt tum CHRISTVM quæſo blaſphemare? tam acutè ſcilicet videt iſte ſpiritus, vt rem tanti momenti, pro re leuicula & innoxia habeat. Atq; hoc eſt quod ſemper dixi Sacramentarios illos hæreticos, habere CHRISTVM pro ludo, & ſeriò nunquam eſſe ab eis cognitum aut doctum, quantumlibet magnificè iactant Eungeliũ & gloriam DEI ſe querere. Pius non ſic quærit gloriam DEI, vt blaſphemari CHRISTVM ignoret, aut putet eſſe rem leuiculam. Verum ſatis admoniti ſumus: Qui perit, pereat. Mundus iamdudum contemptu verbi DEI meruit hanc iram DEI, ſectas vaſtratrices inducentis, ſicut Paulus prædixit, Mittet illis DEVS operationẽ erroris, vt credant iniquitati qui non receperunt dilectionem veritatis. Hoc verbum cepit impleri & implebitur, vt probentur electi & damnentur reprobi. Gratia DEI tecum. Idib: Sept: Anno M. D. XXVII.

[Margin: Blaſphemia Chriſti.]

[Margin: Sacramentarii Irriſores Chriſti.]

[Margin: 2. Theſſ. 2.]

Martinus Lutherus.

GEOR-

D. GEORGIO SPALATINO.

Excuſat Viſitatorum ordinationem, quam ſibi placere narrat.

GRatiam & pacem. Mitto hîc Exemplaria duo pro te & Eberhardo, vt videatis, Viſitatoribus noſtris non ſatis dignè referri gratias ab ijs, qui eos ita traducunt vobis, de induſtria quædam non correxi, ne videretur meum commentum. Si de his ſtatutis gloriantur aduerſarij, miſera eſt eorum gloriatio nec diu durabilis. Quin igitur ſinimus eos falſa & ſpe & lætitia (ſicut hactenus ſoliti ſunt) ſeſe ſolari, inflare, iactare, mihi ſatis placet iſta ordinatio. Nam cum nõ vbiq; ſint hactenus eadem ſeruata, ſed vnuſquiſq; pro ſuo ſenſu egerit, addiderit, dempſerit, fieri nõ poteſt vniformitas, niſi aliquibus aliquid addatur & dematur. Cum verò nemo ſit, qui ſua mutari ferat vlla parte, quid mirum, ſi querelæ & eiuſmodi iudicia vi oriantur contra Viſitatores? qui pro neceſsitate illorum aliqua mutarunt, vt ſumma tamen capita optimè ſtatuerent. Lege & probabis (ſpero) deinde ora quæſo pro me Dominum, vt Sathanam conterat. Peſtis noſtra mitis eſt, vt rumori vix decima parte reſpondeat, deniq; ſpero per CHRISTVM tollendam, Amen. In quo benê vale, Vuitenbergæ, M. D. XXVII. Vigilia Crucis. Viſit. Inſtructio.

Martinus Luther.

M. IOANNI AGRICOLÆ.

Ioannem Menſarium Agricolæ commendat, vt in Comitatu Mansfeldenſi cuidam Parrochiæ præficiatur, rumorem etiam de peſte Vuitenbergenſi Sathanæ artificium eſſe, vt ipſos vexet.

GRatiam & pacem in CHRISTO. En venit Ioannes Menſarius ille, de quo heri tibi reſpondi & promiſi me miſſurum, dabis itaq; operam vt Hederlebenſibus mittatur. Nihil præterea, quod ſcribam habeo, Peſtem noſtram ſuperat ſuus rumor longiſsime, quod facit fuga iſta & metus inauditus noſtrorum, ſic Satanas nos diuexat vbi morte non ſatis poteſt pro libidine regnare, metu mortis regnet, CHRISTVS conterat eum ſub pedibus noſtris, Amen. Ora pro nobis & vale in Domino cum Elſa & prole tua, omnibusq; noſtris, feria 5. poſt Lamberti. Anno M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

AD SEVERINVM AVSTRIACVM

Hortatur Seuerinum vt deſerat vitam Monaſticam, eiusq; obiectiones refutat & diluit.

DEI gratiam & pacem per CHRISTVM. Hîc verò, mi amiciſsime Seuerine, ipſe videris, quid agas, quem enim potius tibi conſiliarium in tanta admoueris cauſa, quam tuam ipſius conſcientiam? tibi omnia dicturam in aurem, quanti facere debeas primo Hieronymi ſententiam ad Heliodorum de Monaſtice, deinde tuam imbecillitatem, mox ſenem & inopem Patrem, deinde quanti habendum ſit, ſi etiam vulgus pro temeritate dixerit te veſtem DEO ignotam rejeciſſe, tum quæ vocatio ſit vera. Et rurſum annon maximo ſit ducendum periculo, quod contra conſcientiam toties tam impiè celebras, imò DEVM crucifigis CHRISTVM?

Quid

Quid enim hîc miſer diſsimules? deinde cur non potius pro impietate habeas, ſi diutus iſtic in iſta manſeris Babylone, quam temeritate, ſi exieris? Nam ſi latius me voles audire tecum loquentem, primò nihil prorſus tribuo hac in re Hieronymo, ſiquidem video, quamuis alioqui in aliquibus magnum virum, hîc tamen in monaſtice & in cœlibatu nihil penitus Chriſtiani fuiſſe iudicij, Nam qui auſus eſt monaſticen comparare Baptiſmati, totus inſanijt, & ſenſu etiam communi caruit, vt ſtipitem potius quam beſtiam dixeris talia garrientem. Quid? tu ne credas Hieronymo tam impiè contra DEVM loquenti, præcipienti ſtatim poſt ſeipſum parentes in ſummo habendos honore? Et tu potius Hieronymum audias, toties errantem, toties peccantem, breuiter hominem quam DEVM ipſum? I ergo nunc & puta, vt ſcribit Hieronymus, calcandos parentes, vt perrumpas in Eremum, deinde neq; imbecillitas hoc erit in loco, vt contra Dominum valeat, ſic enim ait Dominus Paulo in Corinthijs, Virtus in infirmitate perficitur. Sed ne Pater quidem inops pluris habendus fuerit, quam DEI gloria, noſti enim uerbum CHRISTI, in Mattheo & Luca, illum, qui plus parentes diligat, non eſſe ſe dignum, hunc non poſſe ſuum eſſe diſcipulum. Præterea ſi veſtem aliqui infœliciter reiecerint, ipſi viderint, Tuum verò, qui non adeo fortaſsis ignotum habes DEI verbum, quid aliud fuerit, quam nihilominus Hypocriſim Laruis iſtis, diutius ſuſtinere? etiamſi

I. Refutata ſententia Hieronymi.

II. Obiectionis refutatio.

III. Obiectionis dilutio.

etiamſi totus orbis hîc tibi contradixerit. Niſi enim me fal-
lunt omnia, ſola hic conſcientia tua peruincet totius orbis
terrarum iudicium, mihi imponi poterit, DEO autẽ καρδιογνώστῃ
IIII. nihil minus. Quod autem ad vocationem attinet, & ipſe
ſuaſerim, vt expectes Domini voluntatem, hoc enim erat,
quod nollem te acciri imò euocari ad hunc modũ, niſi vo-
luntate Domini, vocante populo, cui ſeruires miniſterio ver-
V. bi. Iam verò quod obijcis, nonne vel id ſolum, etiã te ipſo, ſiue
Obiectionis dilutio. volente, ſiue inuito, prodit te parum bona in Monaſtice con-
ſcientia, reuelato Euangelio, manere? Quid enim, tu ne ſacrifi
ces diutius, & interim, ſi DEO placet, prçco verbi diuini eſſe de
trectas? Quid queſo hîc tuta cõſcientia dixeris? Poſtea vides
Monachatus. pro qua temeritate poſsit haberi, ſi exueris Monachũ, à DEO
nunquam præceptum, nunquam deſtinatum, nunquam de-
ſignatum, nunquam deſcriptum. Lege Eſaiæ 29. Matth. 15.
Marc. 7. Illic enim videbis, quanti faciundæ ſint traditiones
humanæ, & tamen adhuc hæremus in tam ſordido luto. Hîc
igitur optarim tibi CHRISTVM prorſus benignum & illu-
ſtrantem, quicquid eſt adhuc iſtic tenebrarum, nam ſpero
nonnihil illuxiſſe ſplendoris diuinæ & voluntatis & beneuo-
lentiæ. In ſumma ſic ſentio, DEVM ante omnia inuocandum,
vt verbo & voluntati eius te totum permittere poſsis, ſic
enim credendo & tibi & Patri cõſulueris. Noſti enim locum
Cap. 16. in Actis Apoſtolorũ, Paulum Cuſtodi carceris interroganti
viam ſalutis, dixiſſe, Crede in Dominum IHESVM, ſic enim
& tu, & tota domus tua erit ſalua. Quid enim timeas vel te-
vel

vel Patrem fame moriturum, DEO credentem? Prius cœlum videris ruiturum, quam alimoniam defuturam credentibus, noſti enim promiſsionem CHRISTI locupletiſsimam, Matth.6. Primum quærite regnum DEI & eius iuſticiam, & omnia hæc adijcientur vobis. Quod ergo hactenus Dominus mihi dedit, orabo, vt te quamprimum liberet ex iſta Monaſtice, ipſiſsima Hypocriſeos larua fallaciſsima. Quid enim hîc blandiar? quid lactem? nonnè iuſsit CHRISTVS Matth.24. Quando videritis Abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto, prædictam à Daniele, tum ijs qui ſunt in Iudæa, fugiendũ eſſe in montes? Nonnè iam videmus abominationem illam deſolationis? & adhuc tamen dubites fugiendum iſtinc? Sed tamen ſeriò prius conſule Dominum, quam exieris Monaſtica. Niſi enim CHRISTO plus credideris dicenti, vt noſti, EGO SVM VIA, ET VERITAS, ET VITA, quam toti mundo, laterem (quod aiunt) lauero, etiam multo plura ſcripturus. Benè vale in Domino, & pro nobis ora. Curſim Dominica poſt Remigij. M.D.XXVII. 1. Octobris.

Promiſsiones Dei de alimonia.

Ioan.14.

T. Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Narrat ſe Hiſtoriam de exuſto in Bauaria Leonhardo Keiſer accepiſſe, eamq́; publicaturum, mouet etiam quærelas de ſuis aduerſariis, Eraſmo, Zuinglio & Oecolampadio, in fine adiicit quædam de ſua grauiſsima tentatione.

GRatia & pax. mi Michael, accepi literas tuas, ſimul cum Leonhardi Keiſers Hiſtoria, licet antea venerit alibi excuſa,

Hiſtoria Leonhardi Keiſers Paſſauii exuſti propter Euangelii Confeſsionem, anno 1527.

cuſa, tamen opera dabitur, vt ex tua excudatur denuò, quantum viſum fuerit. Eraſmus Viperinus duas Hyperaſpites vel Hyperaſpides potius in me peperit, ferè viperias & ſuperuiperias, tum Zuingel & Oecolampadius non ceſſant, ego videro, quid CHRISTVS ſit daturus in illos. Quando verò ſcribis meum libellum tibi eſſe ereptum non mitto, miror autem quis meum interceperit miſſum ad te, mitto verò Octonarium Dauidis. Nam ferè tres menſes langui non tam corpore quam animo, ita vt nihil aut parum ſcripſerim. Sic me Sathan cribrauit, tu ora pro me Dominum vt ſuſtentet me, ſicut & facit. Salutat te mea Ketha. Dominæ tuæ ex nobis multam dices ſalutem, Vale in CHRISTO, 8. Octobris. Anno M. D. XXVII.

Tentatio Lutheri.

Martinus Lutherus.

D. IVSTO IONÆ.

Ionam rectius nunc quam paulo ante de Eraſmo iudicare gaudet, nondum ſe planè eluctatum & à Tentationibus omnino liberum eſſe, ideo nec ſatis rectè adhuc ſe valere nunciat, & vt inſtet pro ſe orare hortatur, de peſte quid ſiat Vuitenbergæ narrat. Et predicat beneficium Dei mitigantis iſtam graſſationem. Iocoſa quædam addit in fine de Ioannello ſuo infantulo.

Eraſmus Vipera.

GRatiam & pacem per CHRISTVM. Gratulor tibi, optime Iona, de tua Palinodia, qua nunc tandem Eraſmum illum tuum ſuis pingis coloribus, Viperam illum Lætalibus aculeis reffertam rectè cognoſcis, quem ante multis nominibus predicabas. Gaudeo te ex vnius Hyperaſpiſtæ lectione tantum profeciſſe, & tuum de illo mutaſſe iudicium. Cumq́; ego

ego hanc Epiſtolæ tuæ partem legerem vxori, continuò illa inquit, Iſt nicht der teur Manne zur Kröten worden? Sihe da? gaudet & ipſa idem te nunc mecum ſentire de Eraſmo. Intelligis, mi Iona, rectè quidem ſenſiſſe, qui præceperunt neminem ante ſupremum diem laudandum. Sed hęc hactenus. Nondum reſtituit me Dominus priſtinæ valetudini ex integro, quin adhuc permittit me, iuxta cōſilium bonæ ſuæ voluntatis angelo Sathanæ vt me cædat & tentet, neq; tamen interim deeſt Dominus adiuuans & protegens. Acceſsit ante duos dies ſatis vehemens dolor gingiuarum (vt apparet) qui principio valde me diſcruciabat, ſed nunc remiſsius habeo, ne igitur ceſſes orare pro nobis Dominum. De peſtilitate noſtra hoc accipe, in hoſpitali nō plures quam quindecim hoc toto peſtilitatis tempore vita defunctos, cum ad centum omnino eò deducti ſint. Deinde ex quadraginta hominibus, quos Magiſter Bohemus ſub ſuam curationem accepit, ſolum ſex defuncti ſunt, Ita in media etiam morte apud nos Dominus liberator & ſalus. Nos integro animo & adfectu oramus DEVM & Patrem miſericordiarum, vt auferat à nobis hanc peſtilitatem, propter gloriam Nominis ſui, ne inimici noſtri lætentur de nobis. Neq; tu ceſſa orare, maximè cum hos videas orationis fructus, ex tanto ægrotantium numero tam paucos perire. Benè vale. Salutabis tuum Dictatiue, multis baſijs, vice mea & Iohannelli mei, qui hodie didicit flexis poplitibus ſolus in omnem angugulum cacare, imò cacauit verè in omnem angulum

Aduerſa valetudo Lutheri.

Peſtis Vuitēbergenſis.

miro negotio. Alioqui plura ad te mandaſſet, ſi otium illi fuiſſet, mox enim balneatus dormitum abiuit. Mirari deſines, quod de cacando ſcribo, aliàs de alijs ſcribam. Salutat te mea Ketha, & orare pro ſe rogat puerpera propediem futura, CHRISTVS aſsit. Vnum te latere nolo, vt videas orationes non eſſe vacuas. Bohemus ex XLVIII. patientibus tantum octo amiſit, in Hoſpitali verò tantum XV. funera fuerunt, toto peſtis tempore, cum vltra centum illati & ingreſsi illic decubuerint, vt videas CHRISTVM audire orantes. Hæc rata ſunt & vera, Ioh: Vueber iam in quintum diem ἄλογος deſperatus eſt, ſed Dorothea eius, quæ ſimul decubuit minore ſpe vitæ, incipit viuere & viuet. Saluta Ketham tuam & omnes. Sabbatho poſt Lucæ. M. D. XXVII.

Martinus Lutherus.

MICHAELI STIFEL.

Rurſus Leonhardi Keiſers Hiſtoriam ſe accepiſſe ſcribit, ac de ſua tentatione conquæritur, & implorat Stifelii preces & interceſsiones apud Deum pro ſe, tandem ludit in Aetimologia vocabuli Leonhardi.

GRatia & pax. Accepi, mi Michael, de Leonhardo Keiſer Hiſtorias, ſed interim ab ipſius Patruele etiam omnia ipſius Leonhardi manu ſcripta. Dabo igitur in lucem propediem, CHRISTVS adſpiret. Cæterum, tu pro me ora, qui ſatis à Sathanæ angelo colaphiſor, ne CHRISTVS me deſerat. O me miſerum, qui Leonhardo tam ſum impar, verboſus predicator illi tam potenti verbi operatori. Quis me dignum faciet,

Lutheri Tentatio.

ſaciet, vt non duplo, ſed dimidio eius ſpiritu Sathanam vincam & hac vita cedam? Benedictus DEVS, qui inter tot monſtra, ſaltem hoc vnum glorioſum ſpectaculum ſuæ gratiæ, nobis indignis oſtendit, ne in totum nos deſeruiſſe videatur. Ora pro me, frater Michael, CHRISTVS faxit, vt & Leonhardum imitemur, non ſolum rex, ſed Cæſar meritò appellatur, quia vincit illum, cuius poteſtati nulla eſt æqualis ſuper terram. Non ſolum Sacerdos, ſed & ſummus Pontifex & Papa verus, qui ſuum corpus ſic obtulit, in ſacrificium DEO gratum, viuum, ſanctum: Imò & Leonhard rectè dicitur, id eſt Leonis robur, certè Leo fuit Robuſtus & impauidus, omnia ſunt in eo fatalia nomina. Primus ipſe ſuæ familiæ cognomen conſecrauit & impleuit. Dominæ tuæ gratias agit, & ſalutat penè balbutiens Ioannellus meus, cui ego & Ketha mea precamur vt beata viuat in CHRISTO, vnà cum prole. Pomeranus te valdè amat & ſalutat. Vale in CHRISTO. Feria tertia poſt Lucæ. Anno M.D.XXVII.

Leonh: verus Cæſar.

T. Martinus Lutherus.

D. PHILIPPO MELANCHTHONI.

Optat Philippo liberationem à Cholicis doloribus, & diuturnam bonam Valetudinem, vt diu ipſum habeat ſotium pugnæ contra Sathanam. Carolſtadium nihil corrigi, & ad ſuos rurſus abiiſſe, fortaſsis alium ſibi quæſiturus nidum. De diſtinctione inter timorem Dei & pœnæ, quam aliqui faciunt diſſerit, Peſtem mitiorem factam nuntiat, operam ſuam in adiuuando labore Viſitationis pollicetur, & ſe grauiter tentatum & afflictum ſpiritu, ipſius & fratrum precibus commendat, eamq; calamitatem ſibi exaſperari à Zuinglio, Eraſmo, & aliis eorum ſimilibus quæritur.

GRatiam & pacem in Domino. Penuria Tabellarij iſtæ literæ apud me delituerunt, mi Philippe, donec per hunc D. Georgium ad te ferrentur. Quod Cholica te diſcrutiat, doleo, oroq; CHRISTVM quantum poſſum, vt te ſanet & ſeruet. Nam te ſuperſtitem mihi valde cupio in tantis perturbationibus Eccleſiæ, vt ſint aduerſus Sathanæ furores inæſtimabiles aliquot reliqui, qui ſe pro domo Iſrael muros opponant, in hoc die furoris Domini, viſitantis noſtram (ſicut dignum eſt) ingratitudinem. O Chriſte quænam erunt tempora futura, quorum tam ſunt horrenda principia? Carolſtadius à ſuo loco iam aliquot hebdomadas abeſt, ad ſuos profectus & nidum ſibi quærere creditur, vadat ſane ad locum ſuum, quando nullis officijs reuocari poteſt.

Philippi Melanchthonis Cholicus morbus.

Scribis te flagellari à quodam, quod pœnitentiam à timore Domini incipi docueris in Viſitatione veſtra. Scripſit ſimilia ferè Magiſter Eislebius, ſed ego pugnam iſtam verborum non magni puto, præſertim apud vulgum. Nam timor pœnæ & timor DEI, quam differant, facilius dicitur ſyllabis & literis, quam re & affectu cognoſcitur. Timeant pœnam & Infernum omnes impij, DEVS aderit ſuis, vt ſimul timeant DEVM cum pœna. Neq; fieri poteſt, vt ſine timore pœnæ ſit timor DEI in hac vita, ſicut nec ſpiritus ſine carne, etiamſi timor pœnæ ſit inutilis ſine timore DEI. Dando igitur timorem DEI, credo id agi, quod agitur docendo libertatem ſpiritus, vt hanc alij in ſecuritatem carnis, ita

Diſtinctio inter timorem Dei & timorem pœnæ.

ita illum alij in deſperationem ſeu timorem pœnæ rapiant. Quis verò illis reſiſtet?

Exaudit nos CHRISTVS, & peſtem noſtram mitigat miſericorditer ſatis, dabimus operam ſi Viſitatio veſtra nobis excudenda mittetur, vt quæ mones faciamus. Ora pro me miſero & abiecto verme, Triſtitiæ ſpiritu benè vexato, pro bona voluntate Patris miſericordiarum, cui ſit gloria etiam in mea miſeria. Gloria mea eſt hæc vna, quod verbum DEI purè tradidi, nec adulteraui vllo ſtudio gloriæ aut opulentiæ, ſpero quod qui incepit, miſerebitur in finem: Cum aliud non quæram aut ſitiam quam propitium DEVM, qualem ſeſe obtrudit, & ſuſcipi exigit etiam à contemptoribus & hoſtibus ſuis. Saluta omnes fratres, & orationibus eorum nos commenda. CHRISTVS qui docuit nos docere Euangelium ſuum aduerſus furentem Sathanam, idem faciat nos ſpiritu ſuo certo & liberali idipſum credere, & perſeueranter confiteri in medio Nationis iſtius prauæ & peruerſæ.

Peſtis mitigata.

Tentatio Lutheri.

Pſalm. 51. Philip. 1.

Zuinglium credo ſancto digniſsimum odio, qui tam procaciter & nequiter agit in ſancto verbo DEI. Hiſperaſpiſten nondum legi, & quid legam, qui infirmus CHRISTI vix viuam, nedum aliquid agam aut ſcribam, Itane omnes fluctus ſuos inducit ſuper me DEVS? Et illi qui debebant miſereri, etiam compunctum mortificant,

Pſalm. 42.

DEVS miſereatur eorum, & conuertat eos. Amen. Dominica Vigilia poſt Simonis & Iudæ. M.D.XXVII.

T. Martinus Lutherus.

DOCTORI IVSTO IONÆ. Northuſiæ latenti.

Quæritur rurſus de acerba ſua Tentatione, & nuntiat obitum Vxoris Georgii Capellani abortientis, deinde alia quoq; narrat de graſſatione & mitigatione peſtis, & priuatarum quarundam valetudine.

GRatiam & pacem in Domino. Quod ſcribam non habeo ſane, mi Iona, ego qui tempeſtate & puſillanimitate ſpiritus, ægrè ſpiro, penè fui perditus die Sabbathi, cum abortiret Vxor Georgij Capellani, ipſaq; mox ſecuta prolem obijt, duplici morte. Primum dolore puerpurij, deinde veneno peſtis intoxicatior quam intoxicatiſsima, nec CHRISTVS tunc vel lachrymas vel preces noſtras pro ea ſeruanda audiuit, conſolabatur vtcunq;, quod optimo fine, id eſt plena fide & ſpiritu, migrauit ad CHRISTVM. Concuſsis igitur omnibus pauore, Parochum cum ſua familia ad me accepi. Mea Ketha ad huc fortis eſt fide & ſana corpore. Iohannellus meus iam octiduo ægrotat, dubio morbo (vt ferè ſuſpicio huius temporis) tamen dentium violentia dicitur, & ita creditur. Poſt Capellani vxorem heri & hodie, nihil fuit funeris, CHRISTVS faxit, vt ſit finis iſte peſtis, in ſuburbano piſcatorum, iam quidem deſijt peſtis, incipiuntq; denuo nuptiæ ibidem, & repetunt ſua gaudia, ſed nihil eſt quod certi promittas.

mittas. Nam ante octiduum penè ceſſerat in ciuitate peſtis, vt vix ſingulis diebus ſingula eſſent funera, ſed ſubito mutata aura, intra biduum erant vno die XII. funera ſimul, licet infantes maxima pars. Auguſtini vxor decubuit octiduò & amplius, apoſtemate intrinſeco, nec aliud quam peſtem licet ſuſpicari, reualeſcit tamen. Margaretha Mochynna ſimiliter apud me adhuc decumbit, menſtrui dicitur eſſe morbus, ſed timetur eſſe peſtis, ſic ſi ſuſpitionem ſpectes, in peſte media verſor domi meæ, ſi rem verò conſideres, vita eſt & ſalus, licet tentata. Orationibus tuis nos volo commendatos. Dorotheæ maritus obijt, ipſa vtcunq; ſalua, licet apoſtema pertinaciter ſtet indomitum, neq; cedens neq; matureſcens. Ketha mea te ſalutat, & cauſatur cur non aduenias viſitatum nos, cum in finibus noſtris ſit pax. Salutat te Pomeranus hodie cacator purgandus factus. CHRISTVS nobiſcum. Amen. M. D. XXVII. feria ſecunda poſt omnium Sanctorum.

T. Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM HAVSMANNVM.
Epiſcopum Cygneæ Eccleſiæ.

Ceptam Viſitationem proceſſuram Hauſmannum ſperare iubet. Varia de peſte, de ſua tentatione in multos iam menſes, de periculo vxoris propinquæ partui, & de quotidiana ſua conſuetudine cum Pomerano nuntiat, ſeq; tentatum & ſuos omnes eius precibus commendat.

Viſitatio Saxonica.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Viſitatio cepta non relinquetur, mi Nicolae, quantum ego intellexi, ideo benè ſperemus, etiamſi loquantur aduerſarij quæcunq; voluerint. Nos hîc peſtem ſperamus finiri, licet variè nos ipſa vexet, aliquando ſæuit, aliquando miteſcit. Pauore vario tenemur, ego mea tentatione, deinde ſolicitudine pro vxore vicina partui, tu pro nobis ora. Peſtem in domo habui ter, filiolus plus octiduo ægrotauit, vt nihil ederet, ſolo potu alitus, vt deſperarem, nunc incipit melius habere. Ego tempeſtate & puſillanimitate ſpiritus, nunc multis menſibus angor, CHRISTO ſic volente, tu ora vt non deficiat fides mea. Ketha mea pro lineo panno emendo mittit neſcio quid pecuniæ, ego nolui te hoc opere grauare. Salutat te Pomeranus quam officioſiſsimè apud me habitans, non tam ſui quam mei cauſa, licet in Parochia peſtis Capellani vxorem tulerit, vt ſolatium ſolitudinis meæ ſit. Ketha etiam ſalutat te, & ſeſe precibus tuis commendat in CHRISTO IHESV. Vale chariſsime frater, feria 5. poſt omnium Sanctorum. Anno M.D.XXVII.

T. Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM HAVSMANNVM.

Epiſcopum Eccleſiæ Cygneæ.

Pro conſolatione, & quod Deus ſe in grauibus tentationibus ſuccumbere paſſus non eſt, ſed contra omnes Sathanæ inſultus conſeruauit, excelſo ſpiritu gratias agit, & vt orando inſtet Hauſmannum hortatur, vxorem ſuam parturire nuntiat.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO. Sic te rurſum conſoletur CHRISTVS noſter, mi Nicolae, vt tu me conſolaris. Ego quidem peccator gratias ago Domino meo, qui hactenus Sathanam non permiſit voluntatem ſuam in me implere, quantumuis miris & magnis viribus & aſtutijs, id quæſierit. Tu ora, vt in finem triumphet CHRISTVS in me aduerſus impetum eius. Ego ſanè ſuſpicor non gregarium aliquem, ſed Principem iſtum dæmoniorum in me inſurrexiſſe, tanta eſt eius potentia & ſapientia Scripturis in me armatiſsima, vt niſi alieno verbo hæream, mea ſcientia in Scripturis non ſit ſatis, quæ dico, vt eo magis pro me ores, & ſi quando caſus contingat, altitudinem Sathanæ (vt dicunt) noſſe poſsis. Ketha mea hodie dolores ſentire cepit parturientis, CHRISTVS aſsit, Amen. Dominica poſt Martini. Anno M. D. XXVII. Tentator Lutheri.

Martinus Lutherus.

DOMINO FRIDERICO ABBATI Norimbergenſi.

Offert Abbati Norimbergenſi ſua ſtudia & beneuolentiam, ac commendat ſe ſuis & aliorum piorum orationibus.

GRatiam & pacem in CHRISTO IHESV. Nimis magnifacis, mi Pater, meam erga te tenuitatẽ, vtinã liceret digna prȩſtare tãta tua gratitudine & charitate. Hoffmannus nõ acceſsit me, ſed Ihenæ ſubſtitit, miſsis ad me literis. Itaq; nõ ſatis capio, quid illi mandaris, vbi autẽ venerit, & mecum locutus fuerit, factũ habebis. Nam & ego nihil fecero libẽtius quã tibi

tuiq; ſimilibus viris in CHRISTO obſequi, ſi qua dignus eſſem & poſſem, non modo ob reuerentiam CHRISTI mei in vobis regnantis, ſed etiam ob neceſsitatem mei, vt veſtris precibus & fide adiuuer in meis Tentationibus. Commendo itaq; me tuis ſanctis orationibus & fratrum tuorum. Hæc breuia, feſtinatio vecturæ coegit abrumpere, aliàs DEO volente plura. Feria 5. poſt Eliſabeth. Anno M.D.XXVII.

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Sui ſilentii cauſam aſſerit hactenus fuiſſe ſummam illam ſuam Tentationem, ac Zachariam Prophetam ſe penè abſoluiſſe, ac peſtem Vuitenbergæ mitigam eſſe narrat.

Tentatio Lutheri.

GRatiam & pacem. En ſoluo ſilentium, mi Vuenceslae chariſsime, & quid mirum ſi ſileam, miſericordia DEI, quod viuo, corpore ſatis valeo, ſed ſpiritu quid ſim aut agam, ipſe neſcio certè. Quid agat mundus, Papa, Cæſar, Reges, parum curo, CHRISTVM ſuſpiro & gratiam eius in ſalutem. Vuolffgango meo certè mandaui, vt libros Bidiſſo mitteret & tibi quæ velles, & niſi impediat quod hac ipſa hora tradendæ ſunt hæ literæ, qua tuas accepi, iterum mandaui vt pararet. Quanquam tibi de nouo integram Geneſin arbitror miſiſſe, ac penè certus ſum, ſed iterum mitto vel mittam integrum Zachariam iam penè abſolui. Adhuc ſemel Suuermionibus reſpondeo, cum profeſsione fidei meę, Sathan agit & vellet vt nihil amplius ſcriberem, ſed ſecum ad inferna

D.M.Luht: Confeſsio magna de Cœna Domini.

deſcende-

deſcenderem, CHRISTVS conculcet eum, Amen, & tu pro me ora mi frater. Apud nos peſtis nulla eſſet, niſi fama ſparſa nos peſte laborare infamaret, ſic mititer CHRISTVS mirabiliter agit nobiſcum, in hoſpitali plus minus 15. defuncti ſunt cum vltra 100. illati ſint ægrotantes, puerorum maior eſt pars morientium. Vxor mea vicina partui eſt, ora pro ea. Vale in Domino fœlix cum tuis. Feria ſexta poſt Eliſabeth. Anno M.D.XXVII.

AD M. EBERHARDVM BRISGER Paſtorem Aldenburgenſem.

Pro conſolatione gratias agit, vt ſedulò pro ſe tentato oret, hortatur, magno & confidenti ſpiritu ſeſe ipſum in acerrima Tentationis lucta erigens & confirmans. Deinde obitum filioli Brunonis, & ſocero Briſgeri natum filium, ſuam verò vxorem partui propinquare nuntiat.

GRatia & pax in CHRISTO IHESV. Conſolaris me per literas tuas, mi Eberharde, pro qua re gratias ago. Dominus rurſus te conſoletur in tempore oportuno, ſed adde & hoc vnum, vt pro me ores ſeriò ad Dominum, quoniam infirmus ſum, ne CHRISTO deſtituar. Scio opus mihi eſſe tentatione, vt humilier, & DEVS in me glorificetur, ſed ne ſuccumbam. Verè credo, Sathanam in me furere, nam multa in ipſum feci, & dixi & ſcripſi, ſed ſolamen eſt, ſi fortiter credo ea ipſa placuiſſe Domino & CHRISTO eius. Ita & ego inter iſtos duos aduerſantes Principes medius Victor, & miſerrimè collidor. Verum adhuc ſpero quod CHRISTO

Tentationis vſus & in ea ſuſtentatio.

meo placeam, etiamſi multa feci & facio, quæ Sathanæ ſunt. Ipſe enim miſericors eſt & ignoſcit, quæ autem in Sathanam pecco, pro CHRISTO facta, non me pœnitet, nec veniam ab ipſo peto, cum ſit homicida & mendacij pater.

Ad orationem confugiendum in Tentatione.

Orationibus igitur tuis & fratrum me commendo, eo magis, quo tu ipſe intelligis ſeriò me peti à Sathana, incredibili ira & furore ſæuiente, id quod valde ſentire cogor. Mirum quam ſeſe transfiguret in CHRISTVM ipſum (vt angelum Lucis taceam) omnes vires ſuas in me exercet, vt perdat, CHRISTVS autem adhuc fideliter ſeruauit, qui & ſeruabit vſq; in finem, ne glorietur hoſtis in viribus ſuis, Amen. In quo benè vale cum tua Margaretha. Brunonis filiolus etiã abijt, Socero tuo natus eſt filiolus Ioannes, cui ego Compater factus ſum. Ketha mea partum expectat omni hora. Ora pro nobis, Vxor Auguſtini reualuit, feria 4. poſt Katharinæ. M.D.XXVII.

Martinus Lutherus.

DOCTORI IVSTO IONÆ.

Quod Ionas ſibi ipſum in precibus ſuis commendatum habet, gratus hoc agnoſcit officium, & ſolicitudinem ſuam de eius valetudine viciſſim oſtendit, ſuadetq; nonnihil vt cum remiſiſſe videatur peſtis, Vuitenbergam redeat. In adiuncta Scheda, ſe alterius Capellani Ioannis vxorem in Ionæ domum recepiſſe, & quam ob cauſam, quaq; conditione, hoc fecerit, indicat.

GRatiam & pacem in Domino. Quod pro me oras, mi Iona, faciſq; id ſedulo, facis rem neceſſariã mihi miſero

CHRISTI peripſemati, viciſsim pro te oro ex animo, vt tui miſereatur CHRISTVS, nam audio, iterum te grauiter conflictatum eſſe cum calculo. Ego pene conſulerem, ad nos vt redires propediẽ, nam peſtis noſtra CHRISTO fauente, mitior facta eſt, populares certè noſtri, nuptias repetũt, & quaſi victa peſte ſecurè agere incipiũt. Deinde regio tua, poſt Ignatij vxorem & Ioannẽ Dorotheæ Maritum pene pura adhuc conſiſtit, vſq; ad Parochiam & forum, Dominus conſulat tibi, vt facias quod illi placet & tibi cõmodet, Amen. Saluta Ketham tuam & Iuſtulum. Auguſtini vxor reſurrexit. Margaretha Mochynna ſi euadet, euadet difficulter, ſperamus tamen vitam, decubuit plus minus 7. Hebdomadas, auditu priuata ægrè loquitur. Ketha mea omni hora partum expectat, CHRISTVS faueat, Amen. Vigilia Andreæ. M.D.XXVII.

Martinus Luther.

Domum tuam adhuc puram (ſicut & totam illam regionem Coſuuicen: habemus, vnde ego tibi abſenti hoſpitem cõſtitui alterius Ioannis Capellani vxorẽ cum liberis, eo quod mulier iſta nimis cõſternata ſociæ amiſſæ deceſſu, vt aliter ei prouideri non poſsit conſolatio, ipſi tamen Capellani ambo in Parochia manent & dormiunt. Tu igitur vide, vt hanc meam neceſſariam audatiam in res tuas graſſantẽ boni conſulas, hac tamen fide, vt ſi peſtis illic quoq; aliquem ex illis inuaſerit, mox ad Parochiã ſim reuocaturus. Sic te CHRISTVS domo Northuſiæ augeat, dum tua hîc fruimur in neceſsitatẽ iſtã. Brunoni noſtri filiolus hodie vix viuet, ſic agoniſat infans pupillus. Vale in CHRISTO.

D. IV-

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, D. IVSTO MOENIO.

Gratulatur Mœnio ob infantem nuper natum, ac caſum Sacramentariorum deplorat,& ſuam Apologiam ſub prælo eſſe affirmat.

Sacramentarii.

GRatia & pax. Gratulor nunc tibi denuò parenti, ſi prior gratulatio feſellit, DEI tamen non fallit. Mihi quoq; terribile exemplum eſt iræ DEI, poſſe tantos viros ſic labi, vt iſtas Sathanæ ineptias pro ſalua veritate arripiant, ſeruet nos CHRISTVS, quis crederet tantam eſſe poteſtatem Principis tenebrarum? Sed furor iſte curret ſuum curſum, donec DEO placuerit. Apologia tua iam ſub prælo eſt, neſcio qua cauſa diſtulerit eam Typographus. Vale in Domino. M.D.XXVII.

Apologia Mœnii.

Martinus Lutherus.

DOMINO IVSTO MOENIO.

Mittit Mœnio ſuum libellum contra Doctorem Klingum, Minoritam Erffordienſem, & contra Perſecutores verbi eum conſolatur, fore enim vt Deus quoſdam Electos ſibi conſeruaturus ſit in Erphordia.

Kling Minorita Erphordienſis.

GRatia & pax. Venit hic Bibliophorus afferens tuũ commentarium aduerſus Klingum tardius quidem, ſed ſic fieri oportuit. CHRISTVS ſuam gloriam apud vos ſuſcitabit, (ſpero) per hanc ſui ignominiam, quando nihil glorificatur DEI, quod non prius crucifigatur in mundo, niſi Erphordia ſit, quæ meruerit verbo recens nato & contempto ſpoliari, verum mihi bona polliceor, ac meliora ſpero, quod in hac Corintho multos ſibi habeat CHRISTVS electos, ideo ſic furit & formidat Sathan, eripi illos ſuis faucibus. Has literas

(rogo)

(rogo) Iacobo Koch, in foro Piſcatorio zum Wolffen, reddi curato, Gratia DEI tecum. M.D.XXVII.

Martinus Lutherus.

D. IOANNI BRENTIO FIDELI Eccleſiaſtæ Hallæ in Sueuia.

Ex animo gratulatur Brentio conſtantiam in docendo ſyncerè verbum Chriſti, & pro hoc immenſo beneficio Dei gratus lætatur, orans Chriſtum vt in illo ſyncero ſpiritu concordes conſeruentur. Carolſtadium reuocatum nondum redire in viam, & ſe deſperare de ipſius emendatione, de graſſatione peſtis, de ſua acerba tentatione, deq; vana Zuinglii iactantia, in fine pauca adiungit.

GRatiam & pacem in IHESV CHRISTO Domino noſtro. Oſtendit mihi Spalatinus chariſsimus meus, literas tuas ad ipſum datas, quas cum gaudio certè legi, mi Brenti, videns gratiam DEI in te habitantis per CHRISTVM filium ſuum, qui tam conſtans & ſyncerus verbum CHRISTI ſerues & doceas, in medio iſtius prauæ nationis atq; peruerſæ. Benedictus DEVS & Pater Domini noſtri IHESV CHRISTI, qui in tot malis quibus circumdor ſaltem aliquot fratres verum & legitimum ſemen Iſrael videre concedit, alioqui non niſi monſtra vndiq; & furiunt & ſæuiunt. Carolſtadium in ſinu hactenus alimus officioſè ſatis, ſpe bona quod eſſet rediturus in viam, at miſer homo de die in diem magis induratur, & tamen ſilere cogitur puſillanimitate, etiam ſuum Tuto adhuc tuetur, quamuis reprobatum etiam à ſuis. Tanta eſt ira ſi quis ſemel verbum DEI impugnauerit, CHRISTVM oro,

Brentii laus.

Carolſtadii induratio.

vt te & fratres tuos nobiſcum ſeruet in ſynceritate & ſimplicitate ſua, vſq; ad diem gloriæ ſuæ, Amen. Has literas, (quamuis lubenti & ſpontaneo) extorſit tuus Spalatinus, vt & literis ſcribendis tuam familiaritatem mihi parem, qui ſpiritu & vnanimitate ſumus (gratia DEI) coniunctiſsimi. Ora autem cum fratribus tuis, vt hoc gaudium CHRISTVS plenum & perpetuum in nobis efficiat. Salutat te Pomeranus vnicus ſocius meus, abſentibus alijs metu peſtis. Commenda nos paſsim me & miſerū peccatorem Eccleſiæ tuæ, nam Sathan ſolutus in me, machinis ſuis mihi CHRITSVM eripere tentat priuatim, poſtquam videt publicè & profeſſione verbi ſe nihil poſſe mihi eripere. Miror quid hominis ſit Zuinglius, qui tam rudis ſit Grammaticæ & Dialecticæ, vt taceam alias artes, & tamen ſic audet iactare victorias, gloria iſta properat in ipſo ad confuſionem. Tu chariſsimum meum gaudium & Corona mea in CHRISTO, cum Magiſtro & Domino quam optimè vale, cum fratribus omnibus. Torgæ apud Spalatinum. M.D.XXVII. quarto Calendas Decembris.

Tuus ex animo Frater
Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM HAVSMANNVM.

Nomine vxoris ſuæ gratias agit pro officio emptionis linteorum Kemnicenſium, ſe denuò Domino benedicente ex vxore ſua filiola auctum. Peſtem Vuitenbergæ omnino ceſſaſſe, ſe verò tentatione non-

dum

dum planè liberatum, vt igitur pergat pro ſe orare & agoniſare rogat. Formam Ordinationis Eccleſiaſticæ, item Zachariam & confutationem Sacramentariorum pollicetur.

GRatiam & pacem in Domino. Agit gratias Ketha mea tibi, vir optime, pro ſtudio & officio tuo, quo illi Lintea Kemnicia procuraſti, peperit verò mihi Filiolã Eliſabeth 10. Decembris, CHRISTO ſit laus & gloria, Peſtis quoq; apud nos omnino ceſſauit, DEO Patri miſericordiarum ſit gloria. Nam neq; Medicis neq; Capellanis quicquam fuit hac hebdomada negotij cum ægrotis, nec vllus ægrotat vſpiam. In Hoſpitali duo nouiſsimi & reliqui conualuerunt quoq;, nam plus 14. ſolebant ſimul ibi decumbere, itaq; toto peſtis tempore in ipſo Hoſpitali vix 15. defuncti ſunt, cum longè vltrà centum illati ſint ægri, & tanto numero ſimul decubuerunt, ſic miſertus eſt noſtri CHRISTVS. Ego quidem tentatione mea nondum ſum liberatus, nec liberari cupio, ſi eſt gloria DEI mei, Saluatoris ſuauiſsimi, Amen. Tamen ne deſinas pro me orare, & agoniſare in iſto agone ſane acerrimo cum Sathana Principe potentiſsimo, offendi eum multis libris, hoc eſt, quod furit, ſed furiat in CHRISTVM, qui potius offendit eum, per me infirmiſsimum vaſculum ſuum. Vale mi frater in CHRISTO cum omnibus noſtris. Ordinationem Eccleſiaſticam Dominus prouidebit propediem, Ego Zachariam dabo iſtis Nundinis Lipſenſibus, poſtea ad miſſas Franckfordianas alterã cõtra Sacramentarios & ipſam nouiſsimam confutationem, CHRISTVS modo aſsit nobis, Amen. Sabbatho poſt Luciæ. M.D.D.XXVII. T. Martinus Lutherus.

Tentatio Lutheri.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, D. IVSTO IONÆ.

Vxorem ſuam filiolam peperiſſe, & quomodo aliæ quædam fœminæ valeant, nuntiat, ſe nondum ex Tentatione eluctatum quæritur, Hiſtoriam de tragico interitu D. K. narrat. In ſuo nuper habito conuentu, diſſenſionem quorundam Theologorum ita eſſe compoſitam, vt etiam ſuſpitio omnis de ea ſit ſopita, Gratulatur ipſi dolores calculi mitigatos, & ad ſe eum inuitat, vt coram videat, omnem metum peſtis in toto oppido Dei beneficio eſſe ſublatum, Michaeli Northuſiano cognitionem veritatis Euangelicæ quoq; gratulatur, in qua vt creſcat ac perſeueret precatur, cur non ſcribat Duci Georgio ad præfationem ſuam in Teſtamentum Emſeri, ſicut conſtituerat ſecum, cauſam exponit. Poſtremo multa commemorat ſigna mitigatæ peſtis, in appoſita ſcheda noua de Cæſare, Papa, Gallo, Anglo, Venetis & Turca nuntiat.

GRatia & pax. Hac hora decima regreſſus domum à lectione, tuas accipio literas, quibus ad decem verſus lectis, ædita mihi ſimul hoc ipſo momento filiola nuntiatur, ex mea Ketha, gloria & laus Patri in cœlis, Amen, ſana ſed ægra puerpera. Sed & filiolus Ioannes ſaluus & lætus eſt, Vxor Auguſtini quoq; valet, deniq; Margaretha Mochynna mortem inſperato euaſit. Quinq; porcos pro his dedimus quos amiſi, CHRISTVS ſolatium noſtrum faciat vt peſtis iſto cenſu cõtenta deſinat. Ego ſum qui ſum hactenus, ſcilicet vt Apoſtolus, quaſi mortuus & ecce viuo. De Emſero & Deutleben ſimilia nobis quoq; dicta & ſcripta ſunt. De K. longa eſt fabula, ſumma, octo vulneribus concidit vno tantum læthali, cõſcientia dicitur agitatus negati CHRISTI, hoc eſt, vtriuſq; ſpeciei porrigendæ, alij addunt & conſilij dati ad

Filiola Lutheri Eliſabeth nata.

Tragicus interitus cuiuſdam D.

Georgij

Georgij Hallenſis ſiue necem ſiue pulſam. In cubiculo ſuo ſolus, & ſeris obfirmatis, pecunia ſua numerata, & in quos vellet vſus diſpoſita ac deſcripta, mane cum à filia vocaretur ſolito more, recuſauit venire & admittere, interrogatus num quid deeſſet? reſpondit, all̄zuiel. Hora Prandij iterum vocatus non reſpondit, fractis autem foribus, ecce indutus Caligis & diploide, iacet in gradibus lecti mortuus iuxta pugionem, ſed nullis vulneribus apparentibus præter vnum in iugulo, exutus autem in pectore & latere reliqua exhibuit videri. Quis ſcit, ſi extremum pœnituerit, quando ſic ſanus & compos perijt? Famoſa diſſenſio noſtra Torgæ, penè plusquam nihil fuit, hoc vnum quod tu ex Eislebio accepiſti proponebatur, moxq; ſedabatur, atq; per omnia conſenſimus pulchrè, deniq; excudetur propediem tota illa Viſitatio. Maximum quod fecimus erat, quod ſumptu Principem onerauimus, optimum autem quod factum eſt, quod ea diſsidij fama vel ſuſpitio ibi ſepulta eſt, DEO gratia & gloria, proinde quod nihil ad te ſcripſi de iſta tragœdia, fecit, quod adeò nihil eſſet & contempta haberetur. Tui calculi tyrannidem gaudeo mitigatam, vellem, vt ſaltem ſolus huc venires ſpatiandi gratia, viſurus quam peſtis nihil facta ſit, DEO gloria. Nam in Hoſpitali modo duo reliqui ſunt, qui & ipſi valeſcunt benè, in ciuitate nihil eſt cum vllis infirmis aut medico aut Capellanis negotij, magno ſigno, peſtē deſijſſe. Saluta quæſo honorificè hoſpitem tuum & meum Michaelem, cui non credis, quanto gaudio gratuler, donatum eſſe,

Diſsidium cum Eislebio, an pœnitentia ex Euangelio ſit docenda?

Peſtis Vuitēbergenſis mitigata.

vt verbo faueat, CHRISTVS augeat & perficiat hoc donum ſuum in illo ad gloriam ſuam, Amen. Dicito quoq;, cogitaſſe quidē me ſcribere Duci Georgio compaſsionis literas, quod indigniſsimè ferrem, Principis ſui nomine tam impudenter abuſos eos qui ſub ſua vmbra viuunt. Nam ſi ſuo Principi illi parcere noluiſſent, ſaltem cōmuni Saxonici nominis honori & generi, parſum oportuit. Neq; enim delector ſed deteſtor, etiam hoſtis, mei Principis nomē tam turpiter & fœdè cōſpurcari ignominia ſempiterna iſtius præfationis. Sed Emſero extincto, tum ipſo Principe Georgio ægrotante, muto conſilium. Capellanus Iohannes ſeceſſum è domo tua molitur, ac reditum in Parochiā, Pomeranus ſuæ vxoris apud me partū expectabit. Reuertuntur paulatim ſtudentes, tum ipſe D. Hieronymus ad Natalia aduentum parat, ſi ſtabit vt ſtat modo peſtis, CHRISTVS cōgreget nos in vnum, Amen. Nuptiæ apud nos certè crebreſcunt, in ſuburbano Piſcatorum, penè bimeſtri nihil de peſte aut morte auditū eſt. Dominus ſeruet ac reddat te nobis cum omnibus tuis breui, Amen. Saluta mihi Iuſtulum & Matrem eius cui ſcribo. Gratia DEI vobiſcum, Amen. 10. Decembris. M.D.XXVII.

Cur Duci Georgio & Embſero non reſpondeat.

Mors Emſeri.

T. Martinus Lutherus.

Apud nos fama eſt, Cæſarem cum Papa & Gallo in gratiam rediјſſe, qua & Anglus & Veneti includi putantur. Turcam verò maximam expeditionem parare, incertum an in Apuliam vel Hungariam, ſi in Hungariam, certè metu Germaniam concutiet & Ferdinandum fugabit.

FINIS ANNI M.D.XXVII.

SVO

SVO IN DOMINO CHARISSIMO FRAtri Othoni Bruſſelſio, ſeruo CHRISTI.

Gaudet Lutherus ſcripta Ioannis Huſs, Chriſti martyris ædi in publicum, ac vult iſtius Sanctiſsimi viri reliqua ſcripta quoq; publicari.

GRatia & pax in CHRISTO. Nihil eſt quod ſuſpiceris mi Otho, me non agnoſcere officium & affectum tuum in me, agnoſco ſane, ſed impar ſum & indignus tali cultura. Gaudeo Ioannē Huſs verè Martyrem CHRISTI, noſtro ſeculo prodire, hoc eſt, rectè canoniſari, etiāſi rumpantur Papiſtæ. Vtinam dignum ſit nomen meum cui talis vir dedicetur, & ſub quo publicetur, tantum à laude mei abſtineri velim. Alioqui, DEI gratia, eò progreſſus iam longo maledictorum audiendorum vſu, vt iuxta æſtimem benedictiones & maledictiones in hac vita. Accingere ergo, & quod reliquum eſt, ſub Solem proferto, vt plenè canoniſetur. Nihil habeo quod moneo, vnum te oro, vt me CHRISTO precibus commendes, miſerum hominem: in quo plurimum vale. Plura ſcribere non licuit, ſic diſtrahor. Vale & ſaluta omnes noſtros, 17. Octobr. Anno M. D. XXIIII.

Hæc Epiſtola nuper mihi cōmunicata fuit, igitur anno 1524. non eſt inſerta.

Ioannes Huſs martyr Chriſti.

ANNVS CHRISTI M. D. XXVIII.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Mittit quandam Philippi Melanchthonis Epiſtolam de Melchiore Hoffman, de Marquardi teſtimonio ſibi ſuſpecto ſuum ſcribit iudicium. Triſtia noua ex Heſsi literis cognoſcenda mittit, & noua de Turcica expeditione nuntiat, ſe tentatum ipſius precibus comendat.

GRatiā & pacē in CHRISTO. Has Philippus ad te ſcribit, mi Amsdorfi, credo ſeſe purgans tibi neſcio de qua cauſa, Melchior

Melchior ille Hoſman ad me miſit quaternionem à te æditum, cum ſcholijs in te. Sed Marquardus ſic teſtimonium de eo ſcribit, vt mihi totus ſit ſuſpectus, multis modis, etiam vanus, vix quieturus, niſi malum ſibi conciliet, monebo vbi potero, vt ſibi caueant ab illo. Noua peſsima ex literis Heſsi volo te legere, ſic furit Sathan, argumento certo quod verbum noſtrum ſit DEI verbum, quo ſic offenditur furor eius. Turca dicitur reditum in Hungariam parare maxima expeditione fuſurus ſanguinem, etiam Germanorum vt timeo. Remitte Heſsi chartulam incluſam. Vale, & pro me perdito vaſe ora, ne deficiat fides mea, ſicut ego præſumo te orare, Feria 2. poſt Natiuitatis CHRISTI. M. D. XXVIII.

Expeditio Turcæ in Hungariã.

T. Martinus Lutherus.

DOCTORI IVSTO IONÆ.

Expoſtulat cum Iona, quod cum peſtis planè deſierit, aliiq; ciues reuertantur, ipſe domum redire cunctetur, & ſe Dei admirando beneficio ſuperſtites & ſaluos eſſe predicat. Nuptias cuiuſdam puellæ nuntiat, pro ſe tentato ſedulò orare iubet.

GRatiam & pacem. Nec dum redijſti, mi Iona, quod miror, cum ita ſit peſtis mortua ac ſepulta, vel viſitares ſaltem tribulatos, noſtris ſcilicet expenſis. Redeunt turmatim qui fugerant, ciues fere omnes, cras etiam Magiſtratus aderunt, deniq; Academia breui aderit, vt Philippus ſcribit. DEVS eſt miſertus noſtri ſatis magnificè & mirificè, vt declararet orationes noſtri Euangelij ſibi valde placere, quantumuis ſimus ipſi peccatores. Margaretha Mochynna ex morte ipſa

redijt

redijt planè deſperata, vt quæ nec audiret nec ſaperet amplius, Fratrem in Segren pro ſe obtulit, deniq; omnes valemus. Et Ketha mea cum Filiola Eliſabeth valet, quæ te valdiſsime ſalutat, ſed magis valde te adeſſe cupit cum tota familia ſaluum. Hannam à Sala deſponſauimus heri, die Circumciſionis Veſperi, ſi voles, nuptijs adeſſe licebit, nubit autem cuidam Petro Sacerdoti ex Halla, bona & honeſta familia, in qua et Paſtor Dreſden: Petrus, hoſtis verbi, proximus cenſetur. Ego corpore ſanus, animo quantum CHRISTVS iuuat, qui tenui filo ex me, & ego ex illo, pendemus. Sathan autem potentibus, rudentibus & adeò Camelis ex me pendet ad profunda trahens, ſed CHRISTVS infirmus, per veſtras orationes, adhuc ſuperat vel ſaltem pugnat fortiter. Igitur pergite & infimum illum CHRISTVM efficite fortem precibus veſtris, vt ſua impotentia frangat potentiam imò ferociam Sathanæ. Vindicate me in illius ſuperbia confundenda, qui vos vindicaui in illius ſapientia & aſtutia reuelanda, ſed omnia & omnes in CHRISTO & ex CHRISTO. Vale ſaniſsimè in CHRISTO. Saluta illum Dictatiue, & omnes tuos ac citò redi & veni. Vuitenbergæ Dominica poſt Natiuitatis CHRISTI. M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Narrat ſibi natam Filiolam, ſeq; magna ſolicitudine liberatum ne grauida coniunx peſte inficeretur, ac de irruptione Turcici exercitus eum

certiorem reddit,vultq; ſedulo pro ſe tentato orari. Exhortatur quoq; Oſiandrum vt ſcribat contra Sacramentarios,ſeq; per Epiſtolam Anabaptiſtas prouocare oſtendit.

GRatiam & pacem in Domino. Dedit mihi Dominus Filiolam,& me ſimul ſolicitudine illa liberauit, qua prægnanti vxori miſerè metuebã, ne peſte inficeretur, ſicut fieri ſolet,& multis hîc contigit. Nam intra parietes erat peſtis mecum,ſed Dominus prohibuit,& in porcos meos illam miſit. Noua nulla,niſi quod Turca erupturus dicitur maximo belli apparatu, Deus diſsipet eos qui bella volunt, Amen, ſicuti ſpero futurũ. Pro me vide ne deſinas orare, & mecũ certare in agone meo, Dominus itidem tui miſerebitur tẽpore ſuo. Oſiandrum ſalutabis, & hortaberis vt fortis ſit in ſpiritũ Sacramentariũ,Ego quoq; iam ſecundo in illos vehor,& Anabaptiſtas prouocabo Epiſtolio prҽludij vice,CHRISTVS aderit. Peſtis deſijt gratia DEI, & vbi Academia reuerſa fuerit,alia CHRISTVS dabit operari. Plura ſemina in hortũ meũ curabis, varia quæcunq; poteris, nam ſi vixero hortulanus ero. Vale & Filiolam oſculare,& matrem eius amplectere in odium Sathanæ qui nos perſequitur. Dominica poſt Natiuitatis CHRISTI. M.D.XXVIII. Martinus Lutherus.

Matth. 8.

IACOBO PROBST PASTORI Eccleſiæ Bremenſis.

Agit gratias quod pro ſe tentato ſolicitus fuerit & orauerit, ac erudit eum de furoribus Anabaptiſtarum,deq; ſui filii ægritudine,& natiuitate Filioli D.Pomerani eum certiorem reddit. Significat etiam ſe ſecundo ſcribere contra Sacramentarios, & parare Epiſtolam aduerſus Anabaptiſtas.

Gratiam

GRatiam & pacem in Domino. Gratias ago quod pro nobis eſtis ſoliciti, mi Iacobe, id enim & neceſſarium eſt nobis, vt veſtris orationibus nos iuuetis in tanto furore Sathanæ circum circa frementis. Secta noua Anabaptiſtarum mirè creſcit magna ſpecie viuentium, magna audacia per ignem & aquam morientium. Filiolus meus mortuus erat ſed reuixit, nam 12. diebus nihil edebat, ſolo potu deſperatè ſuſtentatus. Auxit me Dominus Filiola. Sacra & vigella peſtis quę nos hactenus pauore mortis vndiq; circumdedit ceſſauit DEI miſericordia. Pomerano quoq; filius natus eſt Iohannes. Valemus autem omnes præter Lutherum ipſum qui corpore ſanus, foris à toto mundo, intus à Diabolo patitur, & omnibus angelis eius. Ego ſecundo & vltimo in Sacramentarios vaniloquos ſcribo, propter ſimpliciores, nam mihi ne vnum quoddam Argumentum ſoluit volatilis ille ſubdolus ſpiritus. Anabaptiſtas quoq; Epiſtola breui prouocabo, propter eosdem ſimpliciores. Ora diligenter pro me, mi Iacobe, Ketha mea te ſalutat cum coſta tua. Pomeranus quoq; in CHRISTO tibi precatur omnia bona, Saluta noſtros omnes. Vigilia Circumciſionis. M. D. XXVIII.

Secta Anabaptiſtarum

Filiolæ Lutheri Eliſabethæ natiuitas.

Sacramentarii & Anabaptiſtæ.

T. Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Spem de fœlici ſucceſſu Viſitationis facit, ac ſignificat ſe denuò contra Sacramentarios & Anabaptiſtas ſcribere, narrat etiam quædam de bello Turcico.

GRatiam & pacem in Domino. Spero Viſitationem noſtrorum propediem typis tradendam, deinde CHRISTVM ei benedicturum, vt ſalutaris ſit multis, Amen. Ora pro me, vir in CHRISTO, ſicuti facis, vt fortis ſim in fide aduerſus Sathanam & ſuos miniſtros. Ego ni Schuermerios Sacramentarios ſecundo & nouiſsimè ſcribo, ſimiliter & primò in Anabaptiſtas, Sathan furit incredibiliter, ſentiens ſe modicum tempus habere, CHRISTVS conterat eum citò ſub pedibus noſtris, Amen. Nihil noui hîc eſt, niſi quod Turca dicitur maximo apparatu in Hungariam redire, Dominus diſsipet Gentes quæ bella volunt, Amen. Salutat te Pomeranus noſter & Ketha mea officioſè. Vale in Chriſto cum omnibus noſtris, Vigilia Circumciſionis. M. D.XXVIII.

Apparatus Turcicus.

Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM HAVSMANNVM.

Oſtendit ſententiam ſuam in caſu quodam matrimoniali, ac de inſtituenda Ordinatione ipſi ſpem facit.

GRatiam & pacem in CHRISTO IHESV, mi Nicolae, frater in Domino. Meo iudicio puella iſta, de qua conſulis, ſi omnino recuſat nubere illi cui Pater promiſit, nubere poſsit priori cui ipſa promiſit, ſi Parentes cõſentiant: Debent autem Parentes conſentire, in bonum filiæ, nec bona con- »ſcientia poſſunt cogere, licet ſtricto iure poſſunt, quia iura »debent charitati cedere. Ordinatio ipſa parturitur, ſpero fructum per Chriſtum prouenturum, quod orationibus omnes

Caſus matrimonialis.

nes debemus promouere. Salutat te D. Pomeranus, ora pro nobis, in CHRISTO benè vale. Torgæ 2. poſt Conuerſionem Pauli. M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Probat iudicium ipſius de Martino Cellario. Noua de conſiliis inſidioſis ſacrificulorum Papæ in conuentu Ratisbonenſi nuntiat, ſe infirmum ab ipſo viſitari cupit.

GRatiam & pacem. Gaudeo te Martinum Cellarium vidiſſe, & nunc legiſſe quoq;, mi Amsdorfi, ſciebam te id iudicij ſuper illum habiturum. Furit Sathan in illis, vt nihil certi ſapiant aut cogitent, quo & alios inquietet per illos, Chriſtus ſeruet nos, Amen. Nihil hîc nouarum rerum, niſi quod Clerus Papæ mira moliri dicitur & creditur in futura die Regensburg. Oremus pro illo conuentu Dominum, vt fortunet conatus & conſilia bonorum. Sed quare tu non aliquando viſitas nos infirmos & miſeros fratres? Dominus tecum, Amen. Sabbatho poſt Purificationis, Anno M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Mittit Epiſtolam ſuam contra Anabaptiſtas. Brunſuicenſes petere verbi miniſtros, Viſitationem & ſuum Antiſuermerum ſub prælo eſſe nuntiat, Ipſius precibus ſe commendat.

GRatiam & pacem in Domino. Mitto contra Anabaptiſtas ſeu Catabaptiſtas Epiſtolã tumultuariè ſcriptam, aliàs ſc: occupatus, fortè ſi eſt aliquis in eis Dux prouocatus irritabit me ad diligentiorẽ ſcriptionem, iſta interim fruentur ſimpliciores & pij. Noua nulla nobiſcum, niſi quod Brunſuicenſes incipiunt petere verbi miniſtros tam Senatus quam vulgus. Viſitatorum Inſtitutio ſub prælo eſt, ſicut & Antiſuermerius meus. Ora pro nobis Dominum, vt miſertus noſtri ſeruet nos aduerſus Sathanæ furias, & me præſertim tuis habeto precibus inſertum. Vale cum Heua tua in Domino, feria 4. poſt Purificationis. Anno M.D.XXVIII.

Brunſuicenſis vrbs amplectitur Euangelium

Martinus Luther.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Facit mentionem ſuæ Epiſtolæ aduerſus Anabaptiſtas, ac quendam in gratiam recipit, qui Lutherum offenderat, poſtea de ſubrogando Paſtore in Parochiam Schletanam agit, ac indicat acta Viſitationis breui in lucem proditura. Tandem arguit inſolentiam cuiuſdam Concionatoris Zuickauienſis.

GRatiam & pacem in Domino. Aduerſus Catabaptiſtarum ſectam ædidi Epiſtolam, mi D. Nicolae, quam credo te vidiſſe, fortè aliâs plura prodibũt. Dipontio illi meo nomine dicito pacem & gratiam, ſi quid peccauit obliuiſcatur: Nam & ego oblitus ſum iamdudum, vt ne meminerim quidem, quid enim tam diu de me dubitat? Cohortaturus erã Balthaſarem iſtum noſtrum, vt miniſterium in Schleta ſuſciperet, ſed vicit me rationibus, cum eſſet ſine pertinatia inuentus. Nam cum aſsint qui & idonei ſint & egeant, cur non aliquem

aliquem ex illis potius vocari liceat aut libeat? Præſertim cum hic Balthaſar & ſua & vxoris cauſa grauetur ſuſcipere, faciendum igitur puto, vt liber eat quo velit, alio in locum ſubrogato. Viſitatio ſub prælo eſt, qua ſpero fore vt omnia in melius formentur. Concionator tuus malè apud nos audit, quaſi contempta authoritate tua, & fiducia applauſus popularis inflatus nimium audeat & inſoleſcat, ſcribo de hac re & Senatui & illi ipſi, ſcribo & tuæ D. Vide igitur vt placidè doceat, ac vitia ſine tumultu arguat, ne ſi vos negligatis, nos cogamur Principis inuocare manum contra illum & ſuos. In me deriuabo culpam, ſi vos non audetis, & apud Principem agam vt ab vrbe alienetur, niſi ſanius incipiat agere, vt quid enim turbas mouet in medijs turbis, & ignem igni adijcit? Leges hæc & dices meo nomine, ſcilicet rigidè & apertè, ac cum fidutia in me eius furorem irritato, & te excuſato, quia ex te non habeo, quod ſcribo, & miror, cur tam diu tacueris. Vale in CHRISTO mi Reuerende in CHRISTO vir. Salutat te Pomeranus noſter ſuauiter, feria 2. poſt Dorotheæ. Anno M.D.XXVIII.

Inſolentia cuiuſdam Concionatoris Zuicſauienſis.

T. Martinus Lutherus.

AD PAVLVM LINDEMAN CONcionatorem Eccleſiæ Cygneæ.

Adhortatur Lindemannum vt ſumma cum modeſtia miniſterium verbi apud Zuicſauienſes adminiſtret, nec ſeditionem aut turbas moueat, vel ſe Principis auxilium imploraturum, vt compeſcatur eius furor.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO Domino noſtro. Rogaui te, mi Domine Paule & antea per literas, vt verbum DEI cum pace doceres,& abſtineres à perſonis & omnibus his,quibus vulgus moueri ſolet ſine fructu. Nunc denuò mihi triſtis & inamabilis de te fama nuntiat, quæ nollem,nec ſolum fama, ſed & literis ſuis M. Stephanus Roth, licet obſcurè: Tamen tantum ſignificauit,quantum ſatis eſt ad mouendam meam ſolicitudinem, quæ vt in paucis malis omnia mala ſuſpicatur, ita & omnia tuta timet. Summa cum ſic doceas,vt integros & pios viros non leuiter offendas,ſatis magnum argumentum eſt, te non rectè ad Euangelium incedere, ſed vel turbam vel ſectam ad tuam gloriam ſpectare.Deniq; de Sacramento tam frigidè te docere, & quod ipſe à communione tam diu abſtines, quem non moueat merito,ne fortè quid monſtri alas?

Incogitantia & præcipitantia cōcionandi

Proinde mi frater, te iterum rogo per Chriſtum IHESVM, „ vt animos auditorũ potius ſedes quam concites, & charitatē „ ac pacē inter omnes alas,ſatis eſt quod Sathan turbas & ſeditiones mouet, ne nos etiã arma exhibeamus ſuo furori,cui ſummis viribus reſiſti oportuit. Noſti tuorũ Ciuiũ ferociam, & licentiam plusquam ciuilem,vt hactenus experientia docuit,quid igitur ignem igni adijci opus eſt? Hæc ſcribo quod ſperem te charitatis admonitionem benigno animo excepturum eſſe, nec infructuoſam paſſurum, ne ſcilicet cogamur Principis(per ſeſe ſatis occupati) authoritatem & manum ſemper & in omnibus noſtris rebus implorare, quod

nec

nec tibi ſalutare,nec nobis glorioſum foret, etiamſi neceſsitas cogeret.Dominus IHESVS det tibi ſpiritum ſuum,vt facias quæ placita ſint ei,Amen. Vuitenbergæ die Scholaſticæ. Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Ex variis monſtris colligit impendere diem Redemptionis piorũ, optat etiam impediri Ferdinandum, ne ad Comitia imperialia citò veniret, gratulatur quoq; Vuitenbergenſes à Peſte ac ſe à Sathana ipſum colaphiſante,liberatos eſſe. Inſuper contra Sacramentarios & Anabaptiſtas ſe ſcripſiſſe refert, & admonet vt à duobus profugis de Vuelſen ſibi caueant.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Vbiq; & vndiq; monſtra, mi Vinceslae, vt ſperem ſic furente Sathana diem Redemptionis piorum impendere. Vellem Ferdinandũ Regem in Hungaria differri,ne ad Comitia venire poſsit. Nam præſtat impediri comitia quàm fruſtrà conueniri, aut Pontificum conſilia tractari, quod vnicè ſemper agunt, neglectis cauſis Reipublicæ,ſua quærũt ſtabiliri,CHRISTVS eis reſiſtat.Gratias ages D.Lazaro pro ſeminibus miſsis.Nos peſte liberati ſumus DEI gratia. Meus Sathan, orantibus vobis, aliquando eſt mihi tolerabilior. Perge verò & ne ceſſes pro omnibus nobis orare. Contra Anabaptiſtas meum libellum credo te iamdudum accepiſſe,& Leonhardi Keiſers Martyrium,Antiſuermer:meus ad Nundinas Franckfordienſes exibit CHRISTO fauente. Saluta nobis D. Oſiandrum & om-

Comitia Ratisbonenſia anno 1528.

nes fratres in Domino. Michael Stifel mihi refert duos ex Auſtria de Vuelſen prope Lintz expulſos ad vos confugiſſe, qui in faciem Catholici, ſed in dorſum virulenti Sacramentarij ſint. Rogauit itaq; te admonerẽ, vt ſi adhuc apud vos eſſent, ab ipſis caueatis, eosq; obſeruetis diligenter. Gratia DEI vobiſcum, Amen. Die Mathiæ. M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Cur Viſitatio hactenus in lucem non ſit ædita, cauſam oſtendit, ac de ingenua reſponſione Concionatoris Zuicſauienſis gaudet. Tandem recenſet minas ſacrificulorum de Comitiis Ratisbonenſibus, vult autem ardentes fieri preces pro iſtis comitiis, vt pax & tranquillitas aliqua in Imperio Romano conſtitueretur.

GRatiam & pacem. Nondum fuit abſoluta Viſitationis æditio mi D. Nicolae, differentibus rem Typographis penuria papiri, circa Lętare abſoluetur. Quod tu de Domino Paulo tam benè ſcribis, ſimul & ipſemet ſic reſpondet candidè, miro me affecit gaudio, CHRISTVS faciat, vt vno animo & vno ore glorificemus Patrem in gloriam ſempiternam, Amen. Nihil apud nos noui, niſi ingentes minæ ſacrificulorum ſpe futuri conuentus Ratisbonæ, Tu fac vt cum Eccleſia tua ores diligenter pro Principibus Germaniæ, ſi quando DEVS det eis gratiam, vt non ſemper ita conueniant fruſtraneo ſumptu, ſed cogitent aliquando pro pace & iuſtitia ſicut oportet. Tot Comitia breui vidimus, & nihil fructus percipimus, ſic eos & nos deſerente DEO, & impediente

diente cuncta Diabolo cum angelis ſuis. Vale in Domino & ſalute Paulum Euangeliſtam tuum in Domino, cum omnibus fratribus. Altera poſt Matthiæ. M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Illuſtris Epiſtola eſt, docens tyrannis aperta & libera confeſsione ſine fuco aut ambiguitate ſermonis eſſe reſiſtendum.

GRatiam & pacem. Fruſtra actum eſt, quicquid hactenus in cauſa E: egimus, mi Spalatine. Nam reſponſio eorum per amicos Duci oblata, hoc habet, facturos, ſcilicet eſſe E: quicquid Principi Georgio, non quod Deo placuerit. Sicut hoc voluit Sathan, dum verſum iſtum per tyrannum linea ſubnotatum, expungi iuſsit, & illi conſenſerunt. Nec dubium eſſe poteſt. Quin tyrannus intelligat & credat E: in totum reuocaſſe & negaſſe, quicquid hactenus crediderint, ſicut & verè negatum & reuocatum eſt, Quis enim ferat, prohiberi hanc clauſulam? Wie ſie hoffen vnd trawen zu Gott/ das es Gott gefellig vnd jrer Seelen ſeligkeit ſein ſol/ Et mox addi, Es ſol ſ.f.g. nicht misfallen. Sic homo præfertur DEO. Et habet Dux Georgius quod voluit. Huc pertrahit illos, amicorum illa ſapientia & fideles conſiliarij. Ego ſanè ignoro, quid nunc conſulam. Res eſt peiore loco quam ante fuit. Læſa & irretita eſt conſcientia eorum, quod valdè doleo. Quia tuta fuiſſet, ſi rectà & liberè tyranno ſtatim ab initio reſtitiſſent, quam dum media quaſi via incedere volentes, vtrinq; gratiam DEI & hominum tenere tentant,

Hæc Epiſtola apta eſt ad calida conſilia Adiaphoriſtarum, quibus fallere conabantur Imperatorem & ipſi fucũ facere.

vtrumq; ſimul amittant. Et neceſſe eſt reduci cauſam, vt tyrannus aperta & retecta iſta amphibologia reſponſionis, intelligat, E. non conſentire eius voluntati, pro negando vel reuocando verbo Chriſti. Quod quomodo faciant, neſcio, ſi non in ius cum eo vadant, vel venditis ſubſtantijs teſtentur, ſe non voluiſſe, quod Tyrannus ex reſponſione eorum eos credit velle. Luditur enim quaſi vafricia ſenſus eius, dum aliud audit & aliud illi intendunt, quod eſt contra Chriſtianam & ſimplicitatem & veritatem. Hæc cum illis conferre tu quoq; potes, & de conſilio cogitare, Vale in CHRISTO, Amen. Sabbatho Eſtomihi. M. D. XXVIII.

Libera confeſsio Chriſtianorum.

T. Martinus Lutherus.

VENERABILI IN CHRISTO, VVILHELhelmo Praueſt Paſtori in Kilone Holtzatiæ, fideli & ſyncero Seruo CHRISTI in verbo.

Purgat ſe de ſcandaloſis ceremoniarum mutationibus, ſe authore iſtas non fieri, nec ſe probare, ſed abſente ſe per quoſdam Sciolos multum eſſe mutatum, & ſuum de ceremoniis iudicium quaſq; adhuc in Templis retineant exponit, à Melchiore Pellifice vt ſibi caueant hortatur.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Scio, mi frater in Domino, ſub prætextu Euangelij plurima ſcandala patrari, & omnia mihi imputari, ſed quid ego faciam? nemo eſt illorum qui ſe non putet centuplo me doctiorem, nec me audiunt. Nam mihi cum ipſis magis eſt bellum quam cum Papa, & magis iſti nocent: Ego ſane nullas ceremonias damno,

Scandalum propter abrogatas ceremonias.

damno, niſi quæ pugnant cum Euangelio, cæteras omnes in Eccleſia noſtra ſeruo integras. Nam Baptiſterium ſtat, & Baptiſmus (licet vernacula lingua fiat) habet ſuos ritus ſicut antea. Imò & imagines permitto in Templo, niſi quas ante meum reditum furioſi fregerant. Sic & Miſſam in ſolitis veſtibus & ritibus celebramus, niſi quod vernaculæ cantiones quædam miſcentur, & verba conſecrationis loco Canonis vernaculè proferimus, deniq; Miſſam Latinam nequaquam volo ſublatam, nec vernaculã permiſiſſem niſi coactus. Summa, nullos magis odi, quam eos qui ceremonias liberas & innoxias exturbant, & neceſsitatem ex libertate faciunt. Libertas ceremoniarũ. Proinde me excuſare potes, ſi meos libros legis, non placere iſtos pacis Perturbatores, qui ſine cauſa deſtruunt, quæ ſine culpa manere poſſunt, Ego innocens ſum ab ipſorum furore & tumultu. Nam nos habemus, DEI gratia, Eccleſiam quietiſsimam, Templum liberum & integrum, ſicut antea, niſi quantum eſt ab Carolſtadio ante meum reditum turbatum. A Melchiore Pellifice velim cauere vos omnes, ac curare apud Magiſtratus, ne ad conciones admittatur, etiamſi literas Regis oſtentet, à nobis enim receſsit indignabundus, dum non voluimus eius ſomnia probare. Ad docendum neq; valet neq; vocatus eſt. Hæc dicito nomine meo omnibus veſtris, vt ipſum vitent & tacere cogant. Vale & ora pro me, & cõmenda me fratribus. Sabbatho poſt Reminiſcere. M.D.XXVIII. Melchior Pellifex Anabaptiſta.

T. Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI,

DOMINO GABRIELI DIDIMO Paſtori Torgenſi.

Gratulatur Venetas recepiſſe doctrinam Euangelii, nec vult ſe moueri Torgenſiũ ingratitudine Significat, autem & Vrbem Brunſuigum complecti Euangelium & deſideraſſe operam D. Pomerani, Narrat triſtem interitum cuiuſdam Blaphemi Capellani Hallenſis. Poſtremo ait diſputationem Bernenſem finitam eſſe, ac Zuinglium ibi victorem extitiſſe, cui breui interitum vaticinatur.

GRatia & pax. Lætus audio de Venetis, quæ ſcribis mi Gabriel, quod verbum DEI receperint, DEO gratia & gloria, Nec te Cochlearia Torgenſia moueant, audiui ego certo & credo, Venetijs plures eſſe Caminos, quam & Erfordiæ ſint Cochlearia, cum multas domos habeant 10.20.30. & plures Caminos. Rurſum tibi nuncio quod & Brunſuuigum verbum recepit, Scripſitq́; Senatus cum Plebe, poſtulans noſtrum Pomeranum, ſed negatum eſt, forte alium petent. CHRISTVS faciat gloriam ſuam creſcere, Halli iterum ſubita morte percuſſus eſt Capellanus Monialium feria cinerum, quod vtriuſq; ſpecie Sacramentũ equiti à Seluuitz porrectum, dixit, Taſchen Gott eſſe ei porrectum. Nec ſic permouentur furioſi & blaſphemi. Bernæ in Heluetijs finita Diſputatio eſt, nihil factum niſi quod Miſſa abrogata, & pueri in plateis cantent ſe eſſe à DEO piſto liberatos, Zuuingel illuc à mille viris ductus & reductus eſt, Triumphator & Imperator glorioſus, cuius finis perditio & confuſio in breui veniet. Oremus modo diligenter, Sebaſtiano Kamermeiſter

Brunſuuigũ amplectitur Euangeliũ.

Zuinglius Victor in Diſputatione Bernenſi.

dices

dices ſalutem,& me recipiſſe quod miſit. Vale cum tuis omnibus & Cappellanos ſaluta & libros quos vellent, mandent â me peti, Vuitenbergæ Sabbatho poſt Inuocauit. Anno M. D. XXVIII. Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Suum aduentum nuntiat,& cum ob itineris difficultatem citius vt conſtituerat,venire non poſsit,Principi ſe nunc excuſari cepit,comites itineris indicans.

GRatiam & pacem. Hac hora Bornam veni,mi Spalatine,frigore & fame (vt alia taceam) penè rigens.DEVS? quantum itineris peſsimi hauſimus,contra ſpem tamen promouimus hoc biduo reptando potius quam proficiſcendo, licet certo propoſueramus apud te hodie cœnare. Hæc ſcribo,vt mox his viſis,me exuſes Principi. Nam literas vocatorias nocte ferè ſecunda primum accepi. Et feſtinatum eſt, quantum fieri potuit,ſed difficultate itineris,venti & frigoris vltra non potuimus.Cras,DEO volente,apud te ientabimus. Mecum eſt Pomeranus & Ionas ſocij itineris,ne ſolus eſſem. Vale in Domino.Bornæ hora quarta Ieiunus adhuc. Anno M. D.XXVIII.feria 4.poſt Oculi.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Reſpondit ſe Pauli Miniſtri EccleſiæZuicfauienſis cauſam exaſperatam, in aula diligenter expediuiſſe,ac cum periculum dimiſsionis illi impendeat, monet Hauſmannum ne cum ignominia eiiciatur, ſed vult eum Hauſmanni teſtimonio adiutum, vt ſuo Miniſterio vel fungatur vel honeſte dimittatur.

Gratiam

GRatiam & pacem. Cauſam Pauli diligenter quantum potui egi, nam inueni eam ſatis exaſperatam. Ac ſpero futurum, vt mitius ſentiant, præſertim ſi ipſe Paulus deinceps (vt monuimus) temperatius egerit. Hoc enim vrſi, vt ſi omnino demittendus eſſet, non expediret dimitti cum tanta confuſione, ſed etiam Miniſterij ratione habita, cum honore vel ſponte eius, dimitti debere. Nunc in te ſitum eſt, primum vt hominem moneas temperatè agere, deinde vt ſicut cepiſti, teſtimonio tuo eum non deſeras. Nam tuo teſtimonio (qui Paſtor es) ualde nititur mea actio & tota cauſa, ne ſcilicet, abſq; tuo iudicio & conſenſu, cum rubore expellatur, ſed ſaltem tam diu feratur, donec vel publico conſenſu emendatus probetur, vel ſponte loco ceſſerit cum dignitate. Vale in Domino & ora pro me, Torgæ feria ſecunda poſt Lætare. M.D.XXVIII.

Præſtantia Miniſterii. N. B.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Rurſus de negotio Pauli miniſtri Eccleſiæ Zuickauienſis ſcribit, cui cum ex aula periculum immineat, vult eum ſub iſto prætextu, quaſi ſtudiorum gratia Vuitenbergam ad Lutherum ſecedere velit, honeſtè dimitti.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Sic vrgetur in aula res & cauſa Pauli veſtri, mi Nicolae, vt mihi conſultum videatur, ſi bona oportunitate potes, illum dimittas liberum. Auxerunt ſuſpicionem, quod noſtri Chriſtianus & Scriba Senatus teſtantur, Paulum coram eis ſuam cauſam malè

defendiſſe ac fermè iuſtificaſſe M. Proinde tutiſsimum eſt, aliò cauendi gratia Paulum dimittere, & ad Vuitenbergam ad tempus (quaſi ad me) ſecedere: Nam timeo, ne quid ex aula durius tentetur in noſtros ciues. De alijs aliâs, hæc feſtinus & occupatiſsimus, Torgæ feria 3. poſt Palmarum. Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

AD STEPHANVM ROTH CIVItatis Cygneæ Scribam.

Hortatur Stephanum Roth, vt maritali authoritate ſua vtatur, in coercenda pertinaci malitia & inobedientia vxoris ſuæ, ad gloriam Dei, & diſtinctionem tradit inter infirmitatem muliebrem & malitiam.

GRatiam & pacem in CHRISTO, cum authoritate in vxorem tuam. Nondum venit ad me Domina & hera tua, mi Stephane, quæ ſua inobedientia erga te mihi ſatis diſplicet. Deinde & tibi incipio ſub iraſci, quod mollicie animi tui è ſeruitute Chriſtiana, qua illi debes prodeſſe, tyrannidem ei paraſti & hactenus aluiſti, vt iam tua quoq; culpa eſſe videatur, quod illa ſic audet in te omnia. Certè quando ſentiebas aſinum pabulo laſciuire, hoc eſt, vxorem indulgentia & obſequio tuo ferocire, oportuit te cogitare, DEO etiam oportere te plus obedire, quam vxori, hoc eſt, ne permitteres maritalem authoritatem, quæ gloria DEI eſt, vt Paulus dicit, ab ipſa contemni & conculcari. Satis enim eſt eatenus exinanire hanc gloriam DEI, vt ſerui formam accipiat, ſed nimium eſt, eam prorſus tolli extingui, & nihil fieri. Proinde vide vt

Laſciuia vxoris quomodo refrenanda.

vir ſis, & infirmitatem vxoris ſic feras,ne maliciam foueas, & dum nimium ſeruis, gloriam DEI, quæ in te eſt,in honores,exemplo ſatis periculoſo.

Infirmitas & malitia diſcernẽda.

Facilè autem diſcernere eſt, infirmitas ne ſit an malicia, Infirmitas feratur,malitia coërceatur, Infirmitas ſecum habet promptitudinem diſcendi & audiendi, ſaltem ſemel in duodecim horib,Malitia pertinaciam habet reſiſtendi & perſeuerandi. Vbi verò ſentit malitiam pro infirmitate à te intelligi,quid mirum ſi peſsima fiat?& iam tua culpa Sathanæ feneſtram aperis, in miſero vaſculo pro ſua libidine te irridendi & irritandi,& omnibus modis vexandi.

Vir prudens es, & Dominus dabit vt intelligas quæ loquor, ſimul ſenties quam ex animo tibi & illi conſultum Diaboloq; repugnatum vellem.In CHRISTO benè vale.Die Paſchæ.M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Significat Spalatino, Paulum Zuicfauienſem honeſtè dimiſſum iri, ac illi commendat Cappellanum Vuitenbergenſem, illiq; ſuam ſententiam & iudicium exponit de tribus Lunis in aere conſpectis.

GRatiam & pacem in CHRISTO.In cauſa M.egi & verbis & ſcriptis,mi Spalatine,vt ſperem Paulum inde dimiſſum iri,quando aliud remedij reliquum nihil video. Qui tibi has reddit noſter eſt imò CHRISTI frater pius & ſyncerus, quem noſti.M.Georgius,Eccleſiæ noſtræ Diaconus, quod ſi nouitates noſtras ignoras (quod non credo) narrabit tibi.

Lunas

Lunas tuas tres non interpretor, quia non ſum Propheta, niſi quod Lunam ſuſpicor eſſe inferiorẽ politicarum rerum figuram, & portendere aliquorum Principum ſeu potius populorum & plebium diſcordiã, verſus occidentem, in quam partem apparuere. CHRISTVS audiat orationem meam, & faciat vt Pontificũ populi deficiant à ſuis Tyrannis, & accidat ſine cæde Epiſcopis, quod contigit cum cæde Pontifici Romano, Amen. Salutat te valde Pomeranus & Ketha mea, ſimul & coſtam tuam & domum totam vna cum M. Eberhardo cum ſuis, cui adhuc debeo xeniolum dandum, quam primum aliquid inuenero, pauperior enim modo ſum, quam vt poſsim aliquid mittere. Orate pro nobis contra Sathanam, & in CHRISTO valete, die Phaſe Domini. Anno M.D.XXVIII. Tres Lunæ viſæ.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Narrat Viſitationem proceſſuram, & remedium aliud turbæ Zuicfauienſi inueniri non poſſe, quam vt Paulus illo loco cædat.

GRatiam & pacem. Nihil intelligo de formula iſta, quam ſcribis tibi viſam eſſe apud Heroem à Plaunitz, mi vir, cæterum ſatis vrſi & vrgeo, vt Viſitatio procedat, & executionem ſeriam conſequatur, ſperoq; poſt paſcha ſtatim in opus proditurã. De Paulo nullus eſt finis querulandi & accuſandi, de quo proximè ad te ſcripſi ſatis è Torgau. Feneſtras illic bis lapidibus iactis violatas clamant, etiam poſt noſtram iſtam nouiſsimã pactionẽ, vt remediũ aliud nullũ appareat,

quam vt loco & turbæ cedat,ſicuti ſcripſi. Demum rogo vt pro me miſero ores ad Dominum, vt ego pro te facio. Gratia DEI tecum,Amen.Sabbatho Paſchatis. Anno M.D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Mittit exemplaria ſui libri contra Sacramentarios, amicis diſtribuenda, ac oſtendit ſe amplius contra tam rudes & ignaros Aduerſarios nihil quidquam ſcripturum. Refert etiam illi de fœdere & bello Epiſcoporum contra Lutheranos, ac vult populũ inuitari ad ſeriam orationẽ. Tandem narrat vxorem Electoris Brandenburgenſis, Ioachimi Primi, periculum captiuitatis fuga vitaſſe.

GRatiam & pacem. Dedi Ioanni Hoffmann exemplaria inter vos diuidenda contra Sacramentarios, Dominus det vt fructificent apud multos. Ego enim vaniloquos iſtos homines ſtatui relinquere, & finem feciſſe ſcribendi contra eos,quod videam tantam Logicæ ignorantiam in illis regnare,vt impoſsibile ſit, etiam ſi naturaliter errarent, eos poſſe doceri aut ad metam confutationis adigi. Neq; enim doceri aut diſputari poteſt abſq; Dialectica,ſaltem naturali, in qua Zuingel ſic eſt rudis, vt Aſino queat comparari. Apud nos nihil noui,niſi quod Epiſcopi bella & cædes ſpirare dicuntur, & ſtultus ille Miſnenſis minis ardet pro ſuo more. Tu populum ad orationes inuitabis pro contione, vt Sathanam conterat CHRISTVS, rugit enim vt leo ſæuus & eſuriens, in no-

Zuuinglius rudis Dialectices.

in noſtrum ſanguinem. Marchioniſſa aufugit è Berlin, auxilio fratris regis Daniæ ad noſtrum Principem, quòd Marchio ſtatuerat eam immurare (vt dicitur) propter Euchariſtiam vtriusq; ſpeciei. Ora pro noſtro Principe, der from Mann vnd hertzliche menſch / iſt doch ja wol geplaget, dignus quem iuuemus orationibus. Vale cum liberis & vxore. 28. Martij. M. D. XXVIII.

Fuga Marchioniſſæ, Sororis Regis Daniæ.

T. Martinus Lutherus.

D. IVSTO MOENIO.

Senem quendam à Mœnio commendatum ait ſe humaniter excepiſſe, ac miratur cur ipſe & alii fratres ſe Vinariæ non acceſſerint, eumq; hortatur vt ſeriò contra Sathanam prælietur vnà cum Luthero.

GRatiam & pacem. Senem iſtum, quem mihi commendaſti, mi Iuſte Moeni, excepi, & quantum licuit colui, placuit enim eius Sermo & mores quam primum colloquebar. Cæterum expectabamus aliquot veſtrum viſitandi gratia ad nos eſſe venturos, miramur quoq; quid interceſſerit vel negotij vel periculi, cum itineris nihil intercedere potuit neq; longitudo neq; latitudo, neq; profundum, quandoquidem ſatis ſerenus fuit & aër & ſol. Excuſabo apud me veſtram hanc ceſſationem, modo ratione reddita aliquando diluatis hoc inſigne commiſſum in iura amicitiæ, charitatis & humanitatis. Erffordia eſt Erffordia, Erffordia erit Erffordia, Erffordia fuit Erffordia, quid enim aliud vel cogitem vel dicam? Saluta mihi fratres (rogo) quam diligentiſsimè,

Senex commendatus à Mœnio.

Erffordia.

præſertim tuã Heuam, & Habelos & Sethos. Tu quoq; pro me ora Dominum, & concerta (ſicut facis) nobis aduerſus Sathanam, qui tanta cogitat, quanta non poſſit capere mundus, & malorum & turbinum, vt CHRISTVS regnum ſuum tueatur in gloriam ſuam & ſalutem noſtram, qui ſit tecum fortis & miſericors, Amen. Datæ Veimariæ in die Philippi & Iacobi. Anno M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Agit illi gratias, quod de ſtatu comitiorum Spirenſium certioram ſe rediderit. Exponit etiam illi Marchionis Electoris irruptionem in vrbem Iutterbach, ac captiuitatem Concionatorum, quos interceſſione Rietteſelii apud Electorem Ioannem Saxoniæ vult adiutos.

Comitia Spirenſia anno 1528.

GRatia & pax. Rem gratam feciſti, mi Spalatine, & officium tuũ, quod noſtri memor de Comitijs iſtis nos reddis certiores. Nam hîc nihil non dirũ in Principis noſtri aduentum Spiræ contigiſſe iactant hoſtes, alij excluſum Spira, alij ademptum ei Electoratum, alij alia narrant, quamuis ea neq; credimus neq; timemus. Hîc fortiter ædificatur & pacati adhuc ſumus DEI gratia. Marchio equitibus 40. Iutterboggi Concionatores extra vrbem dolo vocatos, abſtulit & cepit, vnde ingens eo loco plebis contra Magiſtratum & periculoſus tumultus eſt, deniq; coacti Senatores ire & repetere Concionatores, incertum quid futurum. Vnus concionatorum etiam authoritate Epiſcopi Magdeburgenſis illic & quietè & benè docuit, Thomas Schneiduuein Quæſtoris Eyſſenbergenſis

Captiuitas Concionatorum Iutterboccenſium.

genſis frater. Oro vt ſi quid potes, Rietteſelium ſocium accipias & miſeros Concionatores iuues, quemadmodum illi ſcripſi, indignum enim & durum eſt, ita vacuos reijci. Vale & ora pro me. M. D. X X V I I I.

T. Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Gratulatur illi natam ſecundam filiolam, ac conquæritur de Anabaptiſtarum furoribus, & induratione & pertinacia morientium, ac dolorẽ ſuum teſtatur, ob obitum Dureri & aliorum piorum Norinbergenſium.

GRatiam & pacem. Gratulor tibi ſecundam filiolam & nouum amorem & gaudium cordis, mi Vuenceslae, CHRISTVS faueat vt fœlices ſitis & ſalui permaneatis omnes. De Anabaptiſtis etiã aliundè multa ſcribuntur, ſed apud nos DEI gratia pax eſt. Carolſtadius tamen manet, qualis fuit, ne dicam pertinatior fit, ſed cogitur ſilere. Antiſchuermerum meum vidiſſe te puto, ac themata de digamia Epiſcop: Conſtantiam Anabaptiſtarũ morientiũ arbitror ſimilem eſſe illi, qua Auguſt: celebrat Donatiſtas, & Ioſep: Iudæos, in vaſtata Ieruſalem, & multa talia furorem eſſe Sathanæ non eſt dubiũ, preſertim vbi ſic moriuntur cum blaſphemia Sacramẽti. Sancti Martyres, vt noſter Leonhardus Keiſ: cum timore & humilitate, magnaq; animi erga hoſtes lenitate moriũtur: Illi verò quaſi hoſtiũ tędio & indignatione pertinaciã ſuam augere, & ſic mori vidẽtur. Pro ſeminibus miſsis gratias ago, commendo me & tẽtationes meas precibus tuis. Durerus & Volprachtus optimis viris rapi mihi videntur, ne videãt mala iſta

Induratio morientium Anabaptiſtarum.

Sanctorum agones & humilitas in morte.

furentia

furentia & impendentia, vndiq; bella minaciter impendent. CHRISTVS miſereatur noſtri, Amen. Feria 3. poſt Cantate. Anno M.D.XXVIII.

Profectio Pomerani ad Brunſuuicenſes.

Hodie proficiſcitur Pomeranus Brunſuuigum, ſeruiturus aliquot diebus CHRISTO in Euangelio eius.

Martinus Luther.

D. FRIDERICO S. ÆGIDII ANTISTITI Nurnbergæ, Seruo CHRISTI.

Agit Abbati gratias pro miſſo munere, & gaudet ipſum amplecti veram ſententiam de Cœna Domini, nec delyriis Sacramentariorum quidquam moueri, quos ipſe ſatis hactenus confutarit, ac monet eum ad ardentem orationem contra Sathanam hæreſibus & cædibus mirè graſſantem.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Gratus eſt mihi, Vir Venerabilis, Character tuus argenteus, vt te iam verè gemellum quamuis abſentem poſſideam. Animæ videlicet imaginem per literas, corporis verò per argentum iſtud. Magis autem gaudeo te ſic eſſe firmum & certum in re Sacramentaria, aduerſus peſtes iſtas rabioſas Sacramentariorum, nam & ego arbitror me ſatis feciſſe in cauſa iſta coram DEO, vt qui errant abſq; mea culpa errent. Quamuis non ſperem illos quicquam moueri tantis argumentis, vt qui auerſati lucem tenebras ſuas ſolas ament vſq; ad inſaniam. CHRISTVS tamen abundè me conſolatur, quod ſaltem aliquos ab iſta peſte dignatur liberare & ſeruare, vt me non pœniteat

Rabioſi Sacramentarii

operæ

operæ, quantumuis apud illos ſuperfluæ & irriſæ. Quis enim Sathanæ os obſtruat, ne garriat ſaltem vbi loqui non poterit? Ora cum tuis pro nobis, optime vir, Sathan enim in mundo furit, non contentus ſectis animas perdidiſſe, corpora quoq; & nos feſtinat perdere, & omnia vaſtare, Deus miſereatur noſtri, Amen. Feria 3. poſt Cantate. M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Cum reſignarit ſuam Parochiam Paſtor in Schletta, vult Ioannem Caprum illi ſuccedere.

GRatiam & pacem in Domino. Paſtor in Schletta D. Balthaſar conſtituit Parochiã ſuam ſtudij gratia reſignare, idq; egit me & Pomerano præſentibus, probantibus atq; laudantibus, rogauitq; tibi cõmendari hunc literarum Baiulum Ioannem Caprum, quem loco ſuo in eadem Parochia cupit ſuccedere, vt digneris hominem promouere & adiuuare. Nos quoq; teſtimonium ei perhibemus illius rogatu, ſperamusq; facturum omnia CHRISTI gratia. Dominus IHESVS ſit tecum, optime frater in Domino. Vuitenbergæ feria 6. poſt Cantate. M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Purgat ipſi Melchiorem Friſcholtz de ambitionis ſuſpitione, & mitius eum ob paupertatem qua premitur ab ipſo tractari rogat, vt maius vitetur malum, ſubiungens aliorum amicorum ſalutationes, ærumnas protectiones & labores.

GRatiam & pacem in Domino. Melchiorem hunc Friſchholtz tibi commendo, mi Spalatine, duras accepit literas tuas ad illum nouiſsimè ſcriptas, in quibus arguebas, quaſi ſcandalō poſt ſe Aldenburgi reliquerit, & miniſteriū diſcurſu ambiat. Ego te excuſaui quantum potui, & infirmitatem hominis mitigaui, Tu quoq; (ita rogo) hominis imbecillitatem feras. Noſti enim paupertatem per ſeſe eſſe ſuſpicioſam & deſperatæ puſillanimitatis, omnia accipit grauius quam fiāt, ſic enim ſe contemni & negligi ſemper putat. Proinde magis hîc eſt nobis miſerendum & conniuendū, ne ad deſperationem adigamus. Vir prudens & perſonarum varietate exercitatus es, facies quod bonum eſt. Vale cum tua Coſta. Vuitenbergæ in domo Aërea & Ætherea, 16. Maij. Anno M. D. XXVIII.

Salutationes amicorum.

Salutat te D. Pomeranus profectus Brunſuigam, petitq; pro ſe orari, &c.

Salutat te Calculi Antagoniſta Ionas Iuſtus, petitq; pro ſe orari, vt victoria fœlici potiatur.

Salutat Caſparus Crucigerus, petitq; pro ſe orari, vt ſpes ſuæ ſuccedant, hoc eſt, ſi non intelligis, vt Dux Georgius conuertatur ad Chriſtum, vel conteratur à Chriſto.

Salutat te Ioannes Mantillus, recens filiolo orbatus, quo die & Pomeranus ſuo maiore filio Michaele orbatus, cum Iuniorem Ioannem dimidio menſe præmiſiſſet, petitq; pro ſe orari, vt pro vno multos filios recipiat, Amen.

Salutat te Heua mea cum his omnibus vnà conuiuantibus ſatis

bus ſatis ſana & læta, petitq́; pro ſe orari, vt ſaluis liberis tertium fœtū ſalubriter ferat & pariat. M. Luther.

D. GEORGIO SPALATINO.

Cauſas oſtendit propter quas citius tabellarium dimittere non potuerit, Verſionem Prophetarum in ſermonem vernaculum ſe inchoaſſe.

GRatiam & pacem in Domino. Nihil ſit tibi moleſtum quod Nunciū hunc diſtuli. Pomeranus Brunſuigā abijt, & in me inclinat Parochię cura. Proinde publicè & priuatim, præſertim feſto hoc die, occupatus non potui abſoluere quæ poſtulaſti, nunc quod poſſum præſto promiſſum vtcunq;. Verſio Prophetarum. Prophetas molimur vel parturimus potius in vernaculam. Eſaias primus laboratur diligentia vertendi & illuſtrandi, quantum CHRISTVS dederit. Tu pro nobis ora. Salutant te omnes noſtri, Ionas & Philippus. Vuitenbergæ, altera poſt Aſcenſionis. M.D.XXVIII. Martinus Lutherus.

D. FRIDERICO MYCONIO.

Fruſtra omnia cum D.D. tentari dolet, & illam cauſam Viſitatoribus committendam cenſet.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Triſtia ſatis ſcribis, mi Frideriche, de D. ſed vt eſt homo, nihil eſt conſilij, quo iſtis rebus ſuccurram. Scripſi tamen ad eum ſatis (vt opinor) aſperas literas, ſi quid illis promoueam. Excuſationes reſcribit, ſed irritas, quas & audire me nolle ſcripſi. Nec video quid proſit, etiamſi centies ad aulam res deuoluatur, & authoritate Principis tentetur. Caput habet, quo niſi mutato cœlitus nihil reliquum eſt,

quam vt manda, remanda,manda, remanda, nobis cantet. Ad Viſitatorum officium interim reijciendum eſſe cenſeo, interim patientia etiam impatientiſsima ferendus eſt. Dominus tecum,& tu pro me ora infirmo & paupere. Vuitenbergæ Sabbatho poſt Aſcenſionis. Anno M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

DOMINO IVSTO MOENIO.

Pollicetur Mœnio aliam vocationem.

GRatiam & pacem. Paucis occupatiſsimus ſcribo, mi Iuſte,ego non omittam, quin vt occaſio ſeſe quæq; prima obtulerit,te ex iſto beſtiarum crudelium & ingratiſsimarum luſtro euocem, Ita me habet peſsimè iſtius vrbis abominatio,quid enim aliud dicam?Quanquam ego non deſperem breui aliud facturum CHRISTVM cum aduerſarijs ſuis. Interim patere, compatior enim tibi, CHRISTVS vtriq; compatitur & omnibus, & orato pro me infirmo vaſculo. Princeps noſter occupatior modo eſt quam vt poſsit quippiam in aula iſta agi aut impetrari. Saluta ſuauitatem vitæ tuæ, coniugem & liberos,cum quibus te CHRISTO commendo, Vuitenbergæ Sabbatho poſt Aſcenſionis Domini. Anno M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

IOHANNI HESSO.

Scribit de fœdere impiorum Principum, ac de Principum frigida excuſatione. Narrat etiam Doctorem Othonem Backẽ à Landgrauio captum eſſe.

eſſe. Significat quoq; duos Epiſcopos Francicos pacem feciſſe cum Duce Saxoniæ, verum Landtgrauium adhuc in armis eſſe contra Moguntinum Epiſcopum.

GRatiam & pacem. Redit ad vos, mi Heſſe, quem mihi cōmendaras, Lator præſentium vir teſtimonio tuo dignus & omnino noſtro, CHRISTVS faciat ne fruſtra hîc fuerit. Fœdera impiorũ Principum & eorũ excuſationes, ſed glacie frigidiores audiuiſſe te puto, quibus nemo niſi illorũ pars credit, deniq; Ducis Georgij Proceres planè fatētur fuiſſe fœdus hoc non omnino Chymerã, ſed literas & exemplũ præ manibus haberi, quod nunc vellent falſò Principũ nomine & ſigillo fictum videri, & ob hanc cauſam D. Othonem Back captum putant. Sed quoniã is cõſiliarius Georgij à Landgrauio captus, fuga mihi potius & voluntaria captiuitas videtur, qua ſecurus ſit â Tyrannide ſui Phalaridis, verum latius ſe ſtatim prodent iſta myſteria, mihi talia fingi poſſe ab hominibus non videtur poſsibile. Deinde certum eſt eos animo parato tale quid adhuc hodie libenter facturos eſſe, cum hactenus edictis, manu & omni dolo & vi illud demonſtrarint, vt non poſsint excuſari, ſed hæc tu melius fortè quam nos, cognouiſti. Epiſcopi Pamberg: & Vuirtzburg: pacem fecerunt, Landgrauius adhuc in armis eſt contra Moguntinum, ſperatur & ibi pax, niſi nolit Epiſcopus. De Italia nihil prorſus auditur. Commenda nos tuis & tuorum orationibus, & in CHRISTO rectè vale. Vuitenbergæ, M.D.XXVIII.

Excuſatio Principum de fœderibus.

D. Back captus, qui primum fœdus iſtud reuelauit.

Martinus Lutherus.

DOMINO FRIDERICO ÆGIDIANÆ Familiæ Antiſtiti Norinbergæ.

De fœdere & bello impiorum Principum ſcribit, quod à Sathana ſit conflatum, verum diuinitus nunc repreſſum.

GRatiam & pacem. Cum nihil haberem quod ſcriberem, Venerabilis Vir, coegit me Ioannes Hoffman, vt tamen ſcriberē, cauſatus periculum ſibi imminere, quaſi nō fideliter ſatis inſtiterit pro mandato accepto, vt me ſolicitaret, huius igitur impulſu ſcribo. Nam nouitates iſtas & fœderis impiorum Principum nunc veri, nunc falſi, nunc negati, nunc affirmati rumores, ſcio apud vos iamdudum inueteraſſe, Landgrauium non ſine cauſa moueri perſuaſiſsimus ſum. Sathan aliquid voluit, ſed CHRISTVS miſertus conculcat ipſum. Tantum oremus, non fallet nos Exauditor ille, qui iuſsit orare & promiſit nos exaudiri. Tu vale & ora pro me. Datæ Vuitenbergæ, Dominica 1. poſt Trinitatis. M. D. XXVIII.

Fœdus Principum.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Vt Albino Didaſcali functionem ſuſcepturo viam monſtret ad Ioſephum Leuinum à Metzſch orat.

GRatiam & pacem. Hunc Sebaſtianū Albinum ego tibi cōmendo, mi Spalatine, vt ei monſtres viā ad Ioſephum Leuinū Metzſch. Nam promiſi illi Didaſcalon me miſſurū ad Reicenbach. Et is nunc Albinus venit viſurus & tētaturus an obtinere id officij poſsit. Nihil apud nos noui eſt, quod ſcriberem. Ora pro nobis. Et vale cum tua Coſta belliſsimè in CHRISTO 6. Iunij. M.D.XXVIII.

Martinus Luther.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

De D. Amando ſuum ſcribit iudicium, Libelli fœderis, & frigidæ Epiſtolæ excuſatoriæ Ducis Georgii mentionem facit, Profectionem eius in Hamburg ſe non ſuaſiſſe. De Carolſtadii emendatione planè deſperat.

GRatiam & pacem in CHRISTO. De Doctore Amando iam petijſti iudicium ſecundo, mi Amsdorffi, & omnino dare volebam per vxorem & filiam, Lormam ſimul 5. altſchock pro debitis ſoluendis cū mitterē, donec plura poſſem, ſed abierunt me inſalutato & contra promiſſum. Ego planè Amandum non libenter iudico, quod ſperem illum vſu tandem cōfirmatum iri verbo in Pruſsia. Semel mihi accuſatus de vehementia & impetu, alioqui ſatis eſt idoneus paſtor, quamuis pro maiore tutela optarim ei à latere eſſe vel æqualem vel maiorē, ſic ſentio. De Heſſorum exercitu adhuc nihil habeo noui, Pacem oramus. Vidiſti credo libellum fœderis, & Ducis Georgij Epiſtolam excuſatoriam benè frigidam lubricamq;. Hamburgam non conſului vt ires. Cætera omnia noſſe te credo, ora verò pro peccatore Luthero. Carlſtadius meditatur diſceſſum, eſt, fuit, erit manebitq; Carolſtadius ſemper. In CHRISTO benè vale, feria 2. poſt Trinitatis. Anno M.D.XXVIII.

Principis Georgii excuſatio de fœdere.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

De Moniali quadam Fribergenſi, quæ expectat liberationem ex Monaſterio.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO. Nolui huncnuntium vacuum reuerti, mi vir optime, cum nihil haberem tamen quod ſcriberem, niſi vt me precibus tuis commendarem. Erit autem (ſpero) negotium, quo tua opera aliquando neceſſaria mihi erit, ſcripſit enim è Friberga captiua Monialis clamans & ſuſpirans redemptionem, quæ monaſterium & vrbem ſperat ſeſe poſſe euadere, ſi ſunt qui eam extra ſuſcipiant, & in noſtri Principis ditionem vehant. De his aliâs, nam adhuc ignoro, quantum diſtet ea ciuitas à noſtri Principis finibus, interim vale in Domino Vuitenbergæ. Anno M. D. XXVIII. die Petri Pauli.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Fœdus Sileſiacum Epiſcoporum, contra Electorem Saxoniæ, cuius Ducem Georgium authorem planè ſuſpicatur eſſe, impeditum & ſolutum nuntiat, atq; ſuadet, vt ſi denuò aliquid armis tentauerint, armis illos coerceant & eiiciant.

Fœdus Epiſcoporum contra Electorem Saxoniæ.

GRatiam & pacem. Spero CHRISTVM orationibus noſtris dare pacem, mi Amsdorfi, & iam pacati ſunt cum noſtro Principe Epiſcopi Vuirtzbergenſ: & Bamberg: Moguntinenſis expectatur voluntas, quam coget facile Landgrauius. Excuſationes eorum ſicut & Ducis Georgij apud me nihil concludunt, cum certum ſit animo, facto, edicto & omni ſtudio eos hactenus egiſſe, agere voluiſſe, & etiamnum velle quod iſtud fœdus multipliciter in ſe continet. Nam

Excuſationes de fœdere.

Euange-

Euangelium perſequuntur, & noſtrũ Principem extinctum vellent, omnes ſcimus. Deinde non fruſtra gloriati & inflati ſunt hactenus Papiſtę & tripudiauerunt, & multa alia valde, quæ præſertim Ducem Georgium accuſant & conuincunt, huius ſanguinarij fœderis eſſe reum vel authorem. Proinde & ego cenſeo toties fruſtra monitos, fruſtraq́; ipſos aliquid ſperaturos, ſi denuò aliquid moliti fuerint, vt prorſus abſq; miſericordia pellantur, quia nolunt pacem ferre, ſed ſanguinem ſitiunt, bibant ergo quando ita volunt. Cætera aliâs vbi plus habuero. Vale & ora pro me, mi Amsdorfi, Vuitenbergæ 13. Iunij. Anno M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

AD VVENCESLAVM LINCVM.

Agit gratias Abbati pro pomis Arantiorum, ac gratulatur apud Norinbergenſes & Marchionem Georgium inſtitui Viſitationem, commendat etiam illi Vrbanum Rhegium, an Marchio ipſius opera frui poſsit. Exponit etiam ipſi ſuum Iudicium, an Magiſtratui liceat Pſeudoprophetas occidere? Item de Phreneticis & quomodo conſolandi ſint Tentati fide & ſpe. Deinde narrat Furſtenuualde à Nicolao de Mincfuitz direptam eſſe, & D. Pomeranum ad Hamburgenſes vocatum, ac Doctorem Pacf captum eſſe à Landgrauio.

GRatiam & pacem in CHRISTO IHESV. Primum gratias ages pro nobis Domino Abbati, pro dono Pomorum Arantiorum, cui modo non ſcribo, alijs ſcribendis diſtrictiſsimus. Gaudeo apud vos & Marchinonem Viſitationem inſtitui, CHRISTVS ſuo ſpiritu aſpiret. Vrbanum Rhe-

gium quoq; reſipuiſſe credo te noſſe, & cõtra hoſtes Sacramentarios ſtrenuè nobiſcum certare. Et quid ſi hunc ipſum vocet Marchio? quandoquidem non inuitus forte veniret, nam de Amsdorfio nihil auſum promittere, quod is ſit neceſſarius eo loco quo nunc eſt, multis de cauſis.

An Pſeudoprophetæ ſint occidendi?

Quod quæris an liceat Magiſtratui occidere Pſeudoprophetas? Ego ad iudicium ſanguinis tardus ſum, etiam vbi meritum abundat. Tum in hac cauſa terret me exempli ſequela, quam in Papiſtis ac Antechriſtis & in Iudæis videmus, vbi cum ſtatutum fuiſſet Pſeudoprophetas & Iudæos occidi, ſucceſſu temporis factum eſt, vt non niſi ſancti Prophetæ & innocentes occiderentur, authoritate eius ſtatuti, quo impij Magiſtratus freti, Pſeudoprophetas & hæreticos fecerunt quosquos voluerunt. Idem ſequuturum eſſe timeo & apud noſtros, ſi ſemel vno exemplo licitum probari poterit, ſeductores eſſe occidendos, cum adhuc apud Papiſtas videamus huius ſtatuti abuſu innocentem ſanguinem fundi pro nocente. Quare nullo modo poſſim admittere, falſos Doctores occidi, ſatis eſt eos relegari qua pœna ſi Poſteri abuti volent, mitius tamen peccabunt & ſibi tantum nocebunt.

Phrenetici.

De Phreneticis ſic ſentio, omnes Moriones & quicunq; vſu rationis priuantur, â dæmonibus vexari vel occupari, non quod damnati ſint ideo, ſed quod varijs modis Sathan homines tentat, alios grauius alios leuius, alios breuius

uius alios longius. Nam quod Medici multa eiuſmodi tribuunt naturalibus cauſis, & remedijs aliquando mitigant, fit quod ignorent quanta ſit potentia & vis dæmonum. CHRISTVS non dubitat curuam illam anum in Euangelio à Sathana vinctam dicere. Et Petrus Acto. 10. oppreſſos omnes â Diabolo fuiſſe aſſerit, quos CHRISTVS ſanarit: Vt etiam mutos, ſurdos, claudos, Sathanæ cogar intelligere malitia tales eſſe, deniq; peſtes & febres, atq; alios graues morbos eſſe Dæmonum opera, non licet dubitare, cum ipſi ſint qui & tempeſtates, incendia, frugum & fructuum diſpendia operentur. Summa, mali angeli ſunt, quid mirum, ſi omnia mala faciant, & humano generi omnia noxia & pericula intentent, quatenus permittit DEVS? etiamſi plurima talia, herbis & alijs remedijs naturalibus curari poſſunt, ſic volente DEO & noſtri miſerente. Vide quid Hiob patitur à Sathana, quæ omnia naturaliter fieri & curari diceret Medicus, itaq; tuos Phreneticos à Sathana tentari credo temporaliter. Scilicet Sathan non faceret Phreneticos, qui corda replet fornicatione, cæde, rapina, & omnibus malis voluntatibus. Summa propior eſt quam vllus hominum credat, cum Sanctiſsimis ſit propinquiſsimus, atq; adeò ipſum Paulum colaphiſet, & CHRISTVM vehat quorſum libet, Matth. 4.

Diaboli potentia.

Vide Aug: de Ci: D.

Conſolatio pro tentatis fide & ſpe.

Tentatos fide & ſpe hoc modo ſolarer, primum vt ſolitudinem caueant, ſed ſemper conuerſentur cum alijs de Pſalmis & Scripturis confabulando. Deinde quanquam eſt difficillimum facere, tamen præſentiſsimum eſt remedium, ſi ſibi perſuadere poſſent, certò eſſe cogitationes has non ſuas, ſed Sathanæ, ideo annitendum ſummo conatu, vt ad alia cor vertatur & tales cogitationes illi relinquant. Nam eis immorari, vel cum eis pugnare, ac velle ſuperare, aut finem earum expectare, eſt eas irritare & roborare vſq; ad perditionem, abſq; vllo remedio. **Das beſte iſt/fallen ſie eyn/ſo laſſe ſie wider ausfallen / vnd nicht lange nach dencken oder diſputiern / wer das nicht thut / dem iſt nicht zuraten /** Senties autem quam difficilè hoc ſit factu. Nam cum eis cogitatio[n]ibus agatur de DEO & de ſalute æterna, vehementer recuſat natura eas relinquere aut contemnere, niſi prius certa fiat, ignorans, quod hæc certitudo & victoria eſt impoſsibilis, ſcilicet immorando & cum eius diſputando. Quia quæritur certitudo & victoria per cogitationes & noſtrum conſilium, quod Sathan benè nouit, ideo ſic eas inculcat & neceſſarias facit, vt nemo eas velit relinquere & ſeſe auertere, ſed finem ſpectare & palpare, Hoc eſt ſuccumbere & Sathanam regnare. Vt autem facilius aſſueſcant auerti, perſuadeantur audire vnum aliquod dictum boni viri, tanquam vocem DEI de cœlo, ſic ego, vna hac voce D. Pomerani ſæpius recreatus ſum, qua ſemel ad me dixit, non debes noſtram conſolationem cõtemnere, qua perſuaſi

mihi

mihi eſſe de cœlo vocem DEI, tunc intelligitur quid ſit, eloquium tuum viuificauit me. Hanc paſſus eſt CHRISTVS vbi dixit ad Sathanam, Non tentabis Dominum DEVM tuum, quo verbo & vicit & vincendendum nobis reliquit Diabolum. Nam verè aliud nihil ſunt cogitationes eiuſmodi, quam tentationes DEI, licet hoc non putamus, dum aſſunt, ſed cœleſtiſsimas & ſummè neceſſarias pro ſalute arbitramur, quæ DEVM opponunt, quem non liceat contemnere, & cor non audeat ei dicere, tu non es DEVS, aut nolo te DEVM, Et tamen neceſſe eſt ita ita dicere, vt auertaris & aliter DEVM quam iſto modo cogites, quod fit ſi verbo ſolantis & reducentis credas, & totum te tradas. Hæc verboſè licet non ſatis, quia noui, quid Sathan poſsit hoc genere tentationis. Vltimo orationibus petant & credant ſeſe iuuari ſicut reuera iuuantur, ſi credant, nec ſoli pugnant aut patiuntur. Aſsiſtimus omnes noſtris orationibus, & onus noſtrum mutuo portamus. Adde, vbi non ceſſauerit Sathan, ferant longanimiter, ſcientes, quod Sathan, quos ſubita vi aut aſtu capere non poteſt, aſsiduitate & prolixitate fatigare ſtudet, ſicut ille cantat, Sępe expugnauerũt me, prolongauerunt iniquitatem ſuam: Spectaculũ iucundum eſt DEO & Angelis, & finis erit ſalutaris & beatus, Amen. Placet ædi tertiam partem libelli mei, nec indiget mea præfatione alia, quoniam facta eſt. Tu poteris aliam præfigere, omiſſa eſt autem portio de Auriculari confeſsione, quam in hac ſchedula mitto, addendam ſi voles. Nõ mitto plura quia creſcebat, & multa

Pſalm. 119.

Pſalm. 129.

miſcebantur inter ſcribendum. Vale in Domino & ora pro me. Nihil hîc noui, niſi quod Nicolaus à Mynkuuiz collecto exercitu diripuit Furſtenuuald, quod oppidum eſt Epiſcopalis ſedis Epiſcopi, qui dicitur Alebus, qua cauſa aut conſilio, ignoro, Mihi vehementer diſplicet, licet ſine cæde & flamma factum, dicatur ſolum diripuiſſe, odio dicitur eſſe idem Epiſcopus omnibus in Marchia tota, vno excepto ſeniore Marchione. Hamburgenſes exemplo Brunſuuicenſium Euangelion receperũt, & Pomeranum quoq; vocant, Itidem & Goslaria, ſpes eadem eſt de Lubeca. Nam & multi ciues fauent, & Senatus remiſsius ſæuit ac minus reſiſtit quam ante. Doctor Pack captiuus Langrauij (vt ſupicor) voluntarius, hactenus inſimulatus eſt finxiſſe fœdus illud Principum, nunc dicitur audiendus, & promiſiſſe cum gloria ſeſe expedire & excuſare velle. Faxit CHRISTVS vt Techna illa in caput Ruſtici illius veniat, quem ego authorẽ eſſe cogito, hoc eſt, noſtri ſummi aduerſarij, quem noſti, Amen. Mira enim Myſteria ſunt in iſto fœdere, ſed ſine, nihil opertum, quod non reueletur. Iterum vale cum vite & vuis tuis, 14. Iulij. M.D.XXVIII.

Furſtenuald direpta à Nicolao à Mingfuuitz.

Vocatio Pomerani ad Hamburgenſes.

D. Pack captus.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

De Bello Mingfuuitzii aduerſus Marchionem, quod ſibi valde diſplicere affirmat noua nuntiat, ſuumq; de eo ſcribit iudicium, videlicet Marchionem hoc modo fortaſsis diuinitus puniri, propter inſignem ſuam improbitatem.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO. Facinus Mingkuuitij omnibus nobis meritò diſplicet, non hoc ſolum nomine, quod contra Politicam iuſtitiam perpetratum eſt, ſed maximè quod Euangelion noua & magna grauat inuidia, ſic enim ferre cogimur ſcandala aliorum nos innocentes, CHRISTVS faciat, vt ſit finis, & non peiora faciat. Nam vt res apparet oculis, maiore in periculo Marchio verſatur, quā Mingkuuitius, nam Mingkuuitius arcem ſuam inſtruxit, paratus excipere Marchionis impetum, ipſe tamen (vt dicitur) aliò profectus, interim dum Marchio pugnat, forte alia moliturus. Et quis ſcit, ſi DEVS hoc exordio Marchionem incipiat viſitare ſuper omnia ſua impudentiſsima ſtudia, qualia multa ſine fine & modo hactenus. Ego pacem precor, & Marchioni quiduis aliud quam bellum ſuaſiſſem. Omnes dicunt arcem Mingkuuitij forè inuictam aduerſus Marchionem, ſi velint milites eam defendere fideliter. Habes quæ noua ſunt apud nos. Tu pro me peccatore ora, & in CHRISTO vale. 20. Iulij Anno M. D. XXVIII. Vuitenbergæ.

Nicolai à Mingkuuitz irruptio in Finſteruuald.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO GERBELIO.

De Buceri virulentis & iniquiſsimis criminationibus grauiter quæritur, & ipſum inter tantas ſuas Viperas ſeruari optat. Vuitenbergæ Chriſti beneficio eſſe cōcordiam, ſolum Carolſtadium apud ſe inuitum morari & mutire non audere, Mingkuuitzium Marchioni bellum inferre nuntiat.

Gratiam

GRatiam & pacem in CHRISTO. Buceri iniquitatem ſatis ac plus quam ſatis antea noui, mi Gerbeli, vt non mirum ſit, ſi meum (quem allegat) ſermonem contra me inſtituat, in quo Auguſtini ſententiam ſecutus fui de carne CHRISTI, non contra ſed pro Sacramento. Sicut notum eſt orbi, nos non damnare dicta Patrum, etiam ſi (loco non ſuo) pugnent, modo contra pietatem non pugnare cogantur. Breuiter, ſi Zuinglus tale quid dixiſſet, parata fuiſſet epieikeia, quæ cõmodè & rectè interpretaretur, Lutherus quia dixit, calumnijs virulentiſsimis mox ſubiectum eſt, viſitet eas viperas CHRISTVS, & vel conuertat, vel reddat quod merentur. Quid non virulentiæ idem præſtitit in dialogo iſto nouiſsimo, in quo fortiter omnibus meis tranſitis merus calumniator eſt? Tropum inter cætera mihi Synechdochen obijcit, quem modo in ipſo libro meo non negaui, ſed oſtendi copioſiſsimè. Valeant viperæ, te CHRISTVS, (quod ſummis votis oro) ſeruet habitantem inter iſtas beluas, viperas, leænas, pardales, penè maiore periculo, quam Daniel ipſe in lacu leonum. CHRISTVS hîc pacatam Eccleſiam & vnanimem, tum florentem literis & ſtudijs Academiam ſeruat, vt Sathanæ rumpantur ilia, &c. Carolſtadius vipera in ſinu noſtro ſolus mutit quidem, ſed prodire non audet, vtinam ipſum tui phanatici ſocium apud ſe haberent, & nos eo liberi eſſemus. Salutant te omnes noſtri. Noua hîc nulla ſunt, niſi quod Marchio equitem quendam, qui irruptionem

Sacramentarii.

Carolſtadius vipera.

fecit

fecit & latrocinium, conatur debellare. Vale in CHRISTO ſuauiſsimè cum tua Coſta, Amen. 28. Iulij. M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Perhumaniter Amsdorfium inuitat ad nuptias Margarethæ Mochin.

GRatiam & pacem. Deſponſauimus Margaretham Mochin M. Georgio, mi Amsdorfi, & ſtatuimus diem S. Laurentij nuptialem fore. Hanc tibi eſſe occaſionē ad nos veniendi efficacem rati, inuitamus te & rogamus, vt ſemel tandem nos viſites & adſis nuptijs iſtis, (vt ſpero) lætis futuris, ſi CHRISTVS fauerit, quem tu pro nobis orabis, ſicut valet anima tua in ipſo, Amen. vltima Iulij. M. D. XXVIII.

Deſponſatio M. Georgii Maioris cum Marg. Mochin.

Martinus Luther.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Nomine Filioli ſui Iohannelli gratias agit, pro Crepundiis dono miſsis, ſe vtile ſcriptum de bello Turcico cepiſſe ſcribere, & vehementem ſuum dolorem animi ex obitu filiolæ ſuæ Eliſabethulæ indicat.

GRatiam & pacem. Gratias agit Iohannellus meus tibi, optime Nicolae, pro Crepundijs, quibus & mirè gloriatur & gaudet. De Turcico bello inſtitui quidem ſcribere, ſed non erit (ſpero) inutile. Defuncta eſt mihi Filiola mea Eliſabethula, mirum quam ægrum mihi reliquerit animum penè muliebrem, ita miſericordia eius moueor: Quod nun-

Obitus Filiolæ Lutheri Eliſabethæ

quam credidiſſem antea, ſic paternos animos molleſcere in prolem. Tu pro me ora Dominum, in quo benè vale. Vuitenbergæ M. D. XXVIII. Quinta Auguſti.

De illa Friburga educenda nihil fit, cogitata fuerunt, quare ſis quietus.

Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM HAVSMANNVM.

Eliſabetha filia Lutheri mortua.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Defuncta eſt mihi filiola mea Eliſabethula, mirum quam ægrum mihi reliquerit animum, penè muliebrem, ita miſericordia eius moueor. Quod nunquam credidiſſem antea, ſic patrios animos molleſcere in prolem, tu pro me ora Dominum, in quo benè vale. 5. Auguſti. Anno M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

De infœlici bello & reditu ex Italia Ducis Henrici Brunſuicenſis ſcribit, & recenſet conuitia Lipſenſium Aſinorum, vt Miritiani & Haſenbergij, contra ſuam coniugem, mittit etiam quædam de auriculari confeſsione, &c.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Lazaro noſtro reſpondeo his iunctis literis, quantum DEVS dedit, qui & veſtrum conſilium dirigat, Amen. Samia vaſa accepi & gratias ago, nec fuit neceſſe, alijs ea petentibus nomine meo, tam anxiè curare, nolim enim vos grauari mea cauſa non neceſſaria. Ducem Brunſuicenſem, fortè Dominus noſtri miſertus ſic redu-

Reditus Ducis Brunſuicenſis ex Italia.

ſic reduxit, alioqui ſi ei ſucceſsiſſent ſua conſilia, multis monſtris repleuiſſet Germaniam, Sathan enim miras habet vbiq; cogitationes. Lipſenſes Aſini meam Ketham impetiuerunt ineptiſsimis cõuitijs, quibus retaliatũ eſt, vt hic coram cernis. Dominus mihi quã dedit filiolã abſtulit, ſit nomen eius bene dictum ſemper, Amen. Quod de confeſsione auriculari petis additamentum ad confeſsionem meam ædendam, non neceſſariam rem poſtulas. Nam ſi anxiè quærere incipimus, erit addendi nullus modus, de clauibus, de miniſterio, de coniugio Sacerdotum & multis alijs vt nouum Theologiæ compendium requiri poſsit, tamen ſi omnino vis addere, potes hac ſchedula vti, quam incluſam mitto. De Turca mira ſcribis CHRISTVS ſeruet nos, Amen. Iohannem Hoffman tibi cõmendo, qui conſultu noſtro Magiſterij gradum ſuſcipiet, ſperans ſe hac larua magis promoturum, neceſſe enim eſt mundum laruis regere, ſicut pueros & fatuos. Gratia CHRISTI ſit tecum, Die 6. Auguſti. M. D. XXVIII.

Conuitia Lipſenſium in matrimoniũ Lutheri.

T. Martinus Lutherus.

D. IOANNI AGRICOLÆ.

Agit de mittendo quodam Pædagogo, in cuius loco vult interim frui opera Viti Amerbachii, deq; coniugio Michaelis Stifelii & vacante Parochia in Lochau enim reddit certiorem.

GRatiam & pacem in Domino. Philippus abeſt Viſitator in Duringia, mi Agricola, quo fit, vt eius conſilio & opera non licuit vti in Pædagogo deſtinando. Agam igitur cum Milichio & Georgio Maiore, ſi quem reperire poſsimus, & quam primum iſtuc mittere. Quamuis

iam mihi dictum ſit, Vitum apud vos hactenus iſto officio functum, quem cur non ſubſtituatis interim, neſcio quid cauſæ ſit. Intra octiduum reſpondebimus quid effecerimus. Hac hora Lochau proficiſcor, Michaeli Stifel deſponſurus Viduam relictam Epiſcopi Lochenſis, M. Franciſci, quam noſti, fortaſſe & Parochiam ſimul traditurus, mirum quam vrgeat res rem. Apud me retinere hominem non potui, adeò verecundus plus ſatis eſt, metuens, me eius alendi cura grauari, vt maluerit quacunq; conditione alibi viuere, donec expugnatus hominem dimittere cogerer valde inuitus. Mittit præterea hic literas apud me depoſitas, quibus veſtrûm aliquot inuitat ad nuptias, ſed ſerò ego potui transmitere, tu curabis reddendas. Et in Domino vale cum tuo ch: Hans Alberto & vniuerſis vuis vitis tuæ ſuauiſsimæ, Dominica poſt 11. Millia Virginum. M. D. X X V I I I.

Coniugium Michaelis Stifelii.

Liberalitas Epiſcopalis.

Martinus Lutherus.

VVENCESLAO LINCO.

Suum ſcribit Iuditium de fœdere impiorũ Principum & Epiſcoporũ, ac de ipſorũ frigida excuſatione, inuehitur autem grauiter in Ducem Georgium, authorem iſtius fœderis, ſignificat quoq; ſe nunc verſari in translatione Prophetarum. Ac fuit hæc Epiſtola occaſio illius maximi diſsidii, quod inter Ducem Georgium & Lutherum poſtea ſequutum eſt.

GRatiam & pacem. Noua tu plura noſti, quam ego ſcribere poſsim. Fœdus iſtud Principum impiorum, quod ipſi negant, vides quantos motus mouerit, ſed ego Ducis

Georgij

Georgij frigidiſsimam excuſationem ferè pro confeſsione interpretor. Sed negent, excuſent, fingant, ego ſciens ſcio, non eſſe fœdus iſtud merum nihil aut chimeram, licet monſtrum ſit monſtroſum ſatis, deinde orbis nouit illos, animo, facto, edicto, ſtudio pertinaciſsimo, hactenus talia publicè tentaſſe & feciſſe, & adhuc facere. Extinctum enim volunt Euangelium, quod negare nemo poteſt, ſed quid hæc ad te? qui abſq; dubio certus de his omnibus es, tantum vt ſcias neq; nos iſtis credere impijs, licet pacem offeramus, optemus, demus, DEVS confundet iſtum Morotaton moron, qui ſicut Moab plus audet quam poſsit, & non ſecundum vires ſuas ſuperbit, ſicut ſemper fecit, orabimus contra iſtos homicidas. Atq; hactenus eis ſit indultum, ſi denuò aliquid moliti fuerint, orabimus DEVM, deinde monebimus Principes, vt abſq; miſericordia perdantur, quandoquidem Sanguiſugæ inſatiabiles quieſcere nolunt, niſi Germaniam ſanguine madere ſentiant. Nos iam in Prophetis vernacula donandis ſudamus, DEVS, quam moleſtum & quantum opus, Hebraicos Scriptores cogere Germanicè loqui, qui reſiſtunt, quam Hebraicitatem ſuam relinquere volunt, & barbariem Germanicam imitari. Tanquam ſi Philomela Cuculum cogatur, deſerta elegantiſsima melodia, vniſonam illam vocem deteſtans, imitari. Vale & ora pro nobis. Dominica poſt Barnabæ. M. D. XXVIII.

Lutheri iuditium de fœdere Conjuratorum.

Translatio Prophetarũ

T. Martinus Lutherus.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, D. GEORGIO SPALATINO.

Gaudet ſibi datam eſſe occaſionem, qua mutuis literis reſarciri queat quod per ſubitam abitionem Spalatini eſt impeditum, & fœlicem reditum ad ſuos ipſi gratulatur, Viſitationem proceſſuram nuntiat.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Expectatus venit hic nuntius, mi Spalatine, nam à tuo diſceſſu nihil optaui ardentius, quam vt oportunus quam primum occurreret ad te nuncius, quo mutuis literis reſarcirem, quod ſubita profectione tua impeditum eſt. Gaudeo itaq; ſaluum rediſſe domum cum Heua tua. Atq; vtinam diutius conuerſari licuiſſet, aut ſæpius ſaltem liceret. Viſitatio inſtituta eſt, ſic Princeps ſcripſit propediem fore vt vadant, qui ordinati ſunt. Vide vt cogitationes faſtidij vincas aut contemnas, &c. (Reliqua habes alibi) 3. Septembris. Anno M.D.XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

M. IOANNI AGRICOLÆ ISLEBIENSIS Iuuentutis Inſtitutori fideli.

Fraternè ac ſolicitè dehortatur Agricolam, ne fretus ſuo ingenio, nouo quodam dogmate turbet Eccleſiam, eam enim famam de ipſo eſſe ſparſam, ſed ſecum de ea cauſa prius vt conferat ſuadet.

GRatiam & pacem. Narrauit mihi nuper quiſpiam de te fabulam, mi Agricola, tam conſtanter, vt affirmare non deſiſteret, donec ego ad te ſcripturum eſſe me dicerem & exploraturum. Erat autem ea fabula, quaſi nouo dogmate inciperes pugnare atq; contendere, fidem poſſe ſine operibus eſſe.

Quæſtio an fides ſine operibus eſſe poſſit?

eſſe.Eamq́; rem (aiebat) te oſtentare ac vendere multa diligentia Rethorici artificij,& Græcorum vocabulorum contentione.Ego autem,qui Sathana vexante,doctus etiam tuta cogor timere, non ſolũ ob promiſſum ſcribo,ſed vt etiã ſeriò te moneam,quo Sathanam & carnem tuam obſerues.Noſti enim nihil ſatis eſſe tutelæ ac præſidij aduerſus inſidias Sathanæ, niſi ſemper de cœlo cuſtodiamur. Deinde in inſidijs tantum eſſe veneni & periculi,vt è ſcintilla incendium, ſeu vt Paulus ſolet dicere,è fermento modico, tota maſſa corrumpatur. Proinde non eſt ludendum aut periclitandum, quantumuis modicè in hac re tanta, cum per tenuiſsimas rimas ingredi ſoleat hoſtis iſte, & nihilominus noceat,quam ſi apertis omnibus valuis irrupiſſet. Hanc admonitionem boni conſules, quam vides ex quo animo procedat, ac de hac cauſa, qualis qualis ſit,quæſo me redde (ſi vacat) certiorem. Quid enim minus timui, quam Oecolampadij & Rhegij aliorumq́; caſum?Et quid iam etiã non timeo de noſtris hic planè intimis? Non mirum ſi & tibi timeo, quem minimè omnium vellem diſſentire. Vale in Domino & ſaluta Elſam tuam cum vuis ſuis.Elſulam meam tulit Dominus, ne videret mala.11.Septembris.M.D.XXVIII.

T.Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Suam ſcribit ſententiam de cauſa matrimoniali,& quatenus valeat patria authoritas.

Gratiam

GRatiam & pacem in Domino. De Coniugij caſu prius vrgendus eſt primò Iuuenis (ſi aliter non poteſt) vel per iuramentum, vt confiteatur an puellæ ſpoponderit Coniugium, ſi negauerit per iuramentum liber erit, cum vnius ore teſtis nemo ſit iudicandus: Si confeſſus fuerit, iam Pater eius eſt conueniendus, præfertim hoc argumento, quod puellæ (vti narratur) impedimento fuerit filius, ne duceretur ab alio. Quod ſi paternam authoritatem prætexit, audiat, opor tuiſſe etiam in regendo filio eandem oſtendiſſe, atq; cauiſſe ne filius alteri damnum inferret, nempe impedimentum nuptiarum, ergo teneri eum ad reſtitutionem & ſatisfactionem. Neq; enim contra, ſed pro charitate proximi debet paternitas valere. Quod ſi in vno non fecit quod paternitatis erat, quo proximus læſus eſt, debet viciſſim in altero, quo ſuum caput ſequitur, cedere & paternitatis iure priuari. **Es were kein ding Veterliche Obrigkeit meins gefallens brauchen / vnd laſſen gehen / meinen Nehſten zuuerderben.** Intelligitur paternitas ibi ſolum, vbi omnia ſunt integra, ſcilicet vbi tertia perſona cum ſuis non læditur, &c. itaq; hoc argumento cogatur. Quare neglexit filium regere, ne puellæ incõmodaret? Vale in Domino cum vxore tua. Raptim die Natiuitatis Mariæ. Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

SERVO CHRISTI FIDELI VVOLFgango Fueſs, Epiſcopo Colditio ſuo in Domino fratri.

Reſpondet

Reſpondet ad caſum quendam matrimonialem, ac offert ſuam operam illi, ad expediendam ipſius & Vicarii cuiusdam cauſam in aula Saxonica.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Tui eſt, mi Vuolfgange, in iſto caſu viri iudicare, nam ſi ita res habet, vt ipſe dicit, quod vxor eius delapſa ſit, ipſo inuito ſecuta adulterum, liber eſt. Verum vide, vt hæc omnia vicinis nota ſint, nam mira eſt hominum hodie nequitia, quam nemo ſatis credere aut cauere poteſt. In tua cauſa & Vicarij ſenioris certè egi, mirorq́; nihil eſſe ſcriptum, faciunt id tumultus iſti & aulicæ occupationes, ſi vicarius iſte ſenior etiam nondum habet reſponſum, obſecro vterq́; mittatis mihi adhuc vnam ſupplicationem. Nam priores obtuli, iſtas autem ſeruabo, vt vrgere per eas poſsim, ſperamus enim Cancellarium affore propediem, nollem certè tui & tuorum obliuiſci. Saluta vitem tuam cum vuis ſuis nomine meo diligenter, & vale in CHRISTO, feria 3. poſt Matthei. M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. FRIDERICO ÆGIDIANÆ FAMILIÆ Nurnbergæ Antiſtiti, &c.

Intercedit pro M. Hoffmanno, vt ſumptus pro impertrando Magiſterio illi reddantur.

GRatiam & pacem. Rogauit Ioannes Hoffman, recens Magiſter factus, vt pro ſe intercederē apud tuam dominationem, vir optime, quo pecunias pro Magiſterio expenſas vel debitas, tuis precibus impetrare poſsit, ſignificans id profuturum ſibi, ſi rogatus à me tu rogares & pro eo ageres. Quare tibi eius cauſam diligenter commendo, cras forte

plura & latius cum Bibliophoro, nam nunc occupatus & diſtrictus paucis agere cogor. Benè in Domino vale, & pro me ora Dominum.12.Octobris.Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. IOHANNI HESSO.

De perſecutione R.F. narrat, ac ad ſeriam orationem contra Sathanam adhortatur.

GRatiam & pacẽ in CHRISTO. Miror quod cum ſcires hos optimos ciues tuos ad nos proficiſci nihil ad nos literarũ dederis, quibus vel lętos, vel certos ſaltẽ faceres de tuo ſtatu. Audimus enim Ferdinandum, vel ſuos potius Satrapas mirũ furere contra CHRISTVM, ſed Pſal: ſecundus eſt eorũ Tyrannus, rurſus & noſtra conſolatio. Rogo vt pro nobis omnibus orari iubeas ab Eccleſia tua, Sathan enim iunctis viribus & copijs ſuis omnibus nos perſequitur, quare & nos neceſſe eſt iungere manus & corda, cum feruenti oratione, vt Dominus conterat Sathanam ſub pedibus noſtris, Amen. Vale 14.Octobris. Anno M.D.XXVIII.

Orationis neceſsitas.

T. Martinus Lutherus.

AD VVENCESLAVM LINCVM.

De iracundia & furore Ducis Georgii aduerſus ſe ſcribit, ac vult contra ipſum oratione pugnandum eſſe.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Accepi literas tuas, quibus ſignificas quid tentarit apud vos Dux ille Georgius, mi Vuenceslae, poſtulauerat paulo ante idem à me, & deinde à Duce noſtro, vbi nihil promouit, tandem ædidit exemplar cum inuectiua in me, pro inſigni ſua ſtultitia & furia maledica. Octo millia exemplarium feruntur excuſa, quæ ſub ſuo

ſigillo

ſigillo mittet in omnem locum,ſic opprimetur tandem Lutherus,& triumphabit Dux glorioſiſsimus Georgius,ad Nundinas emittet. Ego verò furtim exemplari accepto reſpondi, quod ſimul,non ſperante illo,euulgabitur,forte furia rumpetur & morietur miſerrimus moros, optarim, furem illum Miricionum manum meam à te accepiſſe. Ita nihil eum Sathanam metuo,quanquã Scheurlerum miror,non quod tradiderit, ſed quod hoſtibus noſtris peſsimis ſic familiaris eſt, è Nundinis hæc noua videbis,ſimul in Principem noſtrũ quid moliatur audies. Te quæſo,vt cum Eccleſia tua ores contra furioſum iſtum,homicidã, ſanguinariumq; latronẽ, vt planè non ab vno dæmone poſſeſſum,nihil niſi cædes & minas ſpirantem, vt CHRISTVS vel ſeruet eum, ſicuti Paulum,vel de medio tollat, vt quid enim diuexat cœlum & terram organum hoc Sathanæ noxium & inquietum? Noui nihil apud nos,ventorum eſt hîc continua vehementia,quid illi portendant neſcio. Vale in Domino. M.D.XXVIII. D.G. Teſtimonium.

Martinus Luther.

D. GEORGIO SPALATINO.

Cõmendat Spalatino iuuenem quendam,qui cupit docere pueros Germanicas literas pingere,Duciſſam Monſterbergenſem conſobrinã Ducis Georgii,cum aliis duabus virginibus, altera Lipſenſi altera Friburgenſi, admirando modo monaſteriõ egreſſam euaſiſſe,ſeq; eam hoſpitio excepiſſe,De qua cum Dux Georgius apud Electorem,propter cognationem multum laboret,quid futurum ſit ſe ignorare, Mingſuizium expeditionem bellicam inſtruere, ſed aduerſus quem dubitari, Pomeranum Hamburgam profectum,Philippum Thuringiam, ſe mox Viſitationem inchoaturos, nuntiat.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Hic iuuenis egens & exul quærit,ſicubi poſsit operam ſuam locare, forman dis pueris ad ſcribendum Germanicè, nam Latinè parum nouit. Videtur autem bono & dextro ingenio eſſe. Petijt itaq; vel tibi vel alij amico cōmendari,ſi fortè apud vos opera eius prodeſſe poſsit,vt latius ex ipſo intelliges,mi Spalatine,facies itaq; quod videbitur. Nam hîc non erat ei locus,vt operaretur ſuum panem. Noua noua credo te audiſſe, euaſiſſe monaſterion miraculo magno Duciſſam Monſterbergen: ex Freyberga,apud me modo agit domeſtica,cum duabus virginibus,altera Margaretha Volckmarin,filia eſt ciuis Lipſenſis,altera Dorothea ciuis Freybergen: quæ 1400. florenos intulit monaſterio de patrimonio, quo relicto pauper pauperem CHRISTVM ſequitur cum ipſa Domina Vrſula, ſimul ne obulum quidem attulerunt. Hîc fatigat Dux Georgius noſtrum Principem,quid futurum ſit ignoro. Eſt enim conſobrina Ducis Georgij,vt noſſe te puto,id eſt de duabus ſororibus matribus nati ambo. Nicolaus à Minckuuitz dicitur magnum conſcribere exercitum, quo irrupturus neſcio. Miror quid Principes cogitent talia videntes & permittentes, cum è ſcintilla iſta periculoſum incendium in Germania timeri oporteat. Alij dicunt, quod Vuoiuuaidæ ductitet,alij in Marchionem parari,qui tamen ſecurè ſtertit. Pomeranus Hamburgam eſt profectus. Philippus in Duringiam. Nos altera poſt Vrſulæ noſtræ Viſitationis partem aggrediemur, idem facturos aut facere vos quoq; ſpero, CHRISTVS omnibus aſsit & benedicat, Amen. Saluta M. Eberhardum & Erhardum

Duciſſa Monſterbergenſis elapſa ex monaſterio

Nicolai à Minckuuitz expeditio bellica.

Hamburgenſes amplectuntur Euangeliū.

Erhardum, ac ſi plures Hardi apud vos ſunt. 20. Octobris. Anno M. D. XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

GEORGIO SPALATINO.

Inſigni Encomio Matrimonii conſolatur ac confirmat Maritum Spalatinum contra impias calumnias, & inſidioſos couatus falſorum fratrum Sacrificorum Bethauen, in arte Aldenburgica.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Quod matrimonium tuum pro ſcortatione reputatur, mi Spalatine, non modo non dolere, ſed gaudere potius debes, ſcilicet, cum certò ſcias hoc vitæ genus à DEO probari, ab angelis laudari, à ſanctis omnibus honorari. Tum id ſignaculi accedere, quod cruce inſignitur, nempe quod à dęmonibus & impijs hominibus etiam à falſis fratribus blaphematur, ſicut ſolet contingere omni operi & verbo DEI. Tu igitur vide, ne voces iſtas ſacrilegas impiorum in te iactas aliud æſtimes, quam precioſas gemmas, quibus coram mundo quidem macularis, ſed coram DEO glorificaris, cogitans mundum non eſſe dignum, qui gloriam & honorem iſtius operis DEI videat, quam tu & vides & habes. Idem ſentiendum ac magis quoq; ſentiendum eſt de miniſterio tuo. Valeat mundus & Princeps eius cum ſuis ſtultis, temerarijs, cæcis, rabidis iudicijs & calumnis, ſcriptum eſt, tollatur impius, ne videat gloriam DEI, cœli verò narrant gloriam DEI, haud dubium quin mundus euomat ignominiam DEI. De periculo alimoniæ tuæ, quod ſcribis, non intelligo. Neq; enim credo ſacrificos Bethauen tibi negotium facere. Ac quicunq; etiam ſint, habes iam Viſitationis

Calumniæ contra Spalatini coniugium.

Temeraria iudicia.

tionis

tionis officium, deinde Principem fauentiſsimum, qui non patietur tibi detrahi τὰ βιωτικά. Dominus IHESVS confortet te ſpiritu ſuo, ac dirigat τῇ ἐπισκόπῃ ταύτῃ, Amen. Ora pro me quæſo. Vuitenbergæ feria 5. poſt Simonis & Iudæ. Anno M.D.XXVIII. T. Martinus Lutherus.

AD M. EBERHARDVM BRISGER Paſtorem Aldenburgenſem.

Cur nihil libellorum miſerit ſe excuſat, & ſuam vxorem grauidam nunciat, enumerans ſuas occupationes.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Ego ſanè de libris ad te mittendis nihil cogito, neq; cogitaui, mi Briſgere, confidens quod Factorius tuus Bruno iſta curet, quare illi imputes, ſi nihil mittitur. Ketha mea te ſalutat cum vxore & prole, ipſa quidē pregnās, ſed nondū viuo fœtu. Ora pro nobis, occupatiſsimus ſcribo Viſitator, Lector, Predicator, Scriptor, Auditor, Actor, Curſor, Procurator, & quid non? Saluta omnes noſtros, feria 5. poſt Simonis & Iudæ. Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

EPISTOLA DVCIS SAXONIÆ Georgij, ad Doctorem M. Lutherum.

Vult reddi certior Dux Georgius, an literæ ſcriptæ ad Vuenceslaum Lincum ſint Lutheri.

ALlatum eſt ad nos heri exemplum Epiſtolæ cuiuſdam, quam tu non ante ita multos dies Norimbergam Vuenceslao Linco miſiſti, quod exemplū his literis incluſum reperies. Quanquam autē vel ei ſic fidem habere poſſemus, flagitat tamen neceſsitas noſtra, vt hoc idem ex te ipſo quoq; cognoſcamus. Quamobrē poſtulamus, vt nobis per hunc tabel

lárium noſtrum explicátè reſcribas, an huiuſmodi epiſtolam, hoc quo hæc incluſa eſt exemplo, ad illum quem diximus Lincum dederis, vt quæ nobis hoc nomine ratio ineunda ſit ſcire poſsimus. Datum Dreſdæ ipſo die Simonis & Iudæ. Anno M. D. XXVIII.

D. MARTINI LVTHERI RESPONSIO ad Ducem Georgium.

Hortatur Ducem Georgium, ne ipſum irritet, aut eius patientiam lædat, quamuis in Emſeri Præfatione, & reſponſo Ducis Georgii ad humiles literas ſuas, ſatis ſit flagellatus, &c.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Accepi Clementię tuæ literas, quibus C. T. de ſchedula ſeu exemplo quodam poſtulat à me reſponſum, an eiuſmodi ſchedulæ ſim conſcius, & hoc perinde, ac ſi viliſsimo cuiq; mancipio aut captiuo hîc præſtolari cogerer. Ad quod paucis reſpondeo, C. T. nouit, quàm pacienter tulerim & præfationẽ in nouũ Teſtamentũ Emſeri, & reſponſionẽ ad amantiſsimas modeſtiſsimaſq; literas meas datã. Similiter igitur & hoc, quod mihi nunc obijcitur patiẽter feram, reſpiciens ſcilicet magnam grauemq; C. T. tentationẽ. Rogo autẽ planè ſummiſsimè, ne C. T. huiuſmodi ſchedis aut exẽplis patientiã meam tentet. Nam C. T. haud dubiè vel ſine Lutheri opera ex illis, qui has ſchedas ſubornarũt & exhibuerũt, facilè poterit agnoſcere, cuiusnam iſta epiſtola ſit, ex illis inquã, qui magis quam ego C. T. ſunt ſubditi & obſtricti, nihil enim grauius in illos bonos viros hoc tempore ſcriptum volo. Cæterũ tentationẽ C. T. miſericordia proſequi, & CHRITSVM pro ea deprecari pio ſtudio cuperem, Si id C. T. ferre poſſet. His C. T. Deo cõmendata eſto, Amen. Vuitenbergæ vltima Octobris. M.D.XXVIII.

Lutheri modeſtia.

EPISTOLÆ D. M. LVTHERI, AD CASPARVM AQVILAM ECcleſiæ Salueldenſis Paſtorem.

Ad duas otioſas quæſtiones cuiuſdā Eccleſiæ miniſtri eruditè reſpondet, & prolixè diſſerit, arcana Dei conſilia in verbo non manifeſtata prorſus non eſſe ſcrutanda humanæ rationi, Eſſe enim hanc ſummam & periculoſiſsimam omnium tentationem.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Tardius reſpondeo, mi Caſpar, literis tuis, ſed nulla mea culpa, quod nullus certus exactor literas poſceret, nullusq́; nuncius certus mihi eſſet. Huldricus verò noſter has ſuſcepit procurandas ad te vt perferrentur. Diſputatio illa prior fratris (quem Gaium hoſpitem ſcribis) de operibus DEI occultis, tentatio eſt, quam vocant blaſphemiæ. In illa multi perierunt, & ego ipſe non ſemel ad mortem vſq; periclitatus ſum. Et quid eſt, quod nos miſerrimi homines, qui necdum radios promiſsionis diuinæ per fidem comprehendere, aut ſcintillas præceptorum DEI per opera capere poſſumus, (quæ vtraq; verbis & miraculis ipſe de cœlo confirmauit,) tamen impuri & infirmi rapimur ad comprehendendam maieſtam ſolaris lucis, imo incomprehenſibilis lucis mirabilium DEI? An ignoramus quod lucem habitat inacceſsibilem, & tamen accedimus, imo præſumimus accedere? Ignoramus iudicia eius imperſcrutabilia, & tamen perſcrutari conamur? Et hæc facimus, antequam in radijs promiſsionis & ſcintillis præceptorum perfuſi & imbuti ſumus, cum talpinis oculis irruentes in maieſtatem lucis iſtius, quæ nec verbis nec ſignis demonſtrata, imo occultata & non ſignificata eſt. Quid mirum, ſi obruat nos gloria, dum ſcrutamur

Diſputatio de occultis operibus Dei.

1. Tim: 6.

Rom. 11.

ſcrutamur Maieſtatẽ? Quid mirũ,ſi ordine lucis præpoſtero nos peruerſi ſum mam lucem ante Luciferum appetimus? Oriatur primum Lucifer (vt Petrus ait 2. cap. 1.) in cordibus noſtris, tum videre poterimus cubantem tandem in meridie.

Docendum eſt quidem, de voluntate DEI imperſcrutabili, vt ſciamus talem eſſe, ſed niti vt cõprehendas eum, hoc eſt præcipitiũ periculoſiſsimum. Proinde ego me ſoleo coërcere iſto CHRISTI verbo, quod ad Petrũ dixit, Tu me ſequere, quid ad te, ſi illũ volo manere? ſiquidẽ & Petrus, de alieno opere DEI diſputabat, quid de Iohanne eſſet futurũ. Et illo ad Philippum, qui dixit, oſtende nobis patrẽ, & ſufficit nobis, quem cohibuit dicens, Nõ credis, quod Pater in me, & ego in Patre? Qui videt me, videt & Patrem. Nempe & Philippus Maieſtatem & ſecreta Patris videre voluit, quam eſſet promiſsionibus, præceptisq́; DEVS longè ſuprà CHRISTVM. Sic & ſapiens dicit, Altiora te ne quæſieris, ſed quæ præcepta ſunt aſsiduè cogita. Et finge quæſo nos ſcire iam iſta iudicia DEI occulta, quid fructus adferrent vltra præcepta & promiſſa DEI? Vide igitur & dicito illi, ſi pacem volet habere cordis, ac vitare pericula blaſphemiæ & deſperationis, cogitationibus iſtiusmodi abſtineat, cum ſciat certò incomprehenſibiles eſſe, quid igitur fatigari ſe ſinit à Sathana ijs, quæ ſunt impoſsibilia? Tanquam ſi quis ſolicitus ſit, quomodo terra ſuper aquas conſiſtere poſsit ne demergatur, aut tale quid? Primum verò exerceat fidem promiſsionis & opera præceptorum, quibus perfectis, videbit an impoſsibilibus occupari debeat. Si iſta non audierit, videat, ne ſerò pœniteat, cum aliud non ſit re-

Voluntas Dei inſcrutabilis.

Ioan. 21. & 14.

medium,quam iſta negligere cogitata. Quanquam Sathana vrgente, ſint difficillima neglectu, neceſſaria enim facit illa ſcrutatu. Ideo non minus hic pugnandum eſt,cum contemptu,quam cum diffidentia, deſperatione hæreſi, aut alia quauis tentatione. Maxima pars fallitur, quod non credunt has cogitationes eſſe tentationes Sathanæ,ideo nemo nō ferè eas contemnit,aut vt contemnat pugnat. Cum illæ ipſæ ſint
Epheſ. 6. tela iſta ignita nequiſsimarum nequitiarum ſpiritualium in
Eſa. 14. cœleſtibus. Nam per eas cecidit Sathan de cœlo,dum voluit ſimilis eſſe altiſsimo, omniaq́; noſſe quæ DEVS noſſet,non cōtentus noſſe,quę noſſe oportuit. Fuga igitur hic pugnandū eſt,& ſapiendum non plus quam oporteat,ſed ad ſobrietatē quod qui non fecerit,opprimetur. Nam CHRISTVS cogitari nō poteſt, illis cogitationibus regnantibus, ſic Adam proſtrauit,dum vna arbore prohibita vexaret eum de ſapientia ac voluntate DEI. Summa,hæc eſt princeps tentatio & propriè diabolica, ideo humana tentatione ſatis eſt tentari. Per idem reſpondebis alteri quæſtioni, vt ille Concionator fungatur officio ſuo, quod mandauit ei DEVS, relinquens id, quod non eſt mandatum DEI, nempe ſcire, cur alius audiat,alius non audiat. Quid ad te (inquit CHRISTVS) Tu me ſequere,me,me,me ſequere non tuas quæſtiones aut cogitationes. De Iudæis alio libro monendis, ſi vacauerit, videbo,nunc aliud inſtat. Vale & ora pro me Dominum. Anno M.D.XXVIII. Octobris 21.

T. Martinus Lutherus.

D.NI-

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Expoſtulat cum Amsdorfio de pertinaci eius ſilentio, peſtem quidem Vuitenbergæ non regnare, ſed nonnunquam tamen gliſcere, Viſitationē à ſe cæptam, & magnam inueniri doctorum Paſtorū penuriam nuntiat.

GRatiam & pacem in Domino IHESV CHRISTO. Mirum eſt tuum ſilentium, mi Amsdorfi, præter morem tuum & meritum meum, præſertim in iſto ſeculo tentationū, & periculis pleno. Peſtis apud non regnat, ſed tamē aliquando prodit & oſtentat ſe in angulo aliquo. CHRISTVS autem ſanet te in medio iſto incendio, Amen. Nos Viſitatores h.e. Epiſcopi ſumus, & inuenimus paupertatē & penuriam vbiq;, Dominus mittat operarios in meſſem ſuam, Amen. Tu quæſo ora pro me Dominū & vale. Salutant te noſtri Vuitenbergæ, 1. Nouembris. Anno M.D.XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. GEORGIO SPALATINO.

Quendam Iuuenem antea à Philippo commendatum rurſus commendat, & quod ob ſuam commendationem alium adoleſcentem adiuuit, gratias agit. Mingfuuitii bellum diſsipatum, ceptam Viſitationem procederee, & magnam paſtorum paupertat inueniri ſcribit, obſecrans Deum, vt ipſorum ægeſtati ſuccurrat.

GRatiam & pacem in Domino. Hunc Iuuenem antea tibi commendatum à Philippo noſtro Melanchthone, mi Spalatine, rurſus cōmendo, tantum vt eius non obliuiſcaris, quaqua data occaſione promouendi ad officium inſtitutum, ſcio autē quod facies etiā nullus admonitus. Et gratias ago quod affueris adoleſcenti ſcholam Germanicā profeſſo.

Nos nihil hîc noui habemus, præterquam quod Minckuuitij bellum diſsipatum eſt, DEO gloria, & milites dilapſi, præter paucos, qui Sonneualdi vexant ciues. Viſitatio noſtra procedit, quas ibi miſerias videmus? Et quã ſæpe tui recordamur inuenturi ſimiles vel maiores in iſta dura gente Voytlandia. Oremus quæſo Dominũ, vt nobis omnibus aſsit, & promo-

Min:ſterii continuatio ueat ipſe miſerrimos Epiſcopos, ipſe optimus & fideliſsimus Epiſcopus noſter aduerſus oẽs artes & vim Sathanæ, Amen. Salutat te reuerenter Ketha mea & Ionas Iuſtus. Et vale ſuauiter in CHRISTO victore omnium tentationũ tuarum, Amen. Octaua Nouembris. Anno M.D.XXVIII.

T. Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM SPALATINVM.

Maluiſſe ſe vel otioſas potius ad ipſum quam nullas dare literas, oblata occaſione ſcribendi, & ſuarum loco Argulæ literas mittere, vt piiſsimæ fœminæ ærumnas inde cognoſcat. In Viſitatione ſua quid fiat, nuntiat.

GRatiam & pacẽ in CHRISTO. Quanquã occupatiſsimus ſim, nolim tamen hunc pædagogon mihi à te pridẽ commendatum & redeuntẽ ad te venire vacuum. Nec ſanè eſt, quod ſcriberẽ, cũ proximis literis omnia ſcripſerim. Argulæ noſtræ literas ad te mitto, vt legas, pro meis literis & videas quid ferat ac patiatur pijſsima mulier. Salutat te Ketha mea

Prouer. 5. reuerenter cum tua Hinnula & ceruula chariſsima. In noſtra Viſitatione in orbe Vuitenbergenſi inuenimus adhuc omnes paſtores cum ſuis ruſticis concordes, ſed ſegnes populos ad verbum & ſacramentum. Ora pro nobis. Die Martini. Anno M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

D. NICOLAO AMSDORFIO.

Se occupatiorē eſſe quam vt poſsit cōtra eius hoſtem calumū iam ſtringere, ſcripſiſſe tamē ſe ea de cauſa Principi Holſatienſi ſignificat, & cōtra iſtius iniurias ipſum cōſolatur, Aſsā de Kram miſere adeò interiiſſe dolet.

GRatiam & pacē. Vellem Melchiorem iſtū tuum hoſtem petere ſtylo ſi vacaret, mi Amsdorfi, ſed modo ſum certè occupactior. Scripſi tamē antea Principi Holſatienſi, ſed is reſpondit mihi literis ſuis, non eſſe id in ſua ſed patris Regis ſc: poteſtate. Tu verò fortis eſto, ſciēs, quod Sathan eo ipſo dum triumphat, cadit, Ita & hoſtes illi iā ſunt in caſu ſuo dum ſeſe putant eſſe in regno, ſcriptū eſt enim, Deieciſti eos dum alleuarentur. Et cum dixerint pax & ſecuritas, &c. Nouitates iſtas incertas nec ego credo, ſed valde doleo Aſſam von Kram tam eſſe miſerè mortuum in aliena regione, nempe Curæ in Heluetijs, cum antea perijſſet vxor in partu cum fœtu, quam breuis carnis fœlicitas & miſerabilis exitus? Vale in Domino, & pro me diligenter ora. Vitenbergæ, M. D. XXVIII. die Katharinæ. Martinus Lutherus. Obitus Aſſæ de Kram præſtantis nobilis.

VENERABILI IN CHRISTO VIRO D. NICOLAO Hauſmanno Cygneæ Eccleſiæ Epiſcopo ſuo in Domino Maiori.

Miratur cur viſitatio Voitlandica Hauſmanno ſit ignota, & reſcindit ſponſalia ſine conſenſu parentum facta, concedit etiam coniugium inter duas perſonas cæcas.

GRatiam & pacem in Chriſto. Miror quid ſit, quod de Viſitatione Eccleſiarū adeò nihil noſſe videris, mi Hauſmanne, cum ego aliud non ſciam, quam te ipſum eſſe ſocium & vnum Viſitatorū eius regionis cum Spalatino, Doltzigo & Plaunitzio, ac ſperaueram iamdudum vos incepiſſe Viſitationē. Nos quidem in noſtra parte ferè menſem conſumpſimus viſitando. Neq; regio veſtra eſt in noſtra ſorte per Principem ſignata, vbiq; Sathan eſt Sathan, ſperamus tamen bona, quantumuis ſit magnus verbi contemptus.

Verlobniſs one der Eltern vorbewuſt.

Die Eheſache mit der Jungfrawen/ ſo ſich hinter wiſſen vnd willē jrer ſtieff vnd rechten Eltern hat verlobet/rc. ſehe ich dermaſſen an/das der Geſelle oder Bottel hat geld geſucht/ vñ den Eltern jr Kind alſo heimlich wollen raubē/ welch exempel taug gar nichts. Darumb thet ich in dieſer ſachen nach dem wort Gottes/vnd lieſſe die Eltern hie recht behalten/ vnd ſolte wol billich ſolche thürſt deſs Geſellen zum exempel der andern geſtrafft werden/ die Magd auch ein ſtaupe haben/ denn wo das einreiſſen würde (wie vorhin) köndt kein Man ſein Kind behalten.

Ob blinde perſonē einander heiraten kondten.

Den Blinden vñ Blindin gebe ich zuſamē in Gottes namen/ angeſehē die fahr der ſtummē ſünden vnd andern vnrat. Ob nu Kinder drauſs würden/ oder ſchwer ſein würd ſie zuerneeren / ſo mus mans annemen als ein vnfal / Gott zu lob vnd ehren. Es geſchiet doch ſolcher fall ſeltē/wie ein ander zufelliges vbel/villeicht verſucht Gott vnſern glauben alſo / acht auch man köndt ja etwa ein erbeit finden/damit ſolche blinde perſonē mochten geübet werden. Hiemit Gott befohlen/Amen. Dornſtags nach Eliſabeth. M. D. XXVIII.

Tuus ex animo Martinus Lutherus.

D. PHILIPPO MELANCHTHONI.

Mittit P. Melanchthoni & M. Lucæ quaſdam literas ex Auguſta miſſas, conquæritur etiam de ſua tentatione, & ſe eius precibus cōmendat.

GRatiam & pacem in Domino. Mitto hîc literas tum ad te,tum ad M. Lucam datas,diu apud me moratas,cętera Cancellarius narrabit. Dicito Lucæ, hîc eſſe Chirothecas & capitiolum nigrum, ex Anguſta miſſa cum cæteris, ſi in literis ſuis inuenerit,cui debeāt dari,ſcribat. Nam nos noſtra accepimus,ſed ſuas literas nolui aperire. Mea tentatio hodie me viſitauit, ora quæſo pro me ſicut ego pro te, ne defitiat fides mea in iſta cribratione. Cancellariū honorauimus ſaxonicè, ſalua eſt tua familia & omnes nos. Salutat te mea

Luc. 22.

Ketha

Ketha reuerenter, optatq́; tuum reditum, CHRISTVS ſit tecum & faciat te quoq; mei meminiſſe, Amen. Valeant omnes noſtri apud te, altera poſt Catharinæ. M. D. XXVIII.

Erhardi Holſatienſis literas mittere volui, vt memor eius eſſes alibi eum promouendo. Nos omnibus odio fieri video etiam noſtris, CHRISTVS autem ſit noſter & nobiſcum, Amen.

D. NICOLAO HAVSMANNO.

Significat Principem Saxoniæ Electorem Ioannem omnes difficiles caſus coniugii ad ſuam aulam & cancellariam recepiſſe.

GRatiam & pacem in CHRISTO. Patere quæſo, mi Hauſmanne, factũ iſtud Senatus veſtri, donec Princeps aliud ordinarit: Tamen priuatim & publicè roges, ne quid ſimile deinceps attentent. Quia Princeps in Cancellariã ſuam aduocat omnes difficiles quæſtiones coniugij, donec ſtatuatur certa forma, vt expreſsè cõtinet inſtructio Viſitatoribus man data, vt videbis. Ideo monebis eos, vt talia exempla deinceps vitent metu Principis, velis ſemel id condonaſſe eis, ſed ne denuò cauſam præbeant accuſandi. Faueo tibi, quod officio Viſitatoris es ſupportatus, propter tuos Cygnæos. Noua nulla apud nos. Tantum ora pro me & precibus CHRISTVM inuoca, in quo benê vale. 2. Decemb: M. D. XXVIII.

Martinus Lutherus.

FINIS HVIVS SECVNDI TOMI.

LAVS DEO.

A

Abbatis Hirsfeldenſis pietas erga Lutherum, fol. 140. a
Abbatia Staupitij, f. 75. b 110. a
Abrogatio legum Papæ, f. 49. b
Abrogatio minoris Chori Vuittẽbergæ, f. 153. b 168. b
Abrogatio Miſſarum, f. 111. a 153. 247. a
Abrogatio Sacramenti confirmationis, f. 90. b
Abſolones Lutheri Sacramẽtarij, f. 310. b
Abſtinendũ quomodo ab eſu carnium, f. 165. a
Abundantia victus &c. labori noſtro non adſcribenda, f. 210. b
Abuſus libertatis Chriſtianæ 49. b
Academia Vuittenbergenſis, vide in Vuiteberga.
Actio Alberti comitis Mansfeld. nomine Georgij Ducis Saxoniæ cum Luthero, vide in Luthero.
Actio hominis in ſuperiora, 116. a
Actio hominis in inferiora, ibidẽ.
Actiones Lutheri variæ, vide in Luthero.
Adflictio ſequitur pietatem, 218. b
In adflictionibus auxilia & remedia vnde petenda, f. 189. b 190.
Adiaphoriſtæ, f. 370. a
Adoratio Chriſti ſub Sacramento f. 71. 72. 168. a
Adriani Papæ Bulla, 55. b 151. b 140. a
Agnitio Euangelij, f. 100. a
Agones & humilitas ſanctorũ in morte, 376. a
Agrorum fertilitas ex Dei benedictione, f. 210. b
Albertus Comes Mansfeld. 134. b
Eiusdẽ actio cum Luthero, nomine Georgij Ducis Saxoniæ, in Luthero.
Albertus Dux Pruſsiæ, ſtudioſiſſimus Euangelij, In Pruſsia,
Aldenburg, f, 73. b
Aldenburgenſis vocatio, ibid.
Aldenburgenſium Paſtor M. Eberhart⁹, 296. b 298. a 300. a 321. a
Aleander. 7. a 8. a (333. a
Alimonia & virtus Chriſtianorum 212. b
Alſtedt, 269. a 271. b 280. a
Ambitioſi prædicatores 84. a
Ambroſius Moybanus 316. a
Amicorum ſalutationes. 377. b
Amsdorff. f. 76. b 246. b 277. a 205. a 310. a

Anabaptiſtæ 366.a. 371.a. 376.a.
Anabaptiſta Melchior Pellifex 16.
Anabaptiſtarum morientium induratio, 376. a.
Andreas Carolſtadius, vide in Carolſtadio.
Angliæ Rex, 91.b. 94.b. 290. b. 292.a 296.a. 328.a. 329.a. 330. a. 75. b. 88. b.
Angliæ peſtis Cardinalis Eboracenſis 290. b.
Animalium & auicularum labor 211.b.
Animarum ſtatus poſt mortem f. 44.b 82.a.
Antichriſtus Papa 12. a.
Antichriſti regni deſtructio 77b.
Antichriſti regnum quomodo deſtruendum 159. b.
Antichriſti temeritas 159. a.
Antichriſti damna 154.b.
Antuerpia, 62. b. 64. b. 279. a. 281. a. 283. a.
Apellus, 264. b.
Apologia Apelli. 141. b.
Apologia Iuſti Menij, 331.a. 360b.
Appellatio Sacerdotum coniugum Argentinæ, 242. a.
Arabes, 191.b.
Argentinenſes, 233. a. 247. b. 301. b. 302. a.
Argentinenſes incipiunt agnoſcere doctrinam Euangelij 248. a.
Ad Argentinenſes adhortatio Lutheri, vt in Euangelij cognitione permaneant 252. b.
Argentinæ Sacerdotum coniugũ appellatio, 242. a.
Argentinæ à Carolſtadio turbæ excitatæ ſparſis erroribus, 249. a.
Argula võ Stauff/ 71. a. 181. a. 182.b. 235.b. 244.a. 245.a. 394.b.
Argumenta Buceri, & aliorum Sacramentariorum diluuntur, vide in Sacramentarijs.
Argumentum Carolſtadij, in negocio Cœnæ dominicæ, à tempore ad opus, 202. a.
Articuli paſtoris Eſlingẽſis, 162. a
Articuli erronei à Spiritu Antuerpienſi aſſerti, 283. a.
Arrianorum error 304. a.
ASſæ de Kram verè nobilis obitus 395. a.
Aſtrologi 203. b.
Aſylon perditorum 226. a.
Auaritia 210. b.
Auaritia priuatarũ domorũ 213. a.
Audacia

Audacia Satanica fol. 120. a.
Auguſta 16.a. 172.b.320.b.330.a.
Auguſtanis illata iniuria ob celebratas nuptias Sacerdotis cuiusdam, 172. b.
Auguſtinus Schurff medicus, f. 336.b. 339. b.
Auicularum victus ex Dei benignitate, 211.b.
Ab Aula abhorret Luther⁹ 58. a.
Aulæ conſilium de conſenſu vicarij Linci 112. a.
In Aulis cupiditas vindictæ 77.a.
Aulicorum quorundam iniquitas fol.323. a.
Aulicum concionatorem arguit & inſtituit Lutherus. 76.b.77.a. 221.b. 245. a.
Aurogallus. 268. b. 270. a.
Autoritas parentum. 118. a.
Antoritas parentũ in contrahendis ſponſalibus liberorum. 318. a. 324.b. 366.b. 388.b. 395 b.

B

Baalitæ Vuitebergenſes. f. 166.b.
D. Bach captus. 379. a. 383. b.
Badenſis Cancellarij inuectiua in Lutherum, vide in Luthero.
Baptiſmi votum ſolum nunc reliquum, fol. 120. a.
Baptiſmus & fides paruulorum, 42.a. 43. b. 67.
Baſilea. 247.a.269.a.
Baſilius VVeßelus. 89. b.
Bauariæ Dux. 182. a.
Bella Dauidis. 215. b.
Belligerari cum rebus inſenſatis (231. a.
Benedictio Dei. 210.b.
Benedictiones impiorum. 272. b.
Beneficia Dei temporalia,294.a.
Bennonis ſanctificatio, 240. b.
Bernhardus Carmelita exuſtus Mechliniæ, 293. a.
Berguitz 317. b.
Bethauen Vuitebergenſe, vide in VViteberga.
Bibliorum tranſlatio, vide in Indice Biblico ſeu Exegetico.
Billicanus Nordling. Eccleſiaſtes. 272. b. 311. a. 314. a.
Blaſphemia Chriſti. 350. b.
Blaſphema doctrina Papæ de bonis operibus. 123. b. (63.b.
Blaſphemiæ Papiſtarũ, 163. 99.b
A. Bodenſtein/ vide in Carlſt.
Bohemi Galatis collati. 86. a.
Bona opera teſtantur de bona perſona. 64. b.

Bona opera iuſtificatorũ, f. 157.b
Bornerus, 66. a
Boye Nicolaus Parochus Meldorfenſis in Diethmaria, 261. a
Bremæ docetur Euãgeliũ,(266.b 98.b 205.a 233. a.
Brentij laus, 342.a 361.a
Briſmannus Ioannes docet Euangelium in Pruſsia, in Pruſsia.
Brunsfelſius, 247.a 272.b 364.a
Brunſuicenſis vrbs amplectitur Euangelium, 205.a 233.a 367.b 371.b 376.b
Bucenus, vide in Sacramentarijs.
Bulla Adriani Papæ, 55.b 140.a 151.b 155. b.

C.

Cæſaris mandati declaratio, 139.a
Calumniatores Lutheri, v. in Luthero.
Camerarius, 196. a
Cancellarij Badenſis inuectiua in Lutherum, vide in Luthero.
Canonici, 168. b
In Canticis quid retinendũ, 157.a
Cantilena Eccleſiæ de virginibus celibem vitam ducentibus, 275. a
Cantilena Lutheri contra auaritiam, 208. a
Capita doctrinæ Chriſtianæ, 157.a
Capita Schatzgeyers confutanda, 114. b
Capito, 36. b
Cardinalis Eboracenſis, peſtis Angliæ, 290. b
Caroloſtadius, 45. b 56.a 57.a 60.b 196 b 384.b 236.a 237. 251.
Carolſtadij nuptiæ, 45. b
Carolſtadij filioli cõpatres, 312.a
Carl: commentarius ſuper verbũ, Dedit, in verbis cœnæ in Indice exiget.
Carl: effugia & latebræ, 203.a
Carl: cur ab Euangelio defecerit,
Carl: ſeruus Diaboli, 235.a (231.b
Carl: dogmata de Sacramẽ: 237.a
Carl. quo ſpiritu agitetur, 272.a
Carl: errorem de Cœna Zuuinglius tuetur, 243.a 247.a (247.a
Carl: furor aduerſus Lutherum,
Carl: errores vitandi, 249.a
Carl: inſcitia, 249.b
Carl: linguarum ignarus, 250.b
Carl: futiles rationes, ibidem.
Carl: doctrinæ ſucceſſus, 246.b
Carl: autor erroris de Sacramento, 298.b
Carl: Argumentum in controuerſia Cœnæ dominicæ, à tempore ad opus, 202.a

Carlſt: inſania in diruendis imaginibus, folio 251. a.
Carlſtad: autor ſeditionis rusticorum, 280. a
A Carl: turbæ excitatæ Argentinæ, 249. a
Carl: paraſtatæ, 269. a
Carl: degens in Berguitz. 355. b
Carl: induratio, 376. a 380. a
Carl: diabolo traditus, 272. a
Eiectionis Carolſtadij Lutherus an autor, 251. a
Contra Carlſtadium Lutheri, vide in Luthero.
Ioan: Carlſtadius eiectus Vuittenberga, 186. b
Carmelita Prouincialis occiſus Halberſtadij, 161. b
A carnium eſu quando abſtinendum, vel non, 165. a
Articuli de carnium eſu Confutatio, 164. a
Carnibus veſci, non est peccatum, 164. a 165. a
Caro Chriſti non est res neutra, aut quæ non afferat ſalutē, 303. a
Caro ferina Doctorādis miſſa, 111.
Caroli Imperatoris ſoror Elizabeta, Regis Daniæ vxor moritur, 311. b
Caſpar Schatzgeyer patronus Miſſarū & votorū Monaſt: 113. b
C. Schatzg. Indagines edit, ibi.
Caſpar Tauber Martyr, 243. b
Caſtigatio fraterna, 77. a
Caſus Matrimonialis, vide in M.
Catologus Germanicorum Martyrum, 253. a
Catharina à Boren Lutheri vxor vide in Luthero.
Catharinus Epiſcopus Venetus, Lutheri aduerſarius. 62. a
Cangiſtorfius concionator Magdeburga pulſus, 39. b
Cauillatio Papiſtarum, de vitæ noſtrorum diuerſitate, 229. b
Cedar, in Indice Biblico.
Cellarius, 367. a
Cenſura Lutheri de libello ſuo de Votis, vide in Luthero.
Ceremoniæ, 178. a 235. b 243. a 251. a 288. a 316. a 331. a 347. b.
Ceremonijs verbum Dei adiectum, 288. a
Ceremoniarū libertas, 347. b 371. a
Ceremoniæ quomodo repurgandæ, 152. b 153.
Ceremoniarū mutatio verbo tentanda, 49. b 56. a 59. a 63. b 64. b 74. a.

Pro Ceremoniarum vnitate concilium an cogendum 243. a
Charitatis et fidei præcepta 110. b
Charitatis officia 124. a
Chaſelius 302. a
Chori minoris Vuitteberg: abrogatio, vide in VViteberga.
Chriſtus petra, in Indice Biblico.
Chriſtus pro ſuis, 104. b
Chriſti omnipotentia, ibidem a.
Chriſt⁹ fūdamētū Eccleſiæ, 176. a
Chriſti prædicatio, Sathanæ confuſio, 82. a
Chriſtū nō tāgere, quid? in Indice (Biblico.
Chriſtum loqui per prouerbia. quid? ibidem,
Chriſti irriſores Sacramentarij, in Sacramentarijs vide.
Chriſti & Pauli ſitis, 101 b
Chriſtianæ doctrinæ ſūma, 124. a
Chriſtianæ doctrinæ fundamentum, 136. b
Chriſtianæ libertatis abuſus, 49. b
Chriſtianorum vita conſiſtit in caritate erga proximum, 164. b
Chriſtianorum Iuſtitia, 162. b
Chriſtiani quomodo regēdi, 159. a
Chriſtianorum pugnæ, 83. b
Chriſtianorū libera cōfeſſio, 370. b
Chriſtianorum vera conſolatio à Deo, f. 185. b
Chriſtianorum Simpathia, 172. b
Chriſtianorum ſpes, 186. a
Chriſtianorum vera vindicta contra inimicos, 187. b
Chriſtianorum victus & alimonia 212. b
Chriſtiani ſunt carbones Iuniperi, 190. b
Chriſtianorum communia, non facienda ſunt propria, 117. b
Chriſtophorus à Breſſen in Mutterwitz, 166b. 168. b
Cleri et Laicorū diſtinctio, 154. b
Cochlei libellus contra Lutherum, 181. b (282. a
Cœleſtium ſpirituum iactantia,
Cœlibatus Papiſtarum, 306. b
Cœnæ Domini intelligentia ex Chriſto agente pendet, 202. a
In Cœna Chriſti præſentia, 168. a
In Cœnæ negotio aperta ſcriptura prolata à Luthero, 201. a
De verbis Cœnæ, vide in Indice Exegetico.
Cœnæ Domini profanatio, 159. a
Cœte, bellua marina 71. b
Cogitationes de interuallo temporis & dationis in cœna Domini, 200. a

Cogitationes mundi de politiarum ſucceſſu, fol. 213. a
Cogitationes Sathanæ, 221. b
Collatio temporum Heliæ & Lutheri 89. b
Collatio Moſis et Homeri, 287. b
Colloquium Lutheri cum Spiritu Antuerpiano, vide in Luthero.
Comitia Norinbergẽſia, 75.a 183.b
Comitia Ratisbonenſia, 369.a
Comit: Spirẽſia, 318.a 371.a 375.b
Comitis Mansfeld: Alberti actio cum Luthero, vide in Luthero.
Communio ſub vtraq; ſpecie 133. a
Concilium an cogendum pro vnitate Ceremoniarum 243. a
Conciliorum leges & præcepta, 178. a
Concionatorum officium 191. a
Concionatores ſagittis collati, 190. b (230. b
Concionatorij muneris libertas
Concionatorum ſucceſſus, 191.
Concionatorũ paupertas, 206.b
Concionandi incogitantia & præcipitantia, 368.b
Concionatoris cuiusdam Zwiccauienſis inſolentia, 368. a
Confeſſio non neceſſaria, 164. b
Confeſſio Lutheri, in Luthero.
Confeſſio magna Lutheri de Cœna, in Luthero.
Ad Confeſſionẽ adhortatio, 174. b
Confeſſine aperta & libera, ſine fuco aut ambiguitate ſermonis, Tyrannis eſſe reſiſtendum, 370. a
Mandata hominum de non confitendo verbo DEI, an valeant, 189. b
Confirmationis Sacramentum abrogandum, 90.b 184.a
Confirmatio Monaſtices Schatzgeyeri, 115. a
Confutatio Articuli de eſu carnium, 164. a
Coniugium ſacerdotum, 221. b
Coniugiũ Lutheri, vide in Luth.
Coniugium Spalatini, 280.a
Contra coniugium Spalatini calumniæ 386. b
Coniugiũ Michael: Stifelij, 386.b
Coniugum ſacerdotum appellatio Argentorati, 242. a
Conſcientiæ libertas, 165.a
Conſcientia rea, 125. b
Conſilium Aulæ de conſenſu vicarij Linci, 112. a
Conſilium de non vindicando, ſed perferendo, 192.a

Conſilium

Conſilium Lutheri de Papæ præceptis vitandis, vide in Luthero.
Conſolationum hortus eſt ſancta Scriptura, 95.a
Conſolatio afflictorum, 102.a
Conſolatio in tentatione, 344.b
Conſolatio coniugũ, 209.b 210.a
Conſolatio Lutheri, vide in Luth.
Conſolatio falſa, 187.a
Coſolationis falſæ finis, ibid.
Conſtãtia Lutheri, vide in Luth.
Conſtantia Hartmanni à Cronbergk, 125.a
Conſtantia & pietas Meldorffiorum, 263.b
Contemtus verbi Dei pœna apud Iudæos, 105.b
Contemt⁹ verorũ doctorũ, 207.b
Conuitia de Luthero ſparſa, in Luthero.
Conuitia Lipſenſium in coniugium Lutheri, in Luthero.
A. Cordatus, 332.b
Corporis Sacrificium, 97.b
Corpus ſuum an per homines det Chriſtus, 202.b
Correctio cũ manſuetudine, 37.b
Cotbuſium, 61.a
Cronbergij Confeſſio, 100.a
Cronbergij conſtantia, 126.a
Crotus, 307.a
Crux & perſecutio, 124.a
Cultus Miſſarum, 159.b
Cultus Sanctorum, 68.b
Cupiditas vindictæ in Aula, 77.a
Cura & ſolicitudo noſtra Deo relinquenda, 214.b
Curam omnium Deus gerit, 218.a
Curioſi ſpiritus pugna, quòd Deus non permittat fieri peccatum,
Curriculũ Euangelij, 223.a(284.a
Cygnæi Prophetæ, 46.a 49.a

D.

Dæmonũ opera ſunt morbi, 382.a
Damnatio Monaſteriorũ, 158.a
De Damnatis, 45.a
Daniæ regis vxor, Caroli Imperatoris ſoror Elizabetha moritur, 311.b
Daniæ Regis Chriſtierni calamitas, 313.b
Ad Dantiſcanos vocatio Pomerani, in Pruſſia,
Dauidis peccatum bella &c., in Indice Biblico.
Decreta conciliorum, 158.
Decreta Papæ quomodo tolerari poßint, 178.

Defectio

Defectio ad Papam, fol. 85.a
Defenſio Apelli, 141. a
Dei regnum, 93. a
Dei benedictio, 210. b
Dei voluntas inſcrutabilis, 393.
Dei promiſsiones de alimonia, 353 a
Deliria Muntzeriana, 224. b
Deſtruct: regni Antichriſti. 75. b
Diabolus ſubruſticus, 249. b
Diaboli potentia, 382. a
Cõtra Diaboli furores vltio, 188 b
Diaboli artificium, quo nos abducit à ſimplicitate fidei, 71. b
Dicta Ethnicorum, 214. a
Didymus, vide Gabriel.
In Diethmaria exuſtus propter Euangelij confeſsionem F. Henricus Sudphanus, vide in Henrico & in Meldorff: &c.
Diſcenda neceſſaria & à DEo præcepta 285. a.
Diſceptatio inter Erfordiẽſes 81. a
Diſpenſatio Papæ in cauſis Matrimonialibus 180. a
Diſputatio Zwinglij in Heluetijs 140. a
Diſpenſatio de occultis operibus Dei 392. b
Diſtinctio Cleri & Laicorum, 154. b
Diſtinctio inter timorem Domini, & timorem pœnæ 355. b
Diſtributio præſentiarũ, 153. b
Diuina Hiſtrionia 215. b
Diuinitus præcepta non applicanda eſſe pro electitijs cultibus 117. a
Diuiſio vitæ hominis, 50. b
Diuitiarum acquirendarum ſolicitudo remoratur Euãgeliũ &c. 206. a
Diuorum imploratio 82. b
Diuortium 180. a
Doctrinæ Chriſtianæ fundamentum 163. b
Doctrinæ Chriſtianæ ſumma, fides & dilectio, 124. a
Ioannes à Doltzigk Eques, 239. a
Domeſtica res fide adminiſtranda, 210. a
Domum ædificare quid? Pſal: 127. in Indice Biblico.
Duciſſa Monſterbergenſis elapſa ex Monaſterio, 390 b
Dux Bauariæ 182. 236. b
Dux Frideric: Saxoniæ etc. in F.
Dux Georgius Saxoniæ &c. in G.
Dux Pruſsiæ Albertus ſtudioſiſ-

ſimus Euangelij, In Pruſsia.

E.

Erhardus Briesger Paſtor Aldenburgenſis 296. b. 298. 300. a 312. .317.
Eccius 7.a.64.a.180.b
Eccleſia an ſuper Petrum & Papam ædificata 176.a
Eccleſia an credere debeat, paruulis infundi fidem? 43.a
Eccleſiam eſſe audiendam 96.b
Eccleſia vera. ibidem
Eccleſiæ fundamentum Chriſtus 176.a
Eccleſiam Papæ non eſſe Eccleſiam 97.a
Ecolampadius. vide in Oecolamp:
Efficacia verbi Dei 189.a
Egranus 237.a
Eilenbergenſis Conditio Eccleſiaſtica 62.a
Eislebius, vide in Iſlebio.
Electio Decani in Dioceſi Vitebergenſi, 135.b
Elemoſina pro Franciſco Lamberto, 126.a
Elemoſina pro Virginibus veſtalibus 134.a
Elizabeta vxor Regis Daniæ Caroli V. ſoror moritur. 311.b
Elizabeta Lutheri filia naſcitur, vide in Luthero.
Eadem moritur, in Luthero.
Emſero Lutherus cur non reſpondeat 363.b
Emſeri mors ibidem
Encomium Minoritarum 114. a
Eobanus Heſſus, 307.a
Epiſcopalis liberalitas 386.b
Epiſcopus primus Euangelio deditus, 286. a
Epiſcopi in Pruſsia recipiunt Euangelium, In Pruſsia.
Epiſcop⁹ Vratislauienſis piè mortuus, 7.b
Epiſcopi Papæ, eorumq; poteſtas, 177.a
Epiſcoporum & principum conſpiratio, 314.b
Epiſcoporum fœdus contra Electorem Saxoniæ 380.b
Eraſmus, 64.a.66.b.160.a.b.184. b. 194. a. b. 238. a. 270.a. 299. b. 304.b. 309. b. 314 a. 317.b. 328.b 341 a. 352.b
Eraſmus hoſtis Luth: 64.a.314.a
Eraſmus errat de prædeſtinatione 66.b

Eraſ-

Eraſmi mordacitas in perſtringendis Lutheranis, 194.b
Eraſmianæ morſionis aculei 195.b
Eraſ: furor aduerſ⁹ Lutherũ 314.a
Erfordia, 6.b.9.a.54.b.59.a.80.b 293.a. 301. 328.b. 360. 375.a
Erfordienſium ingratitudo erga Euangelium, 331.b.375.a
Erronei ſpiritus apud Antuerpienſes, 281.b
Erronei Articuli aſſerti ab eodem ſpiritu, 283.a (207.a
Erroneæ doctrinæ in Papatu.
Errorem damnaſſe non eſt vitium, 302. b
Error Arrianorum. 304.b
Eſlingẽſis paſtoris Articuli 162.a
Ethnicorum dicta, 214.a
Euangelij agnitio, 100
Euangelij fames & ſitis. 101.a
Euangelium verbum crucis & vitæ, 174.b
Euangelij fortuna, 175.a
Euangelium oppugnatur varijs modis, 248. b
Euangeliũ doctrina pacifica 191.b
Euãgelicæ doctrinæ natura, 173.b
Euangelij curriculum, 223.a
Euãgelij curſus fœliciſſim⁹ 287.a
Euangelij lux apud Linonienſes 122.b.183.a
Euangelium Brunſuſcenſes amplectuntur, In Brunſuic:
Euangelium Epiſcopus Sambiẽſis in Pruſſia amplectitur. in Pruſſia
Euangelium Vratislauienſes amplectuntur, 234. a
Euangelij perſecutio in Germania 122. b.
Ex Euangelio pœnitentia an docenda, Iſllebij controuerſia. 363.a
Euangeliſtæ aulici officium, 77.b
Euangeliſtæ importuni 141.b
Eunuchi Tranſlatio, 64.
Excommunicatio Papæ 158.b. 325.b
Exemplorum imitatio 118.b
Exempla fidei alienæ 42.b
Exorciſmus, 67.b
Experientia noſtrorum temporũ, 223.a
Experientia noſtra de ratione victus noſtri, 212 a
Experimentum fidei 303.a
Expoſtulatio Lutheri cũ Capitone de vxorato Sacerdote, 38. b
Expoſtulatio Hutteni cum Eraſmo, 195.a

F.

Facultas noſtra 84.a.
Fames & ſitis Euangelij 101.a
Faber Vicari⁹ Cōſtātienſis 129 a
Ferdinandus Rex Boëmiæ 71.a
Fertilitas agrorum ex Dei benedictione 210.b
Fidei efficacia 123 b
Fidei vſus 123 a
Fidei iuſticia 157.a
Fides an ſine operibus eſſe poßit 387.b
Fides exercenda contra ſollicitudinem victus 213.a
Fidei experimentum 303 a
Fidei & charitatis præceptū 110.b
Fide aliena nos non ſaluari, 308.b
Fidei alienæ Exempla 42.b.48.b
Fides paruulorū 42.a.67.a.308.b
Ad fidem ſeu religionem an cogi quis poßit? 305.a
Fides Lutheri, vide in Luthero.
Fidei confeßio Lutheri, Vide in Luthero.
Flagella incredulitatis 209.b.
Petrus Florus 314.a (86.b
Forchemius Concionator Erford:
Fœdus Epiſcoporum contra Electorem Saxoniæ 380.b
Fœdus principum 379.b (312.b
Fœtus in vtero manibus ſenſibilis
Forma Mißandi 133.a.167.b.
Fortitudo Lutheri, in Luthero.
Fortuna verbi Dei ſeu Euangelij 101 a. 133.a. 167.b
Franciſcus Lambertus 121.a.152.b
Fraterna caſtigatio 77.a
Fridericus Dux Saxoniæ Elector 10.b.11.b.40.b 46. 52.b 55.a 56.b 60.b. 92.b 222.b. 237.b 281.a. 298. 299.a
Fridericus Abbas ad S. Ægidium Norimbergæ 332.b.334.a.358.a. 376.b.389.a.
Fridericus Mecum, aliâs Myconius 288.b
Friſia 98.b
Frumentum donum Dei 212.a
Fuga in Sabbatho et hyeme Math. 4. in Indice Biblico.
Fuga Præpoſiti Hallenſis 132.a
Fuga Coniugis Electoris Bandeburgici Ioachim: primi 375 a.
Fundamentum doctrinæ Chriſtianæ 163.b
Furor Diaboli in diuerſis ſpiritibus 282.b
Furor Sophiſtarum 76.a

Forſten

Forſtenwald diripitur à Nicolao à Mingkwiz 383.b.384 a.390.b

G.

Gabrielis Dydimi lapſus 50. a 62.b 65.b 68.a 80.a 88.b 92

Galatæ, in Indice Biblico.

Georgius. Dux Saxoniæ 113.a 120.b 133 b 292.a 310.a 313.b 374.b 380.a 381.a 386.b 389. b 390 a 391.b 392.a

Georg: Marchio: Brandenburgenſis 221.b

Georgius à Polentis, Epiſcopus Sambienſis in Pruſsia, Vide in Pruſsia.

Georgius Forchemius concionator Erfordenſis moritur 86. b

Georgio Maiori deſponſata Margaretha Mochin 385.a

Gerardus Doctor Agrippinenſis 61.b 62.a

Gerbelius 151.b. 234.b

Germaniæ periculum ob perſecutionem Euangelij 107.a

Glapius Minorita apud Carolũ V. 74.b.

Glatzius Doctor 236.a. 277.b

Gratitudo noſtra pro reuelata Euangelij doctrina 106 b

Gurcenſis Cardinalis. 11.b

H.

Hæretici & fanatici Spirituoſi 225.b

Hæretici & Iuſtitiarij à Diabolo et mundo nõ trucidantur 253.b

Hæretici an occidendi? 381.b

Halberſtadium 161.a

Hamburgenſes amplectuntur Euangelium 98.b. 390.b.

Hartmannus à Cronberg, vide in Cronbergio.

HElias Thesbites, In indice Biblico.

Henningus L L. D. Præpoſitus Vuitebergenſis 8.a

Henricus Sudphanus 152.a. 288.

Heſſorum Princeps 9.a. 278. 280.b. 364.b

Iohannes Heſſus D. 57. 75.a 234.a 315.b 324.a 327.a

Hieronymi commentaria in Paulum, in Indice Biblico.

Hieronymi ſententia refutata, 341. b 376.a

Hirsfeldenſis Abbatis pietas erga Lutherum, 140.a

Bernardus Hirsfeldius, 63 a

Hiſtoriarum veterum teſtificatio, 223.a
Hiſtoria F.Henrici Sudphanienſis, necati propter Euangelij confeſsionem, 252. b. 258. a. 259.b 260.261.262.263.264. 265.266. 267. 268.
Hiſtoriola pulchra et iocoſa 252.a
Hiſtrionia diuina 215.b
Hochſtratus 62. a
Homeri & Moſis collatio, 278.b
Hominis vitæ partitio 116.a
Hominis Actio in ſuperiora ibid.
Hominis Actio in Inferiora Ibidem
Homines ſagittis collati, 217. b
Hominum liberalitas in Papatu erga Sacrificulos. 206.b
Hominum faſtidium & ſecuritas 174.b
Humanæ rationis iudicium de diſpenſatione Oeconomiæ, 209. a
Humanæ traditiones in T.
Humanus labor eſt inuentio bonorum Dei, 212.a
Honoraria miſſa Luthero 7.a. 332.b.377.b.381.a
Hortus conſolationum ſacra ſcriptura, 95.a
Hortus Lutheri, in Luthero.
Hortus Ionæ, 338.b.
Humilitas & Agones Sanctorũ in morte, 376 a
Hungariæ Rex Ludouicus cæſus 315.a.
In Hungariã expeditio Turcica, 364.b. 366.b
Huttenus, 7.a.8.a.14.a
Hutteni expoſtulatio cum Eraſmo, 195.a

I.

IAcobus Prior Antuerpianus captus 76.a79.b
Iacobus Spreng 70. b
Ieiunium 165. a
Ibenæ inter Lutherum & Carolſtadium habitũ colloquium 203.a
Imaginum condemnatio. 49.b
Imperia non conſiſtunt ſine excubijs Dei. 214.a
Impia præſumtio & ſolicitudo taxatur 215 b
Impiorum benedictiones, 272. b
Impiorum magnificentia eſt ludus Dei, 213.b
Impoſtorum proprium in quarto modo 224.b
Impoſturæ ſpirituũ nouorũ 282.a

In-

Incredulitas aulica, 221. b
Incredulitatis flagella, 209. b
Indagines Schatzgeyers, 113. a
Infantes habent fidem, 67. b
Infirmi vbi tolerandi, 153. a
Infirmitas & malitia diſcernenda, 373b.
Ingratitudo Erfordienſium erga Euangelium, 331. a
Inſidiæ & practicæ Epiſcoporũ & Ducis Georgij, 313. b
Inſtructio Lutheri, data Georgio Chaſelio ad Euangeliſtas Argentinenſes, 302.
Inſtructio Viſitationis, 351. a
Inuectiua Cancellarij Badenſis in Lutherum, in Luthero.
Inuectiuæ Lutheri in Epiſcopos & regem Angliæ, in Luthero.
Ioachimi primi March: Brandeb: Electoris coniugis fuga, 375. a
Ioachimus II. Elector Brandeburg: 344. a
Ioannis Hus & Hieronymi de Praga ſanguis, 86. a
Ioannis Electoris Saxoniæ probitas, 323. a (52. b
Ioannes Frid: Elector Saxoniæ,
Ioannes Baro à Schwartzberg, 170. b
Ioannes à Doltzigk Eques, 322 a. 323. a
Ioannes Briſmann⁹, In Pruſſia.
Ioannes Froſch D. 320. b 330. a
Ioãnes Veldtkirch moritur. 149. a
Ioannes Agricola Iſlebius, infra.
Iohannes Cochleus, 182. b
Iohannes ab Eck, 12. a.
Ioannes Faber Conſtant: Vicarius criminator Coniugij, 5. a
Ioannes Rabula, 12. a
Iocus, 11. a 297. a 306. a 312. b 313. a 315. a 318. a 322. a 323. a 332. a 333. a 334. a 344. a 354. a 365. b 377. b 386. a 390. b
Iſlebius Agricola, 271. a ᵇ311. a 333. b 363. a
Iſlebij controuerſia, an pœnitẽtia ex Euangelio docenda, 363. a
Iudæus Polonus Vuitebergæ captus, 270. b 271. b
Iudicia temeraria, 391. a
Iudicialia Moſi, 74. b 185. a
Iuſtitia duplex, 157. a
Iuſtitia Fidei, ibid.
Iuſtitia Chriſtianorum, 162.
Iuſtitia operum in Papatu, 157 a
Iuſtificatorũ bona opera. 162. a

Iuſtus

Iuſtus cadit & reſurgit 308.b
Iuſtitiarij & Hæretici à Diabolo & mundo non trucidãtur 253. a
Iuſtus Ionas, 107. a 167. 329. a 245. b 271.a 309. a 321.a 323. b 338. a 346. 377. b
Iuſti Ionæ hortus 338
Iuſti Ionæ morbus 360.a
Iuſtus Menius 331. b
Iuterbocenſes Monachi 4.a 375.b
Iuuenes, 216.b
Iuuentus liberaliter educãda 218.a

K

L. Keyſer exuſtus in Bauaria (329. a
Kembergenſes 244.
Iuſtus Kernus 269.a 271.b
Kling Minorita Erphordenſis (360.a
Krauttwald. 314.a

L.

Labor approbatur, ſed auaritia improbatur, 210.b
Ad Laborem Salomonis adhortatio. 211. a
Laboris vtilitas ibid.
Labor humanus eſt inuentio bonorum Dei, 212. a
Labori non adſcribenda, abundantia, victus &c. 210.b
Labor animalium & auicularum 211. a
Lambertus Franciſcus, in F.
Lambertus Thorn. 181. b
Langus Erford: 54.a 58.b 292.b 293. 301.a
Lapſus Gabrielis Dydimi, in Gabriele.
Laſciuia vxoris quomodo refrenanda. 373 a
Lenicerus, 233, a
Leonartus Keyſer Martyr. 329 b
Leonartus Beyer Monaci captus & liberatus, 210. a
Lex moralis anteferenda ceremoniali, 65.a
Legum Papæ abrogatio, 49. b
Liber Baronis Iohã: à Schwartzberg. 170. b
Libri Lutheri, infra in Luthero.
Libri regis Angliæ 296. a
Libell⁹ de milite Chriſtiano, 321. b
Libelli duo contra Sacramentarios, vnus Theobaldi Billicani, alter miniſtrorum in Sueuia, 312. a
Libera Confeßio Chriſtianorum, 370. b
Liberalitas Epiſcopalis. 386. b

Liberalitas

Liberalitas hominum in Papatu erga Sacrificulos 206.b
Liberi donum Dei. 216.b
Libertas conſcientiæ 165.a (49.b
Libertatis Chriſtianæ abuſus
Libertas Ceremoniarũ 347.b 371
Liberum Arbitrium. 164.a
Libidines ſacrificulorum 207.a
Licentiatus Baſilius, 301.a
Lincus Vicarius 112.a
Lipſenſium conuitia in coniugium Lutheri, 385.391.b
Literæ Magiſtri Liuoniæ ad Lutherum, in Luthero. (lij, 122.b
Apud Liuonienſes lux Euange-
Liuonienſiũ agnitio Viſitationis 123.a
Liuonienſium poſtulationes 205.b
Melchior Lotter, 233.
Lucifugæ ſeductores noctuarum ſimillimi. 127.a
Ludouicus Rex Hungariæ cæſus, 315.a
Ludus Dei in Oeconomia. 209.a
Ludus Dei eſt magnificentia Imperiorum, 214.a
Lunæ tres viſæ, 374.a

LVTHERVS.

Lutheri inuectiua in Epiſcopos & Regem Angliæ, 88.b
Lutheri Libellus in Regem Angliæ, 730.a
Lutheri liber de votis, 114.a
Lutheri cenſura de libello ſuo de votis, 114 b
Lutheri & Carlſtadij congreſſus Orlamundæ 251.a
Lutheri apologia contra Caroloſtadium 243.a. 251.a
Lutherus an autor eiectionis Carolſtadij, 251.a
Lutheri ſcriptum contra Liberũ arbitrium Eraſmi 299.b
Luth: inſtructio data Georgio Chaſelio ad Argentinenſes, 302.a
Luth: ſcriptum contra Oecolampadium, 319.a
Luth: aduerſarius Sacramentariorum 350.a
Luth: ſcripta contra Sacramentarios, 349.b.
Luth: Confeſsio magna de Cœna Domini, 358.a
Luth: Reſponſio ad Georgium Ducem Saxoniæ, 392.a
Lutherus cur Duci Georgio & Emſero non reſpondeat, 363.b
Lutherus cur Fabro non reſpondeat. 129.b

Luth: liber de Traditionibus hominum, 52.b
Luth: Adhortatio ad conſtituendas ſcholas, 206.a
Luth.Cantilenæ, 239.a
Lut: Cãtilena cõtra auaritiã. 208a
Luth.adhortatio ad Argentinenſes, vt in Euangelij cognitione permaneant, 252.b
Luth.hortatur ad conſtantiã & concordiam Argentinenſes 248.a
Luth: confirmat Argentinenſes contra calumniatores & inſectatores, ibidem
Luth: transfert S.Biblia. Vide in Indice Biblico.
Lutheri *Enarrationes librorum ſcripturæ, Vide in Indice Biblico.*
Luthe: Reſponſio ad Quæſtiones VValdenſium 71.b
Luth. Reſponſio ad Quæſtiones de quibusdam locis ſcripturæ, vide in Indice Biblico.
Luthri Poſtilla, in Indice Bibli.
Prophetiæ ſeu vaticinia Lutheri.
Luth.vaticinium de ſeditione ſeu tumultu in Germania, qui Anno 25.ſecutus eſt, 10.a.47.b
Luth: vaticiniũ de fame in Germania propter auaritiam Germanorum. 207.a
Luth. *Vatic. de Sacramentarijs,* 304.a (60.b.
Luth.*Vatic.de Carolſtadio* 57.a
Luth.Vatic.de Emſero, 204.b
Luth.Vatici.de Aula Caroli V. Imp. 7.a.
Luth. *Vatic. de morte Electoris Saxon.Frid.* 10.b, 281.a
Luth.*Vatic de Nobilitate,* 326.a

L V T H. *Coniugium & Oeconomia.*

De ducenda Luthero vxore rumor, 245.a
Luth.*Coniugium cum Katharina à Boren* 131.a.294.b.295.a
Cauſa Coniugij Lutheri 300.a
Dies Nuptiarum, 295.a. 296.a
Offendiculum ex Coniugio Lutheri, 300.a
Lutherus alludit ad Katharinam ſuam Boranam, 297.a
Luthe.*ſolicitus pro vxoris ſuæ partu,* 343.b (316.b
Luthero *filius Ioannes naſcitur,*
Luthero *filia Elizabetha naſcitur* 362.366.a
Moritur *eadem* 385.a

Lu-

Lutheri hortulus, 317.a.332.a. 342.b.365.b.376.
Luth: paupertas,63.a.183.a.270.a 306.a.318.a.336.b 340.a.342.a
Luth. morbus 132.a,324.a.326.a. 336.b.384.a
Luth: medicina 326.b.336.b.
Luth: Teſtamentum, 336.

Dona,labores, Acta et Aduerſaria Lutheri.

Lutheri mordacitas 37.b
Luth:expoſtulatio cũ Vuolfg. Capitone de vxorato ſacerdote 38.b
Lutheri obſequium 40.a
Lutheri Pathmos 55.b
Lutheri reditus Vitebergã 107.b
Cauſa reditus Lutheri Vitebergam ex Pathmo. prima, ſecunda 46. tertia 47.
Lutheri periculum 51.b.54.b.57.a.76.a.226.b.270.b
Luth: preces ꝑ Eccl: Erford.81.a
Luth: petitio 138.a
Luth. Votum, 159.b
Luth.interceſsio apud Elect: Sax: pro Pfaffenbecio, 54.58.a.77.a
Luth:interceſsio apud Cardi: Moguntin.pro Præpoſito Noui operis Hallenſ. 133.b (41.b.58.a.60.a
Luth. Actio cum nouis Prophetis,
Luth colloquium cum ſpiritu Antuerpiano, 283.b
Actio cum Luthero Alberti Comitis Mansfeld. nomine Georgij Ducis Saxoniæ, 134.b
Lutheri ſtratagema in Papã 231.b
Lutheri conflictꝰ cũ Papatu 83.b
Lutheri calumniatores, 289.a
Luth: Abſolones Sacramẽta:310 b
Lutheri diſsidium cum Iſlebio
An pœnitentia ex Euangelio docenda, 363.a
Contra Lutherum inuectiua Cancellarij Badenſis, 64.b.
Contra Luth:inſidiæ Lei Oratoris Anglici in cõuentu Norinb:170.a
Contra Lutherum ira Regis Angliæ et Ducis Georgij, 292.a
Contra Luth: libellus Regis Angliæ Anno 22. 290.b
Contra Luth.libellꝰ Cochlei 182.b
Erga Lutherum pietas Abbatis Hirsfeldenſis 140.a
Literæ Magiſtri Liuon. ad Lutherum, 121 b
Lutheri & Vueſſeli conſenſus de religione ſeu doctrina 89.b
Luth. ſpes de cõcordia Bohemorũ & Germanorũ in religione, 85.b

Lutheri lætitia ob incrementum Euangelij, 100.*b*
Luth. lætitia ob fidem & agnitionẽ Euãgelij Argentinenſiũ 248.*a*
Lutheri fides 104.*a*
Luth: fidei confeſſio. 336.*a*
Lutheri conſtantia 16.*a*
Lutheri fortitudo, 55.*b*
Lutheri libri comburuntur, 13.*b*
Lutheri parati ad Martyrium gemitus & vota, 339.*a*.359.*b*
Lutheri mens immota & magnanimum pectus. 226.*b*
Lutheri parrhiſia 230.*a*
Lutheri Tentationes, 145.*b*.180.*b* 230.*b*, 321.*a*. 347.*a*. 353.*b*. 354.*b*. 356.*a*. 358.*a*.359.*b*. 362.*b*.365.*a* 382.*b*. 395.*b*
Lutherus non poteſt adulari 56.*b*
Lutheri Panoplia 341.*a*
Lutheri agones ibidem
Lutheri lucta 343.*a*
Lutheri priuata certamina 127.*a*
Lutheri doctrinæ ſumma 291.*b*
Lutheri doctrina Martyrum ſanguine ſtabilita et conſignita 253.*b*
Lutherus dolet Euangelium Lutheranam doctrinam dici 193.*b*
Lutheri moderatio in Comitijs VVormatienſibus. 103.*b*
Lutheri manſuetudo 195.*a*.343.*a*
Lutheri conſolatio 173.*a*
Lutheri modeſtia. 392.
Lutheri querela 336.*a*
Lutherus confitetur peccata ſua, 338.*b*.
Lutherus *Græcus* 307.*a*
Lutherus *Mathematices ignarus* 332.*b*
Lutheri *ſolidum iudicium,* 226.*a*
Lutheri *iudiciũ de Eraſmo* 194.*b*
Luth: *iudicium de Eraſmi libero arbitrio,* 238.*a*
Lutherus *pollicetur reſpondere Eraſmo,* 243.*a*
Lutheri *iudicium de fœdere coniuratorum principum,* 387.*a*
Lutherus *probator ſpirituũ,* 58.*b*
Lutheri *conſilium de Papæ præceptis fugiendis,* 178.*b*
Lutheri *memorabilis commonefactio,* 227.*b*
Lutheri *præmonitio de diſſenſionibus & Sectis,* 248.*b*
Lutheri *cura de diſcutiendo negocio Sacramentario,* 250.*a*
Lutheri *reſponſio ad calumniam quandam.* 284.*b*

Lutherus imitatur exemplum Pauli, 186. b
Lutherus diſcit artem tornatoriam, 233. b 292.

M.

Magiſtratus officium, 215. a
Magnificentia imperiorum eſt ludus Dei, 213. b
Malitia ab infirmitate diſcernenda, 373. b
Mandati Cæſaris declaratio, 139. b
Mansfeldenſis Comitis Alberti actio cum Luthero, nomine Georgij Ducis Saxoniæ, in Luthero.
Manſuetudo Chriſtianorum 37. b
Marchio Brandenb: Georgi⁹ 121. b
Marchio Brandenburg: Ioachim⁹ primus Elector, 375. a
Marchio Brandenburg: Ioach: II. Elector, 344. a
Marchio Albertus Dux Pruſſiæ, 287. a
Marchioniſſæ ſororis regis Daniæ fuga, 375. b
Martinus Bucerus, in Bucero.
Martinus Lutherus, in Luthero.
Martinus Reinhardus Ienenſis prædicator, 237. a 299. a
Martyria, 59. b 142. b 148. a 149. a 161. b 172. b 185. b 243. b 293. a 329. b 375. b
Martyrium duorum Monachorũ Bruxellæ propter doctrinam Euangelij exuſtorum, 141. b 142. b 149.
Martyrium Monachi Auguſtinenſis, propter Euangelium exuſti. 148. a
Martyrium Heinrici Sudphani, propter confeſſionem exuſti, 252. b 253. a
Matrimonium DEI ordinatio, (274. b
Matrimonium Sacerdotum, 38. b 129. a 306. b 391. a
Matrimonium Lutheri, in Luth:
Matrimoniales Caſus, 80. a 222. a 242. b 318. 324. 366. b 388. b 389. 395. b
Matrimonialis Caſus ſponſaliorum de futuro, 325. a
Caſus propter ſæuitiam mariti, (242. b
Caſus matrimonij cæcorũ, 395. b
Matrimonium ſine conſenſu parentum, 324. b 388. b 395. b
Matrimonium coactum, 222.
Matrimoniorum inter agnatos & cognatos diſciſſio, 180. a

Matrimonia diſſoluere Papa non poteſt, 180.a (232b
Medendi Methodus ſpiritualis
Medicina Lutheri, in Luthero.
Meldorſianorum in Diethmaria parochus Nicolaus Boije, vel Boëtius. 261.a 266.
Meldorſianorum pietas & conſtantia. 263.b.
Meldorſianorum legati verſus Heydam, 263.
Mendacem memorem eſſe oportet, 228.b
Mendacium de electione Canonicorum. 168.b
Mendicantium ordo, 142.b
Menij Apologia. 360.b
Metallum donum Dei. 212 a
Michael Stifel. 321.a.345.a
Eiuſdem Coniugium, 386.b
Ad Miltenbergenſes Lutheri cōſolatoria Epiſtola, 185.b
Miltēberg: eiect⁹ Ioan: Carlſt. ibi.
Miltenbergenſium afflictioni quo modo medendum, 136. b
Nicolai à Mingkquitz expeditio et irruptio in Furſtenwald. 383.b. 384.a.390.b
Miniſterij præſtantia 372.b
Miniſterij continuatio, 394.b
Ad Miniſterium idoneæ perſonæ adhibendæ. 153.a (175.b
Miniſtrorum Euangelij fortuna,
Minoritarum Encomium, 114.a
Miſſa. 69.b. 153.b.168.b.277.b
Miſſādi ratio et forma 133.a 367b
Miſſarum cultus 159.b
Miſſarū Patronus Caſpar Schatzgeyer, 113.b
Cōtra Miſſarios Argumēta 154.a
Miſſam non eſſe Sacrificium 95.b
Miſſarum condemnatio 49.b
Miſſarum abrogatio 111. a. 153.a. 246.a
Miſſa vernacula celebrata primum VVitebergæ, 301.b
Monachus 352.b
Monachorum ordines varij 128.b
Monachi Auguſtinenſis exuſtio, 148.a (142.b.149.
Monachorum exuſtio Bruxellæ.
Monachouituli Monſtrum 113.a
Monaſteriorum rapina 322.b
Monaſteriorum damnatio 158.a
Monaſtice cult⁹ Dei ſumm⁹ 119.b
Monaſtice eſt cōtra verbū dei 116b
Monaſticen relinquendi libera poteſtas 69.b

Mona-

Monaſticen cur quidã relinquãt, 54.b.69.b
Moniales in Miſnia ex Monaſterio elapſæ 131.a.180.b.300.a.390b
Monſterbergenſis Duciſſa elapſa ex Monaſterio, 390. b
Monſtrum Vitulo Monachi 113.a
Mora nociua. 293. b
Morbi opera Dæmoniorum 382.a
Morbus Lutheri, In Luthero.
Morbus Philippi, in Philippo.
Morbus Ionæ 360.a
Morientium Sanctorum agones & humilitas 376.a
Morientũ Anabaptiſtarum induratio, ibidem.
Mors propter confeſsionem verbi precioſa. 254. a
Mors Martyrum, in Martyrio.
Mors Friderici Electo: Sax: 281.a
Mors Aſſæ de Kram 395.a
Mors Georgij Forchemij Concionatoris Erfordenſis 86. b
Mors M. Ioan: Feldtkirche 148.b
Mors Elizabethæ filiæ Luth: 385a
Mors Emſeri 363.b
Moſellanus. 66.b. 67.a
Moſes, Vide in Indice Biblico.
Moybanus 296.a. 316.a
Mundi cogitationes de politiarum ſucceſſu. 213.a
Mundi interitus 319.a
Muntzerinus ſpiritus 152.a.229.a 327.b
Muntzeriana deliria 224.b
Mutatio Ceremoniarũ verbo tentanda. 49.a.53.a.56.59.a.74.a
Myconius 314.b. 334.b

N

Nachtfriſt Iarfriſt prouerb: 293b
Natiuitas Philippi Melanthonis, in Philippo.
Natiuitas Ioan. filij Luth. in Lut:
Nati: Elizab. filiæ Luth: in Luth.
Neceſſaria et â Deo præcepta diſcenda, 285.a
Neceſsitas obedientiæ 164.
Negatiua non probatur, Regula Iuriſtarum 95.b
Negligentiæ et pertinaciæ pœna, Hans Neindorff. 70.a (207.b
Neſenus ſubmerſus in Albi 220.b
Nicolaus Gerbelius, 151.b (309.a
Nicolaus Hermannus 288.
Nicol: à Mingkwitz diripit Furſtenwalde, 383.b.384.a.b. 390.b
Nicolaus Storch. 92.a.184.b.
Norinbergenſia Comitia, 75. a

Norimbe: ſcholæ reſtauratio 299b
Noſce teipſum, 229.b
Noui Prophetæ Antuerpiani 279 a.281.a. 283.b
Noui Teſtamenti verſio Lutheri In Indice Biblico.
Nunciorũ fortuitorũ incuria 322a
Nuptiæ Lutheri, in Luthero.
Nuptiæ Carlſtadij 45.b.
Nuptiæ Pomerani 93.a
Nuptiæ Spalatini 304.b. 305.a
Nuptiæ VVenceſlai Linci 135.a
Nuptiæ duorum Monachorum 113. a 130.b

O

Obedientia filiorum erga parentes 118. a
Obedientia neceſſaria 164. a.b
Obitus illuſtrium perſonarum, Vide in Mors.
Contra obtrectatores 75.b
Occulta Dei opera 292. b
Oecolampadius.151.a.184.b. 197.a 269.a. 272 a. 298.b. 314.a. 319.a 326.a.330.a.343.a
De Oeconomiæ diſpenſatione rationis humanæ iudicium 209.a
Offerre Chriſtum 43.b
Officia Charitatis 124.a
Officij ratio 225.a
Officiũ Concionatoris verbi Dei, 191.a
Officium Euangeliſtæ aulici 77.b
Officium Magiſtratus. 215.a
Officium Principum abolere Idolatrias. 305.a
Omnipotentia Chriſti 104.a
Opera bona teſtantur de bona perſona, 64.b
Opera Iuſtificatorum 157.b
De Operibus blaſphema doctrina Papæ &c. 123.b
Orandum pro aduerſarijs, vt conuertantur, 254 b
Orandum contra perſecutores & Hæreticos, 249.a
Ad orationem confugiendum in tentatione 359.b
Orationis neceſſitas 389.b
Oratio tentationum remediũ 342.b. 344.b
Ordines varij Monachorum 128.b
Ordo Mendicantium. 142.b
Origenis Commentaria in Paulũ In Indice Biblico.
Orlamunda, 236.a. 237.a.251.a. 271.b. 272.b

Oſiander

Oſiander, 342.a. 365.b (383.b
Ottho Pack Doctor captus 379.a

P

D. Pack captus, 379.a. 383.b
Panis datio ſub dictione verborũ Cœnæ, 199.b
Papæ leges & præcepta 178.a
Papæ legum abrogatio, 49.b
Papæ blaſphema doctrina de bonis operibus. 123.b
Papæ Eccleſiam non eſſe Eccleſiam 97.b (85 b
Papæ cura de diſcordia principum
Papæ Excommunicatio 158.b
Papæ Adriani Bulla 55 b. 140.a. 151.b. 155.b
Papa quid ſit, & de poteſtate Papæ, 177.a 179.a
Papa Anthichriſtus 12.a 85.a
Papæ Epitheta, 85.a. 86.a. 129.a
Papiſtarum dogmata non omnia falſa, 298.a
Papiſtarum cauillatio de vitæ noſtrorum diuerſitate, 229.b
Papiſtarum blaſphemiæ, 99.b
Papiſtarum Quæſtio, de inſtanti conſecrationis 200.a
Papiſtarum Cœlibatus 306.b
Parallelæ conſpectæ 278.b
Parrhiſia Lutheri, in Luthero.
Partitio vitæ hominis 116.a
Paruuli circumciſi 43.b
Paruulorum Baptiſmus & fides, 42.a. 43.b. 67.a. 308.b
Paßio Lutheri, in Luthero.
Paſtoris Eſlingẽſis Articuli 162.a
Pathmos Lutheri, In Luthero.
Pauperes Sacrificulos alendos eſſe 219.b
Paupertas concionatorum 206.a
Paupertas Lutheri, in Luthero.
Paulus Speratus, in Prußia
S. Pauli ſitis 101.b
Peccata Dauidis, in Indice Bibli.
Peccata bonorũ principum. 140.b
Peccatorũ remißio gratuita 163.a
Perditorum Aſylon, 226.a
Periculum Germaniæ, ob perſecutionem Euangelij, 107.a
Perſecutio & Crux 124.b.
Perſecutio Euangelij in Germania 122.b. 187.a
Perſecutio & contemptus contra concionatores, 191.b
Perſonæ idoneæ adhibendæ ad miniſterium. 153.a
Pertinacia Sophiſtarum. 83.a
Peſtis graſſatur, 321.a. 323.b. 344. a.b. 346.b

b. 346. b. 351. a. b. 354. b. 356. a. b. 359. a. 363. a.
Petrus & Papa non ſunt fundamentum Eccleſiæ, 1. 76. b
Petri Dethleues reſponſio, 264. a
Petrus Florus Coloniæ, 314. a
Pfaſſenbeck 54. a
Philippus Melanthon 55. b. 79. a 122. a 237. b 277. b 299 b 318. b 355. b 386. a
Philippi nuptiæ 7. a 79. 293 a
Philippo filius Philippus naſcitur 293. a
Philippo filia Anna naſcitur 92. a
Philippi timiditas & laus 41. b
Philippi Loci Theologici 67. b 74. b 237. a
Philippi Annotationes in Ioannem 150. b
Philippi Annotationes in Epiſtolã ad Romanos 87. a
Philippi morbus, 355. b
Phrenetici obſeſſi à Diabolo 381. b
Piccardi, 78 b 133. a 167. b 270. b
Picardorum ſententia de cœna domini, 167. b
Pietas Abbatis Hirsfeldenſis erga Lutherum 140. a
Pietatẽ ſequitur afflictio 213. b
Pietas & Conſtantia Meldorfiorũ 263. a
Pij hominis vitæ diuiſio 50. b
Piorum ſecuritas 216. b
Piorum martyria noſtro tempore 286. b
Pæna contemptus verbi Dei apud Iudæos. 105. b
Pœna negligentiæ & pertinaciæ, 207. b
Pœnitentia an ex Euangelio docenda, Iſlebij controuerſia 363. a
A Polentis Georgius Epiſcopus Sambienſis in Pruſsia, In Pruſsia.
Polonus Iudæus Vitebergæ captus 270. 271.
Polygamia, 331. a
Pomeranus 93. b 279. a 335. a 340. b 341. a 346. a 355 a 371. b 377 b
Pomerani nuptiæ 92. a 93. a
Pomerani ſtipendium, 111. b
Pomerani Pſalterium, 241. a
Pomerani vocatio ad Dantiſcanos, in Pruſsia.
Pomerani vocatio ad Hamburgenſes, 383. b
Pomerani profectio ad Brunſuicenſes 376. a
Pontifex Romanus, In Papa.

Portentum Magdeburgæ 327.a
Poſtilla Lutheri, in Luthero.
Practicæ Epiſcoporum & Ducis Georgij, 313.b
Præcepta diuinitus nõ applicanda eſſe pro electitijs cultibus 117.a
Præcepta Charitatis, 110.b
Præcipitantia & incogitantia in concionando, 368.b
Prædeſtinatio, 308.b
De Prædeſtinatione errat Eraſmus, 66.b
Prædicatores ambitioſi 84.a
Præpoſitus Noui Operis Hallenſis, 132.a
Præſentiarum diſtributio 153.b
Preces pro hoſtibus 103.a
Preces Luth: pro Eccleſia Erfordenſi, in Luthero.
Principalis certitudo ſpirit⁹ 228.b
Principum & Epiſcoporum conſpiratio, 314.b
Principum fœdus 379.b
Principum excuſatio de fœderibus 379.a 380.b 386.
Prodigia, 269.b 270.a 299.327.a.374.a
Prophetarum verſio Lutheri, in Luthero.
Prophetæ & ſpiritus noui, Item Prophetarum Nouorum ſpiritus, 40.b 41.b 46. 49.a 58.a 60.a 61.b 152.a 233.a 279.a 281.b 283. 296.b
Prophetarum Nouorum ſpiritus & vocatio exploranda 41.b
Prophetæ Cygnei, 46.a 49 a 62.b
Prophetæ noui Antuerpiani, 279.a 281.a 283.b
Prophet. noui Sacramẽtarij 269.b
Prophetarum cœleſtiũ noua Secta, 233.a
Prophetarum nouorũ quæſtiones 308.a
Prophetarum nouorũ impoſturæ, 282.a
Pſeudoprophetæ an occidẽdi 381.a
Prophetia, 47.b 57.a 60.b 204.b 281.a
Prophetia Vueſſeli Groningenſis de Theologia Lutheri, 90.a
Prophetiæ ſeu Vaticinia Lutheri in Luthero.
Proprietas ſpiritus Sacramentarij, 349.a
Proprium impoſtoribus in quarto modo, 224.b
Prouincialis Carmelita occiſus Halberſtadij, 161.b

Pruſsiæ Dux Albertus ſtudioſiſſimus Euangelij, 287.a
Vocatio Pomerani ad Dantiſcanos 279.a
Epiſcopus Sambienſis in Pruſsia Georgius à Polentis amplectitur Euangelium, 183.a
Eidem dedicat Lutherus Commentarium ſuum in Deutro. 285.
Paulus Speratus Epiſcopus in Pruſsia 71.a
Ioannes Briſmannus, 61.a
Ioannes Briſmannus docet Euangelium in Pruſsia, 119.b. 183. a
Pſalmi Dauidis, vide in Ind: Bib·
Purgatorium, 45 a

Q.

Querela Lutheri 336.a
Quæſtio quid Nominis 197.b
Quæſtio quid Rei ibidem.
Quæſtiones curioſæ vitandæ in doctrina Sacramentaria. 72. a
Quæſtio de occulta Dei voluntate 248. b
Quæſtio an pœnitentia ex Euangelio docenda, 363.a
Quæſtio An fides ſine operibus eſſe poſsit 387.b
Quæſtio An per homines Chriſtus det Corpus ſuum. 202. b
Quæſtio de verbis Sacramẽti 196. b. 197. 198.
Quæſtio, an valeant mandata hominum, de non confitendo verbo Dei 189. b
Quæſtio Papiſtarum de inſtanti conſecrationis. 200.a
Quæſtio, an Eccleſia credere debeat, paruulis infundi fidem. 43.b
Quæſtio, quid ſint Papa & Epiſcopi, & de eorum poteſtate 177.a. 179.a
Quæſtio de Papæ & Conciliorum legibus & præceptis. 178.a
Quæſtio, quomodo Papæ decreta tollerari poſsint. 178. b
Quæſtio, an Papæ integrũ ſit Dei præcepta mutare 179.b
Quæſtio an Eccleſia ſuper Petrum & Papam ſit ædificata, 176.a
Quæſtio, an Concilium cogendum ſit pro vnitate ceremoniarũ 243.a
Quæſtio, Hæretici an occidendi, 381.b
Quæſtio de exaturando ventre in Pſal. 127. 212 b
Quæſtiones nouorum Prophetarũ 308.a

Quomodo Sacramentum neceſſarium 71.b
Quomodo Chriſtiani regẽdi 159.a
Quomodo refrenanda laſciuia vxoris, 373.a
Quomodo ab eſu carnium abſtinendum vel non, 165.a
Quomodo Regnum Antichriſti ſit deſtruendum 159.b

R

RApina Monaſteriorum 323.b
Ratio officij 225.a
Ratio Miſſandi 133.a
Ratio vlciſcendi de inimicis, 188.a
Ratio feliciter adminiſtrandi Rẽpublicam 214.a
Rationis humanæ iudicium de diſpenſatione Oeconomiæ, 209.a
Ratisbonenſia Comitia, 369.a
Rea conſcientia 127.a
Refutatio tranſlatitiæ ſignificationis in verbis Cœnæ domini 201.a
Refutata ſententia Hieronymi de Monaſtica & Cælibatu. 352.a.
Regius Vrbanus, 299.a.381.326.a 330.a
Regnum Dei, 93.a
Regnum Antichriſti quomodo ſit deſtruendum, 159.b
Regula Iuriſtarum: Negatiua nõ probatur. 95.b
Reichenbach 237.a
Reiſſenbuſch. 277.b
Ad Religionem & fidem an cogi quis poſſit. 305.a
Reliquiæ Sanctorum, 61.a
Remedium contra tentationes oratio deuota 342.b.344.b
Remedium contra ſectas 85.b
Remiſſio peccatorũ gratuita 163.a
Res domeſtica fide adminiſtranda 210.a
Reſponſio Lutheri ad quæſtiones varias, in Luthero.
Reſponſio Lutheri ad ſcripta aduerſariorum, in Luth:
Rex Angliæ 75.b.88.b 91.b 94.b 290.b.292.a.295.a.328.a.329.a. 330.a
Rhegius Vrbanus, in Regio.
Romæ obſidio, 320.a
Romanus Pontifex, In Papa.
Stephanus Roth 373.a
Rotenburgk ad Tauberam 250.a.
Ruſticorum ſeditio præuiſa à Luthero 290.a.292.b
Ruſtici ſeditioſi apud Mulhauſen 290.a

Ruſticorum ſeditioſorum ſtrages, 295. a 297. b
Ruſticorū ſeditio ſopienda, 289. b

S.

Sacerdotium mutatum ab Amſdorfio, 76. b
Sacerdotum Coniugium, 221. b
Sacerdotum coniugum Appellatio Argentorati, 242. a
In Sacramento pronunciatio verborum, 72. b 73. a
Sacramentum propter adminiſtrantis impietatem non debilitatur, 273. a
Sacramentum quomodo neceſſarium, 71. b
Sacramenti vtraq; ſpecies, 53. a 57. b 112. b 133. a 159. a 240. b 375. a
Sub Sacramento Chriſti adoratio, 71. 72. 168. a
Sacramentum Confirmationis abrogandum, 90. b
Sacramentarij, 331. b 343. a 344. b 345. a 346. 348. b 349. b 360. b 366. a 367. b 384. b
Sacramentarij Sathanæ miniſtri, 303. a
Sacramentarij Lutheri Abſolones, 310. b
Sacramentarij irriſores Chriſti, 350. b
Sacramentarij ſpiritus proprietas, 349. a
Sacramentariorum Sectæ tres, 309. b
Sacramētariorū ſex Capita, 314. a
Sacramentariorū Argumenta puerilia, 319. b
Bucerus ſpiritu Sacramentario infectus, 348. b
Bucerus Sophiſta, 384. 349. b
Buceri Argumenta diluuntur,
Carolſtadij Argumentum in controuerſia cœnæ, à tempore ad opus, 202. a
Plura de Carolſtadio in C.
De Oecolampadio in O.
De Zwinglio in Z.
Sacrificium corporis Chriſti 92. b
Sacrificium placitum Deo, & oblatio munda, 238 a. 219. a
Sacrificulos pauperes alendos,
Sacrificulorum Vuitebergenſium abolitio, 111. a
Salutationes amicorum, 377. b
Sambienſis Epiſcopus in Pruſſia Georgius à Polentis, amplectitur Euangelium, In Pruſſia.

Sanctorum

Sanctorũ cultus & inuocatio, 68. b 81. b 82 a 154. a
Sanctorum reliquiæ, 61. a
Sanctorum agones & humilitas in morte, 376. a
Sanguis Iohan: Huſs & Hieronymi de Praga, 86. a
Sathanæ artificium, quo nos abducit à ſimplicitate fidei, 71. b
Sathanæ inſidiæ aduerſus doctrinam Euangelij, 103. a
Sathanæ cogitationes, 221. b
Sathanæ miniſtri alterutri vel Luther⁹ vel Sacramentarij, 303. a
Sathanica audacia, 120. a
Sauonarolæ mortis cauſa, 125. a
Scandala à DEo precibus deprecanda, 142. a
Scandala ex Lutheri doctrina exorta, 75. b
Scandalum propter abrogatas Ceremonias 370. b
Scandalum ex Lutheri matrimonio, 294. a
Schatzgeyer patronus Miſſarũ & votorum Monaſticorum, 113. b
Schatzgeyers Indagines ibid.
Schatzgeyers confirmatio Monaſtices, 115. a
Schatzgey: Teſtimonia pro Monaſtica exhibilanda, ibid. b (114. b
Schatzgeyers capita confutanda,
Schatzgeyer ex Porphyrio & Ariſtotele conuincendus 115 b
Schatzgeyer gloriatur, Monaſticen nõ eſſe contra ſcripturas, 115 b
Schatzg: confutatio alia 117. a
Schmideberg Henricus, 7. a
Scholæ, 244. b
Ad Scholas conſtituendas Lutheri Adhortatio, 206. a
Scholæ Norinbergẽſis reſtauratio 299. b
Schurffius Auguſtinus 336. b
Schwenckfeldius, 314. a
Schwertfegerus, 205. b
Scripta Lutheri varia, in Luth:
Scripta Philippi, in Philippo.
Scriptura ſacra hortus conſolationum, 95. a
Scripturæ teſtimonia contra trepidationem, 215. a
Scripturæ verba debent eſſe noſtra documenta, 114. b
De ſcriptura Sacra plura in Indice Biblico require.
Sebaſtianus à Kôteritz 131. b
Secerius, 348. b (141. a
Secta Anabaptiſtarũ, 366 a 377. a

Sectæ Sacramentariorum, In Sacramentarijs.
Sectæ apud Papiſtas 85.b
Contra Sectas remedium 85.b
Securitas piorum 216.b
Seditio ruſticorum per Carlſtadium & Muntzerum excitata, 280 b. 290. a. 297. b
Seditioſorum ruſticorum ſtrages, 295.
Seditio ruſticorũ ſopienda. 289.b
Pro ſeditione vitanda Admonitio, 83.b
Seductio ſpirituũ in Papatu 281.b
Sententia Piccardorum *de cœna,* 172 b
Sententia Hieronymi refutata, 352.a
Serranus 107. b 348.
Silere quatenus expediat. 302.b
Solicitudo & cura noſtra Deo relinquenda. 214. b
Solicitudo acquirendarum diuitiarum remoratur Euangeliũ 206.a
Sophiſtarum pertinacia 83.a
Sophiſtarum furor in Luthe. 76.a
Sophiſta Bucerus 384.b
Spalatini donum 239.a
Spalatini coniugium & nuptiæ, 380.a. 304.b. 305.b
Spenglerus 332.a
Speratus Paulus, in Pruſsia.
Spes Chriſtianorum 186.a
Spirenſia Comitia. 375.b
Spiritus curioſi pugna, quod Deus non permittat fieri peccatũ, 284.a
Spiritus Muntzeri, 229.a. 327.b
Spirituũ cœleſtiũ iactantia 282. a
Spiritus erronei apud Antuerpianos tumultuantes, eorumq́ intentio & ſtudium 281 b. 283.
Spirituoſi Hæretici & fanatici, 225.b
Spirit⁹ principalis certitudo 228.b
Sponſalia ſine parentum conſenſu, In M. vbi de caſibus Matrimonialibus.
Sponſalia de futuro ibidem.
Staupitius 98.a
Staupitij Abbatia 75. b 110.a
Stein VVolfgangus 95.a
Stifelius 162.a. 294.a. 300.a 309. b 317. b. 319. b. 321. b. 386.b
Stoltz VVuolfgangus 69.b
Storch, 92.a
Stratagena cõtra tentationes 340 b. 341 a 342 b
D. *Strauß, ſeditioſum ingenium* 280. a

Succeſſus

Succeſſus concionatorum 191. a
Succeſſus doctrinæ Carolſtadij, 246. b
Suevorum Syngramma, infra Sy:
Summa doctrinæ Chriſtianæ, Fides & dilectio, 124.
Summa doctrinæ Lutheri 291. b
Supplicatio pro Paſtore Lochenſi 58. a
Sympathia Chriſtianorum, 172. b
Synecdoche in verbis Cœnæ, Vide in Indice Biblico.
Syngramma Suevorum contra Sacramentarios, 312. a 349. a

T

Temeraria iudicia 391. a
Temeritas Antichriſti 159. a
Temporum noſtrorum experientia, 223. a
Tentatio, 145. b 180. b 230. 321. a 340. b 341. b 347. a 353. b 354. b 356. 358. a 359. b
Pro Tentatis inſtitutio 382. b
Tentationis uſus & ſuſtentatio in ea, 359. a
Tentationum remedium Oratio, 342. b 344. b 359. b
Teſtamentum, in quo quis bona ſua ad ædificandum templum legavit, infringitur 65. a
Teſtamentum Lutheri, in Luth:
Teſtimonia Scripturæ contra trepidationem, 215. a
Teſtimonia veterum Orthodoxorum de Sacramento Altaris 271. a
Teſtimonia Schatzgeyers pro Monaſtica exibilanda, 115
Textus Evangelij evincit præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento, 250. a
Theobaldus Billicanus Nordlingenſis Eccleſiaſtes ſcribit contra Sacramentarios, 311.
Vitus Theodorus 334. a
Theologus ſit Superattendens & Monitor 232. b
Theſaurus abſconditus Verbum Dei, 174. a
Thomas Muntzer, in Munzero. Thomiſtarum gloriatio de Thoma 87. b
Timor Dei, & Timor pœnæ, quomodo inter ſe differant, 355. b
Traditiones humanæ ac decreta conciliorum, 158. a 178. a 352. b
Tragicus interitus cuiuſdam D. 362. b
Translatio Bibliorum & Poſtillarum Lutheri, in Luthero.
Translatio Eunuchi, 64. a
Tres Lunæ viſæ, 374. a
Trevirenſis Epiſcopus, 12. b 182. a 184. a
Tropi Scripturæ, in indice Biblic.
Turbæ VVitenbergenſium 49. b
Turcæ expeditio in Vngariam, 364. b 366. b
Tyrannis aperta & libera confeſſione, ſine fuco aut ambiguitate ſermonis eſſe reſiſtendum, 370. a

V

Valentinus Krauttvvaldt, 309. b 314. a
Vaticinium Vide in Prophetia.
Vdalricus Huttenus, vide in Hutteno.
Veneti. 371. b
De ventre exaturando, quæſtio in Pſal. 127. In Indice Biblico. Verbum Dei abſconditus Theſaurus, 174. a
Verbi Dei efficacia, 189. a
Verba ſcriptura noſtra documenta 114. b

Verbum Dei veritas, 200. b
Sine Verbo & mandato Dei nihil tentandum, 116. b
Verbum Dei propter docentis impietatem non labefactatur, 273. a
Verbum Dei ceremonijs adiectum 288. a
Verba & res ſpectanda in negotio Sacramenti 196. a
Verba Evangeliſtæ recitantia Hiſtoriam cœnæ, 199. a
Verba cœnæ Domini, in Indice Biblico.
Verba de futuro in ſponſalibus, vide Matrimoniales caſus in M.
Vernacula MiſſaGermanica primum Vuitenbergæ, 301. a
Verſio Bibliorum Lutheri, in Luthero.
XVI. Veſtales virgines egreſſæ ex Monaſterio Vuidderſtet. 139. a
Viaticum pro Franciſco Lamberto. 152. b
Victoria omnis à Deo 214. a
Victoria verbi Dei, 189. a
Victus abundantia, &c. labori noſtro non adſcribenda, 210. b
Victus & alimonia Chriſtianorum, 212. b
Victus avicularũ ex Dei benignitate, 211. b
Vigilia & invocatio Sanctorum, 154. a
Vindicta vera Chriſtianorum contra inimicos, 187. b
Viſitatio Eccleſiarum Saxonicarum, eiuſdemq́; Inſtructio, 325. b. 345. b 346. b 348. a 351. a
Vitæ pij hominis diuiſio 50 b 116. a
Vita Monaſtica, vide in Monaſt.
Vita Chriſtianorum conſiſtit in Charitate erga proximum, 164. b
Vitia non ſunt extenuanda 37. b
Vitulo Monachi monſtrum, Vide in Monacho.
Virtus verborum coenæ, 72. 73. a
Vlciſcendi de inimicis ratio, 188 a
Vltio contra Diaboli furores ibid b
Vngaria, in Hungaria
Vocatio Aldenburgenſis, 73. b
Vocatio Pomerani ad Dantiſcanos & Hamburgenſes, in Pome.
Voluntas Dei occulta 284. b
Voluntas Dei inſcrutabilis, 393.
Vota & gemitus Luth. in Luth.
Votum non ſit contra Deum & fidem Chriſtianam. 275. b
Votum an ſit poßibile factu. 274.
Vota irrita, ibid.
Votum an retrahat à Matrimonio 274.
Votum Baptiſmi ſolum nunc reliquũ 120. a
Votum Hannæ matris Samuelis 119. b
Vratislauienſes Euangelium amplectuntur, 234. a
Vrbs Brunſuicenſis amplectitur Euangelium, in BrunſvvicK
Vrbis Romæ obſidio, in Roma Clem: Vrſinus, 330. b
Vſingenſis 69. a 74. b
Vſitatus Cultus, 154. b
Vſus tribulationum, tentationis &c. & in ea ſuſtentatio 175. a
Vſus fidei, 123. a (359. a
Vxoris laſciuia quomodo refrenanda, 373 a
Vxor Regis Danæ, Caroli V. Imp: ſoror moritur 311. b

VV.

VValdenſes, 71. b
VVartenberg, 8. b

VVen-

VVenceslaus Lincus, eius Nuptiæ, &c. 60. a 75. b 76. a 112. a 113. a 130. a 135. 272. a 295. 313. 326. b
VVerthemenſis Comes, 92. a
VVeſſelus Groningenſis, 89. b
VVeſſeli Prophetia de doctrina Lutheri 90. a
VVeſſeli & Lutheri conſenſus in doctrina. 89. b
VViteberga graſſatur peſtis, 321. a 323. b 344. a. b. 345. b 346. b. 351. 354. b 356. b 359. a 363. a
VVittenbergenſis Academia, 231. b 237. b 298. b. 299. a 346. a 351. a 384. b
VViteberg nſis Bethauen, 109. b 334. b
VVitebergenſium mutatio, 53. a
VVitebergenſium turbæ, 49. b
VVitebergenſes Baalitæ, 166. b
VVitebergenſium Sacrificulorum abolitio, 111. a
VVitebergæ Minoris Chori abrogatio, 153. b. 168. b
VVolffgangus Reiſſenbuſch LL. Doctor, & Præceptor in Lichtenberg, Ordinis S. Antonij, 273. 274. a 277. b
VVolffgangus Stein, 95. a
VVormatia, 8. a 11. a 12. a.

Z.

Zacharias Propheta à Luthero verſus & explicatus, in Luthero.
Zuiccavienſis cuiuſdam concionatoris inſolentia 368. a
Zuinglius 140. a 298. b 302. 303. 243. a 332. a 343. a 345. 356. a 361. b 371. b
Zuinglius rudis Dialectices, 374. b
Zuinglius tuetur errorem Carolſtadij de cœna Domini 247. a
Zuinglij & Oecolampadij ſententia, 107. b
Zuinglij diſputatio in Helvetia, 140. a
Zuinglij Argumentum de certitudine fidei, 298. a
Zuingliana opinio vitanda, 330. b

II.
INDEX BIBLICVS EXEGETICVS.

Hoc eſt.

Locorum ſcripturæ allegatorum, expoſitorum, &c. aliorumq; ad ſcripturæ expoſitionem pertinentium.

MOSES.

Moſes fons omnium prophetarum 285. b
Moſis & Homeri collatio, 287. b
Moſis præceptiones de tollendis

 Idolis

Idolis 231. b
Exod. 12. Agnus eſt tranſitus, 303. b
In Deuteronom. Commentarij Lutheri dedicatio ad Georgium à Polentis Epiſcopum Sambienſem in Pruſsia, 285.

PROPHETÆ

Eſaiam prælegit Lutherus Anno 27. 332. a
Eſaiæ 11. cap. Enarratio, 50. b
In Habacuc commentarius L. 316. b
In Zachariam commentarius L. 358. b

PSALMI.

In Pſalmos Lutheri commentarius, 243. a
Pſalterium Pomerani, 241. a
Pſal. 10. Commendatio & brevis Enarratio, 254. b &c.
Pſal. 111. 93. b
Pſal. 127. Enarratio, 206. a
Domum ædificare quid? Pſal. 127. 208.
Filij iuventutis. Pſal. eodem, 218. a
Hæreditas à Domino. Pſal. eod. 216. b
Quæſtio de exaturando ventre. Pſal. eod. 212. b

SALOMON.

Salomonis Adhortatio ad laborem, 211. a
Salomonis Eccleſiaſten prælegit Lutherus, 318. b

NOVVM TESTAMENtum Matthæi.

Matth. 6. Adveniat Regnum tuum, 203. b
Matth. 18. Locus de publica remiſsione, 135. a
Matth. 24. Fuga in Sabbatho & hyeme, 109. a

LVCÆ.

Lucæ 22. In verbis Cœnæ ambiguitas nulla, 198. a
Cœnæ verba non aliter accipienda, quàm ſonant, 197. a
In verb. Cœnæ Synecdoche, 384. b
In verbis Cœnæ, EST non ponitur pro Significat. 319. b
Carolſtadij Commentarius ſuper verbum (Dedit) in Negocio Cœnæ 196. b
Hoc poculum eſt Teſtamentum, 303. b

IOANNIS.

In Ioannem Annotationess Phi. 150. b
Ioan. 6. cap. Explicatio, 198. a
Ioan. 16. A patre exire Chriſtum quid ſit? 109. a
Ibid. Chriſtum loqui per Proverbia quid? 108. b
Ibidem: In Chriſti nomine petere. 108. a
Luth: Reſponſio ad Quæſtionem de dicto Chriſti, Ioan. 16. Expedit vobis vt vadam, &c. 136. a
Luth: Reſponſio ad Quæſtionem de dicto Chriſti Ioan. 16. Multa habeo vobis dicere &c. 135. b
Luthe: Reſponſio ad Quæſtionem de dicto Ioan: 16. Nemo interrogabat eum, &c. 136. b
Lutheri Reſponſio ad Quæſtionem de loco Ioan. 20. Inſufflavit Spiritum &c. ibid.

ACTORVM.

Lutheri Reſponſio ad Quæſtionem ex Acto: 2. 136, b

S. PAVL.

In Paulum Commentaria Hieronymi & Origenis, 87. b
In Romanos Philippi Commentarius, 87. a
Corinthios quomodo Paulus conſoletur, 186. a

Gela-

Galatarum defectio, 123.a
Galatis Bohemi collati, 86. a
TRANSLATIO Bibliorum Lutheri.
Lutherus translationem Bibliorum aggreditur, 45. b
Transfert novum Teſtamentum, 55. b
Luth. Transfert Matth. 50. a. 63. a
Abſolvit Marcum, & Epiſtolam ad Romanos, & in manibus habet Lucam & utramq; ad Cor. 78. b 88. b
Abſolvit Novum Teſtamentum, 88.b 99.a
Transfert vetus Teſtamentum, 64.a 94.a 97.b. 99.a.137.b.170. a 171.a
Transfert Geneſin, 97. b 99.a 173.a
Verſatur in translatione Leviti: 94. a
Abſolvit Deuteronomion, 137. a b
Pollicetur ſe finiturum Moſen transferēdo, 97.b 99.a
Abſolvit alteram partem veteris Teſtamenti, & accingitur ad tertiam, 170.a
Transfert Hiob. 183. b
Prophetarum verſionem aggreditur, & primū vertit Eſai. 328.b. 378.a 387.a
Transfert Habacuc, 316.b
Zachariam translatum edit, 321. b. 323.b
Meditatur ut Zachariam ſequatur Habacuc & Ionas. 319.b
Transfert Eccleſiaſten librū multi negocij, 319.b
Sollicitus de translatione vocabuli Eunuchus. 64.a
Item de vocabulis quarundā Beſtiarū, 171.a
Gemmas petit à Spalatino, in Apocalypſi, 55. b. 63. a. 64. a
POSTILLÆ LVTH:
Poſtillæ Luth. 348. b
Poſtillarum Luth. Translatio per Buccerum, ibidem.
GENERALIA.
Tropi & Regulæ ſcripturæ.
Scripturæ ſimplicia & aperta verba, citra rationem torquere ac Tropis eludere, ſacrilegium eſt, 304. a
Locos ſcripturæ collatione aliorum locorum exponendos eſſe, 197. b
Scripturæ locorum quorundam explicatio, Allegoriæ, 288. a (269.b
Synecdoche in verbis Cœnæ, 384. b
Scriptura ſacra legēda, non commentaria, 87. b

III.
ELENCHVS
Eorum, ad quos ſcripſit Lutherus Epiſtolas hoc [redacted] Tomo contentas.

A
Ad Agricolam Ioan: Isleb. 311. 333. 347. 351. 386. 387.
Ad Albertum March. Brandeb. Pruſſ. Ducem, 176.
Ad Amicos quoſdam, 297
Ad Amsdorfium, 44. 236. 246. 268. 270. 271. 277. 280. 289. 290. 295. 297. 310. 311. 321. 344. 364. 357. 380. 383. 385. 394. 395.
Ad Angliæ Reg. Hen. VIII. 290.
Ad Antuerpienſes. 281.

Ad Aquilam Caſparum. 392.
Argentinenſes, 247.
Ad Argentinenſes Miniſtros, 301.
Inſtructio data à Luthero Georgio Chaſelio, ad Euangeliſtas Argentin, 302.
Ad Auguſtanos, 172.
Ad Aureum Ioannem, 316.

B.

Ad:
Billicanum Theobaldum, 272.
Bohemos Comitia Pragæ agentes, 84.
Bornerum Caſparum, 66.
Bremenſes, 252.
Brentium Ioannem. 361.
Briesger Eberhardum, paſtorem Aldenburg: 312.359.391.
Briſmannum Ioannem, 113.
Brunsfelſium Ottonem, 364.

C.

Ad Capitonem VVolff: Fabricium, 36.
Ad Carolſtadium Andream, 196.
Ad Carolum Sabaudiæ Ducem. 156.
à Cronberg Hortmannum. 100.
Crotum Ioannem. 141.

D.

Ad Didymum Gabrielem, 62. 65.73.80. 371.
Ad Draconem Ioannem paſtorem VValtershuſ: 327.

E.

Ad:
Eberhardum Briesger ſupra in B.
Eobanum Heſſum, 307.
Eraſmum Roter. 194.
Erfordenſes Chriſtianos & prædicatores. 80. 301.
Eslingenſes 162.

F.

Ad Fridericum Saxo. Ducem Ele 46.
Frid. & Ioan Saxon. Duces Fratres, 223.
Ad Frid. Abbatem ad S. AEgidium Norinbergæ, 332.334.358.376.379.389.
Ad Froſch Ioannem Miniſtrum Auguſtanum, 320.
Ad Fues VVolfgang: paſtorem Coldiz, 388.

G.

Ad:
Gabrielem Didymum ſupra in D. Georgium Ducem Sax. 392.
Georg: à Polentis Epiſcopum Sambienſem in Pruſsia, 285.
Gerbelium Nicolaum, 51. 122. 150. 170. 233.234.384.
Gottſaligum Miniſtrum Cellæ Luneburg. 236. 298.
Guttel Caſparum. 55.

H.

Ad Hauſmannum Nicolaum 49. 52. 64. 79. 90. 91. 133. 134. 155. 160. 167. 169. 184. 204. 242. 270. 277. 300. 301. 310. 312. 315. 317. 319. 320. 325. 346. 357. 358. 361. 366. 367. 369. 372. 374. 377. 380. 385. 395. 396.
Ad Henningum Teppen Goslar. Sacerd. 94.
Ad Hermannum Nicolaum, 238.
Ad Heſſum Eobanum, 307.

Ad

Ad Heſſum Ioannem, 57. 324. 240. 296. 315. 324. 327. 378. 389.
Ad Hoffman Chriſtoph. 308.
Ad Fratres in Hollandia, Brabantia, Flandria &c. 148.

I.

Ad Ioannem & Frid. Sax. Duces fratres, 223.
Ad Ioannem Voigt, 6.
Ad Ionam Iuſtum, 129. 321. 323. 343. 353. 356. 359. 362. 364.
Ad Iſlebiũ Agricolam Ioannem ſupra in A.

K.

Ad Kagisdorfium Andream, 317.

L.

Ad Lampertum Thorn, 181.
Ad Langum Ioannem. 54. 58. 68. 70. 74. 80. 86. 94. 292. 293. 301. 308. 309. 328.
Ad Lincum VVenceslaum, 6. 8. 9. 60. 79. 98. 112. 113. 130. 272. 292. 295. 296. 297. 318. 326. 332. 333. 342. 358. 365. 369. 374. 376. 381. 385. 386. 389.
Ad Lindeman Paulum, concionatorem Zvviccau: 368.
Ad Livonienſes, Rigæ, Reualiæ, Darptæ, 122. 205.

M.

Ad Mecum vel Myconium Fridericum, 288. 314. 334. 378.
Ad Menium Iuſtum, 331. 342. 360. 375. 378.
Ad Miltenbergenſes. 185.

N.

Ad Nevvenhagen Thomam, 318.

O.

Ad Oecolampadium Ioannem, 184.

P.

Ad Philippum, 41. 87. 355. 395.
Ad à Polentis Georgium, Epiſcopum Samienſem in Prußia, 285.
Ad Præpoſitum in Monaſterio Leitzken, 1. 2.
Ad Praveſt Vuilhelmum Paſtorem in Kilone Holſatiæ, 307.
Ad Probſt Iacobum Paſtorem Bremenſem, 365.
Ad Prußiæ Ducem Albertum March. Brand. 176.

R.

Ad Reiſſenbach VVolfgang. 274.
Ad Rigenſes, Reualienſes & Tarptenſes in Livonia, 122. 205.
Ad Rot Stephanum Ciuitatis Cygneæ ſcribam. 373.
Ad Ruck Ioannem. 161.

S.

Ad Sabaudiæ Ducem Carolum, 156.
Ad Saxoniæ Ducem Electorem Frid. 46.
Ad Saxoniæ Duces Frid. & Ioan. fratres 223.
Ad Saxoniæ Ducem Georg. 392.
Ad Secerium Ioannem Typographum, 348.
Ad Seuerinum Auſtriacum, 251.
Ad Spalatinum, 140. hoc Tomo Epiſtolæ extant, quarum omnium paginas monſtrare non neceſſarium arbitramur, nuſquàm

nuſquam enim non ferè nominis Spalatiniani mentio occurrit.
Ad Speratum Paulum, 71.
Ad Staupitzium Ioannem, 75
Ad Stein VVolffgangum à Concionibus Ducum Saxon. 95. 99.
Ad Stifel Michaelem, 29[illegible].300.309.317.319.321.345.353.354.
Ad Stoltz Volckmarum, 69.

T.

Ad Tarptenſes, Rigenſes & Revalienſes in Livonia, 122.
Ad Teppen Henricum Goslarienſem Sacerdotem, 94.
Ad Thorn Lampertum, 181.

V.

Ad Virgines quaſdã, Hannam à Draſvvitz, Miliam ab Olſnitz & Vrſulam à Feilitz, &c. 137
Ad Voigt Iohannem, 6
Ad Volckmarum Stoltz. 69.
Ad Vrſinum Clementem Paſtorem in Brucka, 330.

VV.

VVenceslaum Lincum ſupra in L. VVitebergenſem Eccleſiam, 15.
Præpoſitum & Canonicos Eccleſiæ omnium Sanctorum VVitebergæ, 126
Præfationes Lutheri huic Tomo inſertæ.
Præfa. in Opuſcula VVeſſeli Groningenſis, 89.
Præfat. in Meditat. Savonarolæ ſuper Pſal. 51. 125
Præfat. in Regulam Minoritarum Franciſci Lamberti, 128.
Præfat. in Commentarium ſuum ſuper Deuteronomium, ad Georgium à Polentis Epiſcopum Sambienſem in Pruſſia, 285.
Aliorum Epiſtolæ ad Luthe. & alios.
Epiſtola Georgij Ducis Saxoniæ ad Lutherum, 391.
Lutheri Reſponſio, 392.
Iuſti Ionæ Epiſtola ad Pome. 335.
Leonardi Keyſers ex vinculis Epiſtola ad Michaelem Stifelium- 329
Alia quædam ſcripta huic Tomo inſerta.
Paßio Lutheri ſecundum Marcellum, 11.
Dialogus Karſthans & Kegelhans verſu, 14.
Hiſtoria de duobus Auguſtinenſibus, ob Evangelij doctrinam exuſtis Bruxellæ Anno 1523. 142
Articuli aſſerti per F. Henr. 145.
Reſponſiones Lutheri ad Quæſtiones aliquot de Papa ad Albertum Ducem Pruſſiæ in comitijs Norinberg. Anno 24. 176.
Hiſtoria de Henrico Sudphano à Diethmaris occiſo, 258.
Hiſtoria Tentationis D. M. Lutheri, Anno 1527. gemina Narratione deſcripta à Pomerano & Iuſto Iona, 335.

FINIS.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO